INVNIVERSAM FRATRIS FRANCISCI TITELmani Dialecticam tractatus Argumẽtatiuus, additis solutionibus. Vna cum eiusdem Titelmani Textu.





HVC PRAETER ALIA ACCEDVNT.

Super vnumquodq; caput, vtilissima dubia, & dubiorum subtilissime dilutiones.

Item tractatus de cautelis ex mente Aristotelis, aliorumq; antiquorũ philosophorum.

De identitate, et diuersitate rerum nõ vulgaris eruditionis tractatus

A perquàm Reuerẽdo patre fratre PETRO FERMOSELLO, ordinis Fratrum Minorum regularis disciplinæ, Almæ prouinciæ Bethicę, & Hispalensis cœnobij guardiano.

Quia nescitis diem, nec horam,



qua dominus venict, Mathei xiiij.

Hispali. Excudebat Martinus à Montesdoca.
Anno, M, D, LV.

¶In tractatum argumentariuum fratis Petri Fermoselli Præfatio.



Rater Franciscus Titelmanus, vir in vtraq; literatura egregius, nec sui dissimilis in moribus, vt adolescentulorum rebus consuleret omues dialecticę institutiones, libris sex, exactissimè compleuit. Qui â tota republica literaria maximo oium applausu recepti sunt quibus ego super addidi quę sequũtur nõ vulgaria argumenta. Non quod opus istud quantũ est de se magnopere his ægeret, sed vt eis, quos eruditissimus ille vir digladiari docuit, arma, quibus ad pugnam descendere possent præberem. Quemadmodum enim ars oratoria (teste Marco Cicerone, in libris Rethoricorũ ad Herenium) sine assiduitate dicendi parum adfert vtilitatis, ita hæc Diligēs differendi ratio (nam sic eam Georgius Trapezũtius digno appellat noïe) sine quotidiana opera, studio, atq; sustentãdi & refellendi argumētis industria atq; assuefactione crebra, fere nihil habet cõmodi. Nam sicut militē descensurũ ad pugnã oportet clamydē summere, scutis, telisq; paratũ, ornatũq; esse, ita illũ qui ad sacrã theologiã pertingere cupit (vbi bellum est inextinguibile cum hæreticis) rationē tenere, & arguendi dexteritatē callere decet: vt stulto iuxta stultiam suam (vt sapientissimus rex Salomon nos docet) possit respondere, & in legem, & in Christi Ecclesiã iactata cõuicia, in furibunda ipsorum capita retorquere valeat. Nemini igitur mirũ sit, cur laborem istum, quem non inútilem spero fore, subire voluerim. Aequum siquidem erat, vt Franciscani, Franciscanus Theologi, Theologus: literarum scientissimi, literarũ sitientissimus, opus absolutum, absolutissimum redderet: vt nullo alio institutore, ad Sacram Theologiam hui⁹ artis sectatores manu ducantur, vbi nihil quod de illo non sit tractatur, qui cœlum, & terram sua maiestate adimplet, creauit, & sustinet, cui honor, & sempiterna gloria per immensa seculorum secula, Amen.

Adhærenium lib. j.

Difinitio Dialecticæ extrapezũtio.

Florentissimę in Louaniensi academia Liberaliū artium facultati, frater Franciscus Titelmanus, eiusdem humilis alumnus, debitum offert obsequium.



Emini ferè ante triennium cum libros duodecim de consideratione rerum naturalium tuo nomini mater veneranda, nuncuparem, quod tum in Physica disciplina exhibebā, id & in Dialectica aliquando me tentaturum spopondisse, si modo noster ille labor tibi non ingratus, & tuis alumnis non inutilis cōprobaretur. Quę sane promissio, tametsi sub dubitationis quodā moderamine pronunciata, sic me deuinxit, atq̄ etiamnum constrictum implicitum que tenet, vt ab officio illo vel sine mei nominis iactura, vel sine tuę gratitudinis offensa, nō mihi integrū videatur cessare. Si enim ab implenda ꝓmissione destitero, vel tu fastidiuisse iudicaberis humile donū, vt ego a promisso videar illo tuo fastidio absolutus, futurumq; est vt de te male iudicent, et aduersum te indignētur, siqui forte extiterint, quibus prior ille noster labor non videbatur improbandus: aut ego tāquam promissionis immemor, leuitatis arguar ac vanitatis: audiamq; a subsanantib⁹ quod aduersum vanos homines proferri solet. Pollicitis diues quilibet esse potest. Et illud, Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Accedit ad hanc necessitatem, studiosorum plurimorum, tum nostratium, tum externorū, pia et importuna quędam sedulitas: qui ab eo tempore quo prior ille labor sub oculos hominum exijt in lucem, partim verbis, partim literis, promissi me admonere, atq; ad satisfaciendum illi, quam ex meis verbis concepisse se asserunt, expectationi perurgere atq; impellere hactenus nō desistunt. Alijs quidem humili prece id a me fieri postulantibus, alijs pia charitate pro cōmuni bono & studijs honestis adiuuandis pia charitate efflagitātibus, nonnullis etiam quasi debitum, rigorosa quadam iustitię seueritate exigentibus. Proinde vt matrem de me optime meritā ab iniqua suspitione liberarem, & meum ipsius humile nomen a leuitatis & vanitatis nota defenderem, studiosorum quoque expectationi maturius satisfacerem, & (quę primo loco erat causa proferenda) promouendis liberalibus studijs, hoc sane tempore quo omnia ab hereticis contaminantur & commiscentur, ad Ecclesię & veritatis catholicę defensionem permaxime necessarijs, pro mea virili nonnihil conferrem: visum est non vltra differre propositi promissiq; adimpletionem, quā neque hactenus protraxissem, si per corpusculi imbecillitatem, & ocium a rebus necessarijs, maturius pręstare quod promiseram licuisset. Superiori itaque ęstate corporis viribus vtcunque reparatis, & ocio a rebus magis serijs tantisper, vel cum gratia impetrato, vel cū iniuria quadam succiso, & (vt plane dicam) furtim substracto, animum adijciēs Dialecticarum rerum cōsiderationi, sex libris quicquid

in eis videbatur esse pręcipuũ tentaui comprehendere, illisq; omissis
quę a Dialectica synceritate prorsus aliena videbãtur, ea quę ad rem
faciebãt plane lucideq; quan tũ potui ꝓponere ⁊ explanare curaui: ne
tenelli adolescẽtes rerũ superuacanearũ prolixa multitudine ⁊ inuolu
ta difficultate deterriti, animũ despõderent, relictisq; vtilibus estudijs
ad inania defluerẽt: id quod hactenus nõ paucis euenisse constat. Sẽ
per enim in illa fui sentẽtia, quã ⁊ Socrati apud Platonẽ inuento ꝓ-
batã, melius esse pauca quędã ordinate ⁊ lucide ꝓponere, q̃ multa sine
ordine cõuoluta obscure profundere. Quo vero tuis alumnis noster
hic labor foret vtilior illũ fere in omnibꝰ ordinẽ sumus insequuti, qui
est apud Aristotelẽ M. Tul. iudicio totius Dialecticę principẽ: quo
idẽ ille dicit nihil esse acutius, nihil politius: cui admirabilẽ tribuit sci
entiã ⁊ inuẽtionẽ, incredibilẽ quoq; dicẽdi copiã ⁊ suauitatem: quẽ de
niq; tãti ille facit, vt nec vẽla dignos putet philosophos illos, quibꝰ tã
tꝰ phꝰ esset incognitus. Et nõ immerito pręcęteris omnibꝰ qui Diale
cticã tractauerũt: hũc vnũ a multis seculis Academię cẽsuerit adolescẽtibꝰ
in arte Dialectica instituẽdis ꝓponendũ atq; pręlegẽdũ. Ad cuiꝰ augu-
stam amplitudinem cõpendiosam huius nostri operis breuitatem velut
introductoriam, nos quoq; parauimus. Hunc itaq; nostrum in Diale
cticis laborẽ, quem tuo nomini mater venerãda, omni iure debui nũ-
cupare, precor vt eo animo de manu serui tui ⁊ alumni tui suscipias, quo
priorem illum in Physicis a te fuisse susceptũ, certissimis argumẽtis
fecisti testatum. Bene vale. Louanij. Anno a Christo nato. Millesimo
quingentesimo, Tricesimo tertio, xv. Octobris.

Prologus Apologeticus pro Dialecticæ cæterarum quæ liberalium artium tuenda dignitate.



GLoriosum illud Ecclesię lumen Aurelius Au-
gustinus, in libris quos de ciuitate Dei, pro
Christianę fidei firmamento insignes ⁊ nuuquã
satis laudatos edidit de varijs Ecclesię perse-
quutionibus agens, inter cętera de apostata illo
Juliano Augusto, cuiꝰ egregiam indolem amo Augusti. lib xviij. de ciuit. Dei.
re dominandi (vt idem ille ait) sacrilega ⁊ dete-
standa curiositas perdidit, hoc signanter com-
memorat, atque etiam digno pondere aggrauat
quod publico edicto Christianos vetuerit, artes liberales docere vel
discere. De Juliano (inquit) apostata quid dicturi sunt? An ipse nõ est
Ecclesiam persequutus, qui Christianos liberales artes docere aut dis ij. Cor. ij.
cere vetuit? Cuius quidem propositi rationem illi qui cum Apostolo
cogitationes astute illius Satanę non ignorat, inpromptu erit inue-
nire, atque exponere facillimum. Nimirum aduertens humani gene-
ris inimicus per vim atque potentiam principum, quorum furorem
aduersus Christianum nomem ab initio nascẽtis Ecclesię excitauerat
vsque adeo nihil se ꝓmouere, vt in dies magis magisq̃ xpiani nominis

gloria clauesceret, & fides Christi dilatata pficeret, aliũ excogitauit ille
mille artifex persequendi rationẽ: qua videlicet sapientum huius secu-
li tumidos animos in Christianam simplicitatem excitaret, illorumqz
stilos & calamos in hanc exacueret, vt omnem ingenij vim & totum ar-
tis acumen ad hanc oppugnandam conuerterent. Inter quos vel pri-
mus extitit peruersus ille apostata, qui post abnegatum sacrum Chri-
sti nomen, cuius sacramẽtis fuerat initiatus, vim omnem suę eruditio
nis atque eloquentię, qua ab annis teneris egregie erat institutus, eo
cõtulit, vt semel abiuratam fidem pro sua virili funditus deleret, Chri
stiacq; Ecclesiã: quã ipse perfuga factus iam dereliquerat, solo ęquaret,
radicitusque euerteret. Id quod luce clarius testantur eius virulentis
sima opera, in odium & oppugnationẽ fidei Christianę edita, quorũ fra
gmenta aliquot in libris sanctorum patrum, qui illi᷒ insanię diuino au-
xillio freti restiterunt viriliter, etiamnum visere licet. Ex quibus pau-
culis, facile est conijcere, cuiusmodi illa fuerint plena volumina, quę in
Christum (quẽ cõtumelię gratia Galilęum) & Christianos (quos ab illo
Galilęos nominabat) temeritas eius insana euomuit. Is itaque cũ vide
ret a viris Christianis se nec sapientia nec eloquentia seculari inferio-
ribus, quales ab initio aliquot semper habuit Ecclesia, validius quam
Prou. xxi. existimauerat suis obiectionibus responderi, nec deesse qui insana in
Christum iactata conuitia in furibundum ipsius caput aptissime retor-
querent, qui que (iuxta sapientis verbum) stulto auderent & possent iux
ta stultitiam suam respondere, ne sibi ac suis nimium sapiens videretur
facile aduertit, nõ effecturum se quod conceperat animo, nec posse vo
to potiri, donec inter Christianos vigeret sapientia & eloquentia secu-
li, quibus solis a consequẽdo proposito se impediri existimabat. Sim
Iare. xxiij. plicitatem namque Christiani dogmatis facile superare se posse con-
fidebat: si secularis esset sapientię pręsidio destituta. Hoc itaque animo
illo suggerẽte a quo possidebat, & agitabatur perfida belua, publico edi
cto, ne Christiani liberales artes vel docerẽt vel discerẽt, phibuit. Cuius
quidem impietatis figura quędam, multo ante in Philisthęorum ad-
uersus Israelitas, populum Domini, iniqua machinatione pręmons-
trata est, qui vt populũ Domini secura possessione sub tyrannide sua
continerent, fabrilem artem de terra Israelitica abstulerant, cauentes
ne Israelitę hastam haberent: aut gladium: quibus se aduersus il-
lorum tyrannidem possent defendere. Imitantur vero strenue illud
Hęretici ter- apostatę exemplum, & Philistęorum figuram adimplent, impuden-
rẽs libera- tes hęretici, pręcipue vero hereticorum magistri, quos experientia
les crimi- docet, & liberales artes omnes, & scholas in quibus eiusmodi tra-
nantu. duntur, summo odio persequi, maledictisque & blasphemijs inces-
sere: non alio haud dubie pretextu quam fecerat ille, sed nec dis-
simili animo. In colorem enim aut fucum verius suę impietatis, di-
cebat ille, non decere Christianam simplicitatem ad inuentionibus ho
minum intendere, nec debere strophis dialecticis implicari eos qui p
fessionem tam simplicem vellent sectari. Sicqz astutus ille etiã gratiam
videbatur reposcere, quasi pro insigni beneficio, cũ dolũ pessimũ anim o
meditaret. Ita sane & impij hęretici liberales artes incessunt cõuitijs,
& maledictis dilacerãt: pietatis quidẽ fucũ prętexẽtes, sed animũ mala

cogitatione plenum gestantes. Optarēt enim se solos armis esse muni
tos, ceteros autem omnes inermes remanere: quo facilius in suę impie
tatis ditionem, vt disputationis aut persuasionis efficacia, simplicium ani
mos pertraherent, sueque tyrannidis subiectos retinerent. Prę cete-
ris vero Dialecticam odio irreconciliabili persequuntur: propterea
quod inter omnes nulla sit, adeo illorum proposito aduersa, quę sic il-
lorum fraudes detegit, nodos dissoluit, aperit laqueos, persuasiones
annihilat. Hac nimirum ratione, vt (iuxta Comici verbum) semper odiũ
parit veritas, Dialecticam illi criminantur & calumniantur, quasi cum
simplicitate Christiana pugnantem: multisq́ʒ alijs rationibus & confi-
ctis falsis calumnijs, ingenuos adolescentes dehortantur, ne illi ani-
mum dedant: simplicibusque persuadent parentibus, ne suos liberos ta
libus destinent studijs. Sunt vero & alij non pauci Dialecticę cęterarũ
que liberalium artium studijs non tam ex affectus peruersitate, quam
ex ignorantia & imperitia rerumq́ʒ inexperientia detrahentes: qui cum
neque Dialecticę verum vsum neque traditionis eius modum nouerit
audent tamen egregij homines passim apud ineruditos simplicisq́ʒ &
inexpertos adolescentes, eam irridere, quasi ieiunam, spinosam, horri-
dam, squalidam, sterilem, inamoenã, inutilem, nomine etiam odioso so-
phisticam eam appellãtes. Quos si interroges quid Dialectica, aut
quid sophistica, & quid ab inuicem hę differant, mutos inuenies, & quę
damnauerint aut comparauerint non intellexisse, cõperies. Qui si eru
ditissimorum & probatissimorum authorum de illa sententiam diligen-
ter expendissent, & rerum iustam haberent experientiam, non sic adoles
centum animos corrumperent, neque ab optimis & vtilissimis studijs
auocarent. Cum itaque hac nostra tempestate quamplurimos eiusmo-
di liberalium artium, peculiariter vero Dialecticę calumniatores, pa
ssim inueniri constet, quorum falsis persuasionibus bonam partem a-
dolescentum, eorum maxime de quibus amplior aliqua spes bonę fru-
gis videbatur expectãda, misere perire, quotidiana (proh dolor) expe-
rientia apertius monstret, quam vt dissimulare liceat, visũ est nobis, in
huius nostri operis initio quod de consideratione Dialectica ad com
munem studiosorum vtilitatem conscripsimus. Dialecticę dignita-
tem & authoritatem aduersum calumniantes tueri atque defendere: non
quidem studio contentionis sed eo tantum animo, vt qui forte per ig
norantiam aut inexperientiam minus bene de Dialectica senserint, &
minus recte loquuti fuerint, cognita veritate, desinant male sentire, de
sinãt & maledicere. Quia vero ad tantę rei persuasionem, nostram ora-
tionem sciebamus nequaquam sufficere, visum est ex clarissimorum &
omnium iudicio eruditissimorum authorum sententijs id agere: quo-
rum tanta est apud omnes eruditos ęstimatio, tanta authoritas, vt refra
gari illis nemo audeat. Proinde, annotatis ex varijs auctoribus no
tatu dignis sententijs: quę ad Dialetice commendationem facere vi-
debantur, eas in hunc locum congessimus, sicque per titulos & capi
ta certo quodam ordine (quantum commode in tam cõfusa diuersarum
rerum sylua fieri potuit) digessimus, vt quasi vna perpetua videri pos
sit oratio, quę ex tam varijs est partibus contexta. Poteram forsitan

et nos propria qualicunque oratione, Dialecticam vtcunque commẽdare, & eius multiplicem explicare vtilitatẽ, dignitatẽq; exponere. Ac tum illud putabamus, fore vtilius, si quę a nobis fuerant dicẽda, ea ex grauissimorum authorũ & Christianorum & gentilium ore proferrẽtur. Obsecro igitur eos ad quos noster hic labor perueniet, vt maturo iudicio ijs quę infra subijcientur sententijs expensis, bonas artes discant magnifacere, desinãtque simplices studiosorum adolescentum animos ab ijs quę ex re ipsorum sunt auertere. Quod si forte ab illis nequiuero obtinere, qui animum obfirmauerunt aduersus bona studia, spero tamen adolescentes ipsos nostra hac diligentia post hac cautiores futuros, & tam graui tamque multiplici authoritate pręmonitos non ita facile male suadentibus aures prębituros. Neque enim tam sine iudicio esse poterunt, quin facile aduertent, quę a pręclarissimis viris tam magnopere sunt cõmendata, atque in tãto precio habita, ad hominis vnius vulgaris, vel imperiti vel inexperti iudicium, non esse cõtemnenda. Sed nos iam ad rem accedamus.

Sententiæ quædam clarissimorum virorum tum Christianorum, tum Gentilium, ex ipsorum eruditissimis libris huc congestæ, atque per titulos & capita certo quodam ordine digestæ, pro Dialecticæ cetærarumque liberalium artium tuẽda dignitate.

Caput primum.

Diuinus plato magnifice sẽtit de dialectica.



Vam magnifice diuinus Plato de Dialectica senserit: suoq; illo ore in Philosophia (vt Augustinus ait) purgatissimo & lucidissimo pronũciauerit, in dialogo qui Phedrus inscribitur, Socratem pręceptorem suum introducit cum Phedro ita loquentem, Harum ergo diuisionũ collectionumque, o Phedre, amicus sum, vt & intelligendi & loquendi sim compos. Ac si quẽ alium posse arbitror, tum ad vnum, tum ad multa, pro rerum natura respicere, huius a tergo tanquam Dei vestigia sequor. Atque eos qui id facere possunt, hactenus voco Dialecticos. Cõsentitque mox Phedrus, recte artem hanc Dialecticam apellari, dicẽs.

Pericles ob Dialecticę & physicę peritiã orator insignis.

In eodem dialogo de Pericle insigni oratore cum Phedro colloquens Socrates.

Videtur, inquit, nõ iniuria Pericles oratorum omniũ perfectissimus extitisse, magnę enim quęlibet artes, exercitatione Dialectica, contemplationeque sublimium in natura rerum, indigent. Ipsa enim mentis sublimitas, & vis efficax in qualibet re perficienda, hinc quodam modo proficisci videntur: quod Pericles ad ingenij acumen adiunxit. Anaxagore, namque huiusmodi rerum indagatoris familiaritate fretus, contemplationi se tradidit vnde ad dicendi artem quod ipsi videbatur, traduxit.

In dialogo autem septimo in republica vel de iusto Socratem in

ducit mechanicas artes atque etiam mathematicas cum Dialectica cō parantem, vbi hec eius cum Glaucone differentia verba leguntur.

Socrates, Nemo autem aduersabitur nobis dicentibus quod differen di facultas dumtaxat conatur ordine certo circa vnunquodque, quid ipsum sit, inuenire. Siquidem cetere artes (idest mechanice) aut ad opi niones hominum cupiditatesque respiciunt, vel ad generationes ꝛ cō positiones, vel ad culturam eorum que generantur ꝛ corrumpuntur. Reliquę vero, quas diximus verarum rerum quoquo modo partici pes esse. Geometria scilicet eiusque comites, circa ipsam essentiā quo dam modo somniat. sincere autem quicquam ab illis cernere, impossi bile est quousque suppositionibus herent, easque ratas ꝛ immobiles adeo seruant, vt illarum rationem reddere nequeant. Dialectica vero sola sublatis suppositionibus omnibus ad ipsum principium confir mandum pergit, ac reuera animi oculum coeno barbarico obrutū, pau latim sursum trahit ac ducit, tanquam adiutricibus ac ministris, qui busdam vtens his artibus quas narrauimus. — Hoc ipsum est quod in Top. ait Aristo. dialecticam ad omniū methodorum principia habere viam.

Ac deinde nonnullis interpositis.

Legem statuit esse ferendam in republica, qua iubeantur discen tes eam potissimum disciplinam capescere, ex qua ad interrogandum ꝛ respondendum, vt scientem decet, aptissimi sint, quę est Dialectica. Postremo (consentiente in idem Glaucone) Dialecticam doctrinis omnibus velut apicem esse pręposit am dicit, nec vllam doctrinam vl terius aut eminentiorem reperiri, sed hic iam doctrinarum omnium esse finem. — Dialectica per ꝛ finis omniū doctinarū.

¶ In dialogo quoque qui Cratylus inscribitur siue de recta ratione nominum: Dialectici dicit esse officium, imponere rebus nomina, quod is colligere sciat atque diuidere, nec ab alio quā a Dialectico commode id fieri posse existimat.

Caput. ij.

Quod sine Dialectica, Philosophia non potuit esse consumata quodque Dialecticam Plato adiungens scientię naturali ꝛ morali, cō summatam effecerit Philosophiam. Ex Augustino, libro tertio contra Academicos. Capite. xvij. — Augustinus de platone ꝛ Dialectica.

Plato vir sapientissimus ꝛ eruditissimus temporum suorum, qui ꝛ ita loquutus est, vt quęcunque diceret magna fierent: ꝛ ea loquutus est, vt quomodocunque diceret parua non fierent, dicitur post mortem Socratis magistri sui, quem singulariter dilexerat, a Pythagoricis etiam multa didicisse. Pitagoras autem Gręca philosophia non contentus que tunc aut pene nulla erat, aut certe ocultissima postquam commotus Pherecydę cuiusdam. Syri disputationibus, animum esse immortalē credidit, multos sapientes etiam longe lateque paregrinatus audierat. Igitur Plato adijciens lepori subtilitatique, Socraticę, quem in moralibus habuit, naturalium, diuinarumque rerum peritiam, quam ab eis quos memoraui diligenter acceperat, subiungensque quasi formatricem illarum partium iudicemque, Dialecticā, quę aut ipsa esset, aut sine qua sapientia omnino esse non posset, perfectam dicitur cōposuisse Philosophię disciplinam.

His Augustini verbis attestatur Diogenis Laertij sententia, in libro.

de vita Philosophorum, cuius in descriptione vitę Platonis, hęc
sunt verba.

Diogenes Laertius.

Et olim in tragoedia, pri⁹ quidem solus chor⁹ agebat postmodū
vero Thespis vnū inuenit histrionē, vt chor⁹ interdū requiesceret: secū
dū postea AEschylus adiecit, ⁊ tertiū Sophocles, atq̄ in hunc modū tra
goedia consummata est: ita ⁊ Philosophię ratio dudum circa vnā tan
tum Physicę speciem versabatur. Accessit Socrates ⁊ adiecit Ethicen.
Tertiam Plato Dialecticen addidit, ⁊ consummato Philisophię ope
ri extremam manum apposuit.

Caput. iij.

Quę necessitas ad Dialecticę artis inuētionē veteres induxerit. Ex
Seuerino Boetio, in conmentarijs super Topica Ciceronis.

Seuerin⁹. Boetius

CUm Philosophia maximis in rebus operam studiumq̄ consumat
cumque ⁊ in naturalibus inspectionem especulationemque adhibe
at, ⁊ in moralibus actionem, ⁊ sic formare gestiat mores, vt ve
ra vitę ratio persuaserit, euenire necesse est, vt secundum id quod ratio
tenendum omittendum ve, faciendum quoque aut non faciendum esse
decreuerit, vel iudicium constituatur, vel exercendę vitę dirigatur intē
tio. Erit igitur necessarium, vel in naturali speculatione, vel in moraliū
actionum cogitatione, vt certa ratio vel quod in rebus speculandum
est inueniat, vel quod in actum viuendi duci oporteat ante perpendat.
Hęc autem ratio, nisi via quadam processerit, sępe in multos necesse est
labatur errores. Quod ne passim fieret, atque vt certis regulis tracta
tus insisteret, visum est antiquę Philosophię ducibus, vt ipsarum rati-
ocinationū quibus aliquid inquirendum esset naturā penitus ante dis-
cuterent: vt his purgatis atque compositis: vel in speculatione verita-
tis: vel exercendis virtutibus vteremur. Hęc est igitur disciplina, quasi
differendi quędam magistra: quam Logicen veteres Peripatetici appe
llauerunt: quam Cicero definiens, differendi diligentem rationem vo-
cauit, Stoici vero Dialecticam eam nuncupauerunt.

Dialectica differendi magistra.

His per omnia consonant quę vir in diuinis ⁊ humanis lite-
ris egregie eruditus: Hugo a Sancto Victore libro primo Didascali
cę eruditionis scribit, in hunc modum.

Hugo a. s. Victore.

Cum veteres multis sępe lapsi erroribus, falsa quędam ⁊ sibi cōtra
ria in disputatione colligerent, atque id fieri impossibile videretur: vt
de eadem re contraria conclusione facta vtraque essent vera, quę sibi dis
cutiēs ratio cōclusisset, cui ve ratiocinationi credi oporteret, esset ābi
guum, visum est prius disputationis ipsius verā atque integram cōside
rare naturam, qua cognita, tum illud quoque quod per disputationē
inueniretur, an vere esset comprehensum posset intelligi, Hinc igitur p
fecta Logicę peritia disciplinę, quę disputandi modos atq̄ ipsas ratio
cinationes internoscēdi vias parat: vt quę ratiocinatio nūc quidē vera
nūc autē falsa, quę vero semper falsa, quę nūq̄m falsa: possit agnosci. Hęc
tēpore quidē est postrema, sed ordine prima. Hęc enim inchoantibus
prima legēda ē: ꝓpterea quod in ea docetur vocū atque intellectuū natu
ra, sine q̄b⁹ null⁹ Philosophię tractat⁹ rationabiliter explicari potest.

Caput. iiij.

Dialecticam cęteris artibus inueniendis atque formandis esse necessariam.

¶ Augustinus in libro de ordine.

Augustin.

Illo, inquit, modo perfecta dispositaq; Grāmatica, ad monita est ratio quęrere hāc ipsam vim quę pepererat artē, Nam definiendo, distribuēdo, colligendo: nō solum digesserat Grammaticam atque ordinauerat, verumetiā ab omni falsitatis irreptine defenderat. Quando ergo ratio ad alia fabricanda transiret: nisi sua ipsa prius machinamenta distingueret, notaret, digereret, pderet que ipsam disciplinā disciplinarum, quam Dialecticam vocant? Hęc docet docerē, hęc docet discere. In hac seipsam ratio sibi demonstrat, quę scit, quid velit quid valeat. Scit autem scire, vult sola scientes facere: nec solum vult sed etiam potest.

Dialectica disciplina disciplinarum

Eandem sententiam Crassus apud Ciceronē primo libro de Oratore pronunciat, his verbis.

Cicero.

Nihil est quod ad artē redigi possit, nisi ille prius qui illa tenet quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam, vt ex ijs rebus quarū ars nondum sit, artem efficere possit, Hoc video, dum breuiter voluerim dicere, dictum a me esse paulo obscurius. Sed experiar, & dicam, si potero planius. Omnia fere quę sunt conclusa nunc artibus, dispersa & dissipata quondam fuerunt: vt in Musicis, & numeri & voces & modi: in Geometria, lineamēta, formę, interualla magnitudines, in Astrologia, coeli conuersio, ortus, obitus, motusque syderum: in Grammaticis, Poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam sonus, In hac denique ipsa ratione dicendi, excogitare, ornare, disponere, meminisse, agere, ignota quędā omnibus & diffusa late videbantur. Adhibita est igitur ars quędam extrinsecus, ex alio genere quodam, quod sibi totū Philosophi assumunt quę rem dissolutam conuulsamque conglutinaret & ratione quadam constringeret.

Quod autem hanc artem Dialecticam velit dicere: ex alio eiusdem authoris opere monstratur apertius, quod de claris oratoribus inscribitur: vbi de Seruio. Sulpit. loquens, hunc in modum Bruto interroganti ipse respondet. Sic enim (inquam) Brute: existimo, iuris ciuilis magnum vsum, & apud Scęuolam & apud multos fuisse, artem in hoc vno: quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam prę terea didicisset artem, quę doceret rem vniuersam distribuere in partes, latentem explicare diffiniendo, obscuram explanare interpretando ambigua primū videre, deinde distinguere. Postremo habere regulam qua vera & falsa iudicarentur, & quę quibus propositis essent quęque nō essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artiū maximam, quasi lucem, ad ea quę confuse ab alijs aut respondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte, inquam intelligis.

Scęuola ob dialecticę peritiā, cęteros iniuris cognitione excelluit.

dialectica omniū artiū maxima

Hanc quoque sententiam confirmant, quę nostrorum fere temporum vir eruditissimus, Rodolphus Agricola, libro secundo de

Rodolphus Agricola.

scribit in hunc modum. Aristoteles, quique post eum alij, Dialectica instructi fuere, facile suis libris ostendunt, quam magnus sit vsus eius ⁊ quam tractandis omnibus rebus accommodatus: vt que sine ea non solum singula, de quibus in artium decursu dubitaretur explicari nequirent, sed ne artes quidem colligi possent, ⁊ in hanc quam acceperunt redigi formam. Hec est illa scientia, quam apud Ciceronem Crassus necessariam formandis artibus putauit, quamque cupit esse in iure cõsultis, quo non essent apud eos omnia actorum similia. Quesitum est a Titio, ⁊ Labeo ait, etiam Celsus respõdit, ⁊ apud Trebatiũ scriptũ est.

quã Dialecticen in iure cõsultis desyderat Cicero.

Ex his obiter discimus, etiam iuris ciuilis studiosis, Dialecticam apprime conducere, maximamque ad illud lucẽ adferre: id quod ⁊ Quintilianus videtur indicare, libro duodecimo oratoriarũ institutionum, loquens in hunc modum.

Quintilianus.

Quid? Nonne questio iuris omnis, aut verborum proprietate, aut equi disputatione, aut voluntatis coniectura continetur: quorum pars ad rationalem (Dialecticam dicit) pars ad moralem tractatum redundat. Ergo natura permixta est omnibus istis oratio, q̃ quidẽ oratio est vere. Ne ignara quidem huiusce doctrinę loquacitas erret necesse est: vt quę nullos vel falsos habeat duces.

Caput. v.

Quanti Dialecticam fecerint veteres illi Stoici, ex Diogene Laertio, de vita Philosophorum.

Stoicorũ sententia ex Diogene Laertio.

Absque Dialecticę speculatione, sapientẽ dicunt in oratione sine lapsu non futurum. Quippe ex illa dignosci verum atque falsum probabile item ⁊ quod ambigue dicatur intelligi, Ea remota, iam non licet rite interrogare atq; respõdere, sed pertingere eam quę in negationibus est temeritatẽ, ad ea etiam quę fiunt, adeo, vt in absurditatem ac vanitatem vertatur, qui phantasias minime exercitas habet, neque aliter acutum ⁊ ingeniosum cautumque omnino in dicendo ⁊ fore ⁊ visum iri sapientem, Eiusdem enim esse, recte loqui recteque cogitare, eiusdemque, ad ea quę proponuntur disserere, ⁊ ad ea quę interrogãtur respondere, quę sint omnia viri Dialecticę periti.

Ex eodem.

Huiusmodi sunt in logicis Stoici, vt maxime asserant, Dialecticũ solum esse sapientem. Omnes enim res per eam quę in verbis est speculationem cerni, quęque ad naturam pertinent, ⁊ quę rursum ad mores logicę egere adminiculo.

Ex eodem.

Stoicorũ pulchra cõparatio.

Enimuero Philosophiam animãti similem dicunt, ossibus ac neruis Logicem, carnibus Ethicẽ, animę Physicen conferentes. Siue rursus ouo: esse quippe superficiem (id est, testam) Logicem, sequentia Ethicen, intima ⁊ penitus abstrusa Physicen. Sunt qui agro frugifero: quippe circumiectam sepem, Logecen: fructum Ethicen. humũ ac arbores Physicen. Non nulli ciuitati muris optime septę, ac pulcre ex dignitate administrate.

¶In qua Stoicorum comparatione illud est diligenter notandum, Dialecticam vbique comparari iis per quę alia continentur, corroborantur, subsistentantur, finiuntur, muniuntur, & defenduntur, vt pote ossibus & neruis, teste oui, sepi agrum, aut muro ciuitatem circundanti. Videlicet vt indicetur his comparationibus, quod aperte asserit Rodolphus, Dialecticam esse ducem, directricem, atque stabilitricem cęterarum artium, & sine cuius pręiudicio tueri fines suos reliquę non satis commode possent.

Rodol. Agricola.

Apud Ciceronem libro tertio de finibus bonorū Cato refert Dialecticam & Phisicam a Stoicis inter virtutes esse numeratas, & rationem eius reddit apertius. Ad eas, inquit, virtutes de quibus disputatum est, Dialecticam etiam Stoici adiungunt & Physicā, easque ambas virtutum nomine apellant. Alteram quod habeat rationem, ne cui falso assentiamur, ne ve vnquam captiosa probabilitate fallamur, eaque quę de bonis & malis diceremus tenere tueriq̄ possimus. Nam sine hac arte, quemuis arbitramur a vero abduci fallique posse. Recte igitur si omnibus in rebus temeritas ignoratioque vitiosa est, ab his ea quę tollit hęc, virtus nominata est. Physicę quoque non sine causa idem tributus est honos. ¶Hactenus Stoicorum de dialectica protulimus sententiam: quam illi quidem tanti fecerunt cum non nisi altera eius pars, & ea quidē naturę ordine posterior, ab eis fuerit cognita, id quod manifestissime Cicero testatur in Topicis, ad Trebatiū ita scribens.

Dialecticā & Physicā Stoici virtutes appellat.

Ex Cicerone in Topicis.

Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes, alteram inueniendi, alteram iudicandi, vtriusque princeps (vt mihi quidē videtur) Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaborauerunt. Iudicandi enim vias diligenter prescrutati sunt, eam scientiam quam Dialecticen appellant. Inueniendi vero artem quę Topice dicitur, quę ad vsum potior erat, & ordine naturę certe prior, totam reliquerunt.

Cici de duabus dialecticę partibus.

Idem libro quarto de Finibus bonorum, Catoni qui de Stoicorum secta erat, respondens, sic ait.

Cum duę sint artes quibus perfecte ratio & oratio cōpleatur, vna inueniendi, altera disserendi, hanc posteriorem & Stoici & Peripatetici: priorem autem hi egregie tradiderunt, illi omnino ne attigerunt quidem. Nam e quibus locis quasi e thesauris argumenta depromerentur vestri ne suspicati quidem sunt, superiores autem artificio & via tradiderunt. Hęc ille. ¶Quanto ergo pluris nunc est faciēda Dialectica, quę pręter istam Stoicorum disciplinam, alteram continet, & quasi nouam inueniendi artem, vsu potiorem, & natura priorem, quam Aristoteles pluribus libris tradidit, & de qua sola nostris fere temporibus, homo doctissimus Rodolphus Agricola, tres libros conscripsit, ab eruditis omnibus maxime laudatos.

Cato Stoicus Dialect, & Physicam inter virtutes numerat.

Caput. vj.

Quod dialectica admodum coniunctam habeat eloquētiam artē que dicendi. Ex Quintiliano libro secundo oratoriarum institutionum.

Quintil. DVo (inquit) genera sunt orationis, altera perpetua, quę Rhetorice dicitur: altera concisa, quę Dialectice: quas quidem ita Zenon coniunxit, vt hanc compresse in pugnum manus, illam explicitę diceret similem.

In eãdem sententiam ⁊ Cicero scribit libro secundo de finibus bonorum ⁊ malorum.

Cicero. Zenonis est, inquam, hoc Stoici, omnem vim loquendi, in duas tributam esse partes dicere, Rhetoricam palme, Dialecticam pugno similem esse dicebat: quod latius loquerentur Rhetores, Dialectici autem contractius. Idem in libro de perfecto oratore.

Apta Zenonis comparatio. Zeno quidem ille a quo disciplina Stoicorum est, manu demõstrare solebat quid inter has artes (Dialecticam ⁊ Rhetoricam) interesset. Nam cum compresserat digitos, pugnumq; fecerat, Dialecticam aiebat eiusmodi esse: cum autem deduxerat ⁊ manum dilatauerat, palmę illius similem esse eloquentiam dicebat.

Aristote. Atque etiam ante hũc Aristoteles in principio artis Rhetoricę dicit illam artem quasi ex altera parte respondere Dialecticę: vt hoc videlicet differãt inter se, quod hęc ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior.

Caput. vij.

QVod absque Dialectica ⁊ philosophia nemo perfectam assequi possit eloquentiam, nec Rhetor esse sine philosophia. Ex Cicerone lib. j. de perfecto oratore Platonis ⁊ aliorum Philosophorum disputationibus ⁊ exagitatus maxime orator est, ⁊ adiutus. Omnis enim vbertas ⁊ quasi sylua dicendi, ducta ab illis est.

Rursum.

Orator debet esse Philoso. Positum sit egitur imprimis, quod post magis intelligetur, sine Philosophia non posse effici, quem quęrimus eloquentem. Nam nec latius nec copiosius de magnis variisq; rebus, sine philosophia potest quisquam dicere. Nec vero sine Philosophorum disciplina genus ⁊ speciem cuiusque rei cernere neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus, nec iudicare quę vera quę falsa sint, neq; cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere.

Expressius etiam ⁊ distinctius postmodum illa declarat, cum post multa eodem in libro de oratore tractata, ista subiungit.

Orator sit Dialecticus. Esse igitur perfectę eloquentis puto, nã eam solum facultatem habere quę sit eius propria, fuse lateque dicendi, sed etiam vicinam eius atque finitimam Dialecticorum scientiam assumere.

Et rursum post pauca.

Hęc omnia sola docet Dialectica. Nam ⁊ ipse Aristoteles tradidit pręcepta plurima differendi, ⁊ postea qui Dialectici dicuntur, spiniosiora multa pepererunt. Ergo cum censeo qui eloquentię laude ducatur, non esse earum rerum omnino rudem, sed vel illa antiqua, vel hac Crysippi disciplina institutus, nouerit primum vim, natura, genera verborum ⁊ simplicium ⁊ copulatorum. Deinde quot modis quidque dicatur, qua ratione verum falsum ve sit iudicetur: quid efficiatur e quoq;, quod quique consequens sit quodque cõtrarium. Cumq; ambigue multa dicantur, quo modo quidq; eorũ diuidi explanariq; oporteat. Hęc tenenda sunt oratori

sepe enim occurrunt: sed quia sponte sua squalidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidã orationis nitor. Et quoniam in omnibus que ratione docentur ⁊ via, primum constituendũ est, quid quidq; sit (Nisi enim inter eos qui disceptent conuenit, quid sit illud de quo ambigitur, nec recte disseri, nec vnquam ad exitum perueniri potest) explicanda est sepe verbis mens nostra de quaque re, atque inuolupte rei notitia definiendo est aperienda. Siquidem deffinitio est oratio, que quid sit id de quo agitur, ostendit breuissime. Cum vt scis, explicato genere cuiusque rei, videndum est, que sint eius generis, siue forme, siue partes vt in eas distribuatur omnis oratio. Erit igitur hec facultas ei quem volumus esse eloquentem, vt diffinere rem possit. Idem que etiam cum res postulabit genus vniuersum in species certas, vt nulla neque preter mittatur neque redundet, partietur ac diuidet.

Quam denique sententiam ita concludit.

Nec vero Dialecticis modo sit instructus: sed habeat omnes Philosophie notos ⁊ tractatos locos.

Suprapositę Marci Tullij sententię aperte subscribit Quintilia. lib. xij. oratoriarum institutionum de scientia diuinarum humanarũ que rerum loquens.

Que quidem, inquiens, cum sit in tres diuisa partes, naturalem, moralem, ⁊ rationalem, que tandem non est cum oratoris opere coniuncta? Nam (vt ordinem retro agamus) de vltima illa que tota versatur in verbis, nemo dubitauerit, ⁊ proprietates vocis cuiusq; nosse, ⁊ ambigua aperire, ⁊ perplexa discernere, ⁊ de falsis iudicare, ⁊ colligere ac resoluere que velis, oratoris esse: quanquam non est tam minute atq; concise in actionibus vtendum, quam in disputationibus. Quintili.

Ac post pauca quam velit artẽ proprio nomine apertissime explicans, subiungit.

Potera hec (inquit) Dialectica, siue illam dicere malimus disputatricẽ, vtilis est sepe ⁊ definitionibus ⁊ comprehensionibus, ⁊ separandis que sunt differentia, ⁊ resoluenda ambiguitate, ⁊ distinguendo, diuidẽdo, illiciendo, implicando.

Caput. viij.

Quod Oratorũ preclarissimi philosophie, ⁊ peculiariter Dialectice studia coluerint. Quintilia. oratoriarum institutionum libro. xij. Quintil.

Que deniq; inquit, intelligi saltem potest eloquẽtia hominis optima nescientis? Hec si ratione manifesta non essent, exẽplis tamen crederemus. Siquidem ⁊ Periclem, cuius eloquẽtie ⁊ si nulla ad nos monimenta venerunt: vim tamen quandem incredibilem, tum historici, tũ etiã liberrimũ genus hominus Comici veteres tradunt: Anaxagore Physici constat auditorem fuisse, ⁊ Demosthenem principem omnium Grecie oratorum dedisse operam Platoni. Nam M. Tull. non tantum se debere scholis Rhetorum, quantum Academie spatijs, frequenter ipse testatus est. Neque se tanta in eo vnquam fudisset vbertas: si ingenium suo consepto fori, non ipsius rerum nature finibus terminasset. Pericles. Demosthe Cicero.

Quid hic vltimo loco dicit Quintilianus, ipse de se Cicero verũ, esse testatur, in prefatione libri de oratore. Ego autẽ (inquit) ⁊ me sepe noua videri dicere intelligo, cũ preterea dicã, sed inaudita plerisq;

Cice. ꝺ philosophia magis quã de rethorica gloriatur.

Locus is est quem supra citauimus.

⁊ fateor ⁊ me, oratorem (si modo sim, aut etiam quicunq; sim) non ex Rhetorum officinis, sed ex Academię spatijs extitisse.

Eodem in loco ⁊ quę de Pericle dicta sunt atq; Demosthene, confirmat his verbis.

In Phędro Platonis hoc Periclem pręstitisse cęteris dicit oratoribus Socrates, quod is Anaxagorę physici fuerit auditor, a quo censet eum, cum alia pręclara quędam ⁊ magnifica didicisset, vberem ⁊ foecundum fuisse gnarum ꝓ (quod est eloquentię maximum) quibus orationis modis, quęque animorum partes pellerentur. Quod idem de Demosthene existimari potest, cuius ex epistolis intelligi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor.

Diodor. Ciceronis in dialectica pręceptor.

In libro vero de claris oratoribus, cum Bruto suo colloquens, etiam pręceptoris sui nomen exprimit, quo in Dialecticis est vsus. Eram, inquiens, cum Stoico Diodoro, qui cũ habitauisset apud me, mecumque vixisset, nuper est domi meę mortuus, a quo cum alijs in rebus, tum studiosissime in Dialectica exercebar, quę quasi contracta ⁊ astricta quędam eloquentia putanda est, sine qua etiam tu Brute iudicauisti te illam iustam eloquentiam, quam Dialecticam dilatatam putãt consequi non posse.

Caput .ix.

Lactant. de Epicuro dialectices contemptore.

Quomodo sui cõtemptum vlciscatur Dialectica, vel in vno Epicuro foedissimę voluptatis assertore (sic eũ Lactantius Firmianus digno appellat nomine) luce clarius cernitur: qui illã prorsus contemnens, ⁊ vt transuersum agentem (quomodo Diogenes Laertius ait) prorsus repudians, in foedos lapsus est errores, de quo Tullius libro secundo de finibus bonorum ⁊ malorum, Torquato colloquens, ita ait.

Cicer. Epicuri errores imputat contemptui dialectices.

Dum Dialecticam, Torquate, contemnit Epicurus, quę vna continet omnem ⁊ perspiciendi quid in quaque re sit scientiam, ⁊ iudicandi quale quidque sit, hac ratione ⁊ via disputandi ruit in dicendo, vt mihi quidem videtur, nec ea quę dicit vlla vult arte distingui.

Confirmant hanc Ciceronis sententiam, quę ab Hugone a sancto Victore scribuntur libro primo didascalicę eruditionis in hũc modum.

Hugo a sancto Victore.

Cetere artes prius repertę fuerant, sed necesse fuit Logicam quoq; inueniri, quoniam nemo de rebus conuenienter disserere potest, nisi prius recte loquendi rationem agnouerit. Nam sicut dicit Boetius, cum primitus antiqui circa rerum naturas ⁊ morum qualitates inuestigandas operam impenderent necesse fuit sępe falli eos, quia vocum ⁊ intellectum discretionem non habebant: vt in multis euenit Epicuro qui atomis mundum consistere putat, ⁊ honestum voluptate metitur. Hoc autem ideirco huic ac alijs accidisse manifestum est, quoniã disputando quicquid ratiotinatione comprehenderant, hoc in res ipsas quoque euenire arbitrabantur. Hic vero magnus est error. Neq; enim quicquid sermonum discursus ratiocinando inuenerit, id in natura fixum tenetur. Quare necesse est falli eos qui abiecta scientia disputandi, de rerum natura perquirerent. Nisi enim prius ad scientiam

venerit,

quę ratiocinatio veram teneat semitam disputandi, quę verissimilem agnouerit, si quę fida & quę possit esse suspecta, rerum incorrupta veritas ex ratiocinatione non poterit inueniri.

Atque illud etiam magis Dialecticę in veri inuestigatione necessitatem indicat, quod hi quoque qui eius videri volebant contemptores, aliquid ipsi simile confingebat, quo eius loco se vti dicerent. Idquod de Epicureis aperte testatur diuus Augustinus lib. j. contra Cresconium Grammaticum capit. xiij.

Nosti, inquit, quam maxime apud Stoicos viguisse Dialecticā, quā nisi ipsi Epicurei, quos imperitia liberalium disciplinarum non solum non pudebat, verumetiam delectabat, quasdam quasi disputandi regulas, quib^9 quisque vsus minime falleretur, se poti^9 enerex doce re iactabat. Quid enim est aliud Dialectica quam peritia disputandi? — Augus. de Epicureis.

Errores autem Epicurie in quos per inscitiam ratiocinandi videtur incidisse, Lactantius Firmianus lib. iij. diuinarum institutionū summatim enarrat his verbis.

A rebispirata quidam, vel latronum ductor, si suos ad grassandū cohortatur, quo alio sermone vti potest, quam vt eadem dicat quę dicit Epicurus? Deos nihil curare, non ira, non gratia tangi: inferorū poenas non esse metuendas, quod animę post mortem occidāt, nec vlli omnino sint inferi: voluptatem summum esse bonum, nullam esse humanam societatem, sibi quemque consulere, neminem esse qui alterum diligat nisi sui causa. Est plane, cur quisquam putet hanc vocem esse viri sapientis, quę potest aptissime latronibus accommodari. — Lactanti. de errorib^9 Epicure.

Caput. x.

Quod naturę non ita sit fidendum, vt propterea ars ipsa Dialecticę vel contemnatur vel negligatur, id quod pleriq; faciunt. Ex Cicerone libro quarto de finibus bonorum atque malorum.

Quod & si ingenijs magnis prędit quidam dicēdi copiam sine ratione consequuntur, ars tamen est dux certior, quam natura. Aliud est enim, poetarum more verba fundere, aliud ea quę dicas ratione & arte distinguere. — Ars natura certior.

In dialogo quoque Platonis qui Phędr^9 inscribitur, Socrates de Rethorica (quę tamen minus videtur arte indigere) idem pronūciat: vbi a Phędro interrogatus, quo modo & vnde veri oratoris artem sibi posset vendicare, ita respondet.

Consentaneum est, o Phędre, forte etiam necessarium, quē admodum in ceteris rebus, ita & in hoc certamine peragendo perfectum esse. Quippe si tibi natura vt sis orator tribuerit, accedente doctrina & exercitatione excellens eris orator. Si quid vero horum tibi defuerit, mācus eris. Cōsentit & Quint. lib. ij. oratoriarū institutionū. — Plato.

Consummatos, inquiens in arte, plus doctrinę debere, quam naturę puto: sicut in solo foecundo, plus cultor quam ipsa per se bonitas soli efficiet. — Quintil.

Pulchre quoque hac de re generali sermone, quantum ad omnes artes, differit vir eximius Hugo a sancto Victore libro primo Didascalicę eruditionis, cuius eo in loco hęc sunt verba. — Hugo a sancto Victo.

Omnes scientię prius erāt in vsu quam in arte. Sed considerantes deinde homines vsum posse in artem conuerti, ꝛ quod vagum fuerat ac licentiosum prius, certis regulis ꝛ pręceptis posse restringi, coeperunt consuetudinem quę partim natura, partim vsu exorta fuerat, ad artem reducere, quod prauum habebat vsum emendantes, quod minus habebat supplentes, quod superfluum habebat resecantes, ꝛ de cęteris singulis certas regulas ac pręcepta pręscribentes. Huiusmodi fuit origo omnium artium. Priusquam esset Grammatica ꝛ scribebat ꝛ loquebātur homines. Priusquam esset Dialectica ratiocinando verum a falso discernebant. Priusquam esset Rhetorica, iura ciuilia tractabant. Priusquam esset Arithmetica, vsum numerandi habebant. Priusquam esset Musica, canebant. Priusquam esset Geometria, agros mensurabant. Priusquam esset Astronomia

Ars vsu melior. per cursus stellarum temporum discretiones capiebant. Superuenerunt artes quę licet ab vsu principium sumpserunt, vsu tamen meliores sunt.

Eandem hanc quęstionem prolixe simul ꝛ erudite tractat Rodolphus Agricola libro secundo de inuentione cap. v. Cuius etiam verba (vt certior sit veritati nouis atque veteribus comprobatę fides) hic non pigebit annotare. Primum itaque quęstionem mouet.

Quid ergo? dicit aliquis. Nonne ꝛ ante inuentam Dialecticen fuerunt artes, ꝛ disputatum est, ꝛ inuentum est verum? Et nunc quoque quotusquisque eorum qui disputant Dialecticen tenet? Deinde quęstioni respondet: Non est, inquiens, quod negem, hęc ita esse.

Rodolph. Agric. de vsu ꝛ arte. Illi tamen quod Dialectice docet, ꝛ faciunt, ꝛ fecerunt, multo commodius si hanc didicissent, fortasse facturi. Quemadmodum ꝛ ante traditam Rhetoricen diserti viri fuerunt, ꝛ priusquam literis comprehensa est, musice cecinerunt homines. Nec Hippocrates, vt primus in artis imaginem medicinam coegit, sic ꝛ primus cognouit morbum, profutura meditatus est, ęgrum leuauit. Facta sunt hęc, antequam artes fierent, ꝛ ob idipsum quod crebro sunt facta, longa recte secusque factorum annotatione artes esse coepere. Prouenere deinde pręclara ingenia, quę dispersa colligerent, confusa disponerent, explerent imperfecta, rudia perpolirent, ꝛ omnia complecterentur, non modo quę facta essent, sed quę fieri etiam possent. Sic quod casus ante fuerat, coepit de inde ratio esse. Et sequutum est, venō quia factum iam esset aliquid debere fieri, sed quia deberet fieri crederent esse faciendum. Qui priores ergo fuerunt artibus, similia his ipsis quę nunc pręcipiuntur, si quando recte fecerunt, securi sunt, sicut hodie plerique faciunt. quod artis est, sed no ex arte: quippe quam nullam habent: sed vel longa obseruatione, vel ingenij quodam pręstante vigore. Quanto rectius tamen, quanto melius expedirent illa, si certa artium ratione ducerentur? Duratura enim sęcu-

Sententia notatu dignissima. lis ingenia, ꝛ quibus non pręsentes solum plaudant, sed quę omnis posteritas miretur, ea tum demum fiunt, quoties cum optima natura ars perfecta coniungitur. Sic quod Dialectices est, inuenerunt argumenta homines, ꝛ errorem male inuentorum aliquando depre-

hendcrunt, antea quam essent omnia pręcepta illius in artis formā collecta. Aristoteles tamen, quiq; post eum illa instructi fuere, facile libris suis ostendunt, quam magnus sit vsus eius, ⁊ quam tractandis omnibus rebus accommodatus: vtque sine ea non solum singula de quibus in artium decursu dubitaretur explicari nequirent, sed ne artes quidem colligi possent, ⁊ in hanc quam acceperunt redigi formam.

Caput xi.

Quod eruditio Dialecticę cęterarumq; disciplinarum liberaliū a Christiana professione non sit aliena, nec percipiendę veritati prębeat impedimentum. Augustinus lib. iij. contra Academicos, capite decimooctauo.

Eruditio, inquit, artium liberalium, modesta sane atq; succincta, ⁊ alacriores ⁊ perseuerantiores ⁊ comptiores exhibet amatores amplectendę veritati, vt ⁊ ardentius appetant, ⁊ constantius insequantur, ⁊ inhęreant postremo dulcius.

Augusti. de liberalium artiū studijs.

Idem libro primo contra Cresconium Grammaticum, capite vigesimo.

Hanc artē quā Dialecticam vocāt, quę nihil aliud docet, quā consequentia demonstrare, seu vera veris, vel falsa falsis, nunquam doctrina Christiana formidat: sicut eū in Stoicis non formidabat Apostolus, quos secum volentes conferre non respuit. Et ipsa enim fatetur ⁊ verum est, neminem disputando ad conclusionem falsam consequenter impelli, nisi prius consenserit falsis, quibus eadem cōclusio velit nolit efficitur. Ac per hoc, qui cauet ne se loquente consequantur falsa quę non vult, volens falsa caueat quę pręcedunt. Si autem pręcedentibus veris inhęserit, quęcunq; consequentia perspexerit, quę falsa existimabat, vel de quibus dubitabat, admonitus amplectatur, si veritati est pacatissimę amicior quam contentiosissimę vanitati.

Eodem in libro per multa capita ostendit, ⁊ Christum ⁊ Apostolum Paulum, ac cęteros, vsos esse Dialectica in disputando, neque quenquam Dialectice volentem agere cum Christianis esse respuendum. Donatistas quoque illos non rationabiliter agere ostendit, qui dicerent se nec velle nec debere cum eo in disputationem cōgredi, eo quod esset Dialectica arte instructus, eaq; inter disputādum vteretur, ac proinde fugiendum magis ⁊ cauendum quam refellendum reuincendumq; censerent.

Clemens successor Petri insignis ante Christianismum Philosophus lib. j. recognitionum, vbi a Petro interrogatus reddidisset ea quę pridie ab eodem audierat, eaq; tam euidēter narrasset, vt Petrus gaudio perfusus testaretur a Clemente illa euidētius esse reddita, quam a se exposita fuerant: ita pręceptori se collaudanti respondit.

Narrādi ordinē, ⁊ lucidius ea quę res expetit proferēdi, eruditio nobis contulit liberalis: qua si vtamur in antiquitatis erroribus, in perniciem vitę verborum decore ac suauitate decidimus. Si vero

ad asserendam veritatem, eruditionem sermonis, ꝛ gratiam conferamus puto ex hoc non parum vtilitatis acquiri.

Sanctus. Clemens.

Rupertus abbas Tuitiensis, vir diuinarum pariter ꝛ humanarū literarū peritissimus, cuius multa ext. nt in diuinas scripturas pręclara volumina libro. vij. de operibus Spiritus sancti ita scribit.

Paulus Apostolus non studia condemnat vel scholas Grammaticorum, Dialecticorum, Rhetorum, Arithmeticorum, Geometricorum, Musicorum, Astronomorum: sed hoc in eis culpat, quod nō quęsierunt ex eis sapientię fructum, propter quem artes istę a deo datę sunt, id est, in notitia habere deum, ꝛ glorificare sicut deum.

Rupert. abbas. Tuitiensis

Et rursum.

Reuera Dialecticę ars veritatem non persequitur, nec verbo Dei necti t vinculum: sed potius veritatem sequitur, ꝛ verbum dei verū fidis argumentationibus comprobat, si quis legitime vtatur illā. Processum sacrę scripturę diligēter aspiciat, Dialecticę simul ꝛ Rhetoricę studiosus pariter ꝛ beneuolus: ꝛ videbit quod eam tanquam dominam famulę prosequuntur.

Caput. xij.

Quod etiam ad scripturas exactius intelligendas plurimum conducat peritia Dialecticę, Augustinus libro. ij. de doctrina Christiana, capite trigesimo primo.

Dialect. ad scripturarum intellectū vtilis. August.

Disputationis disciplina, ad omnia genera questionum quę in literis sacris sunt penetranda ꝛ dissoluenda plurimum valet. Tantum ibi cauenda est libido rixandi, ꝛ puerilis quędam ostētatio decipiendi aduersarium.

Et iterum capite. xxxvij.

Scientia conclusionum ꝛ definitionum ꝛ distributionum, plurimum lectorem scripturarum adiuuat: tantum absit error, quo videntur homines sibi ipsam beatę vitę veritatem didicisse, cum ista didicerint.

Rupertus Tuitiensis, libri. vij. de operibus Spiritus sancti caput. xiij.

Primum hoc asserere licet, quia genus ꝛ differētia species ꝛ proprium atque accidens, quę sapiētes sęculi pro magnis atque arduis habent, quasi prima diuinę scripturę incipientis elementa sunt. Vbi versus aliquot ex. i. capi. Geneseos proferens, in quibus generis ꝛ speciei fit mentio, sic prosequitur. Genera ista ꝛ species sine dubio sunt, de quibus apud philosophos sermo est.

¶ Ac deinde.

Dicamus ergo, quod in ipsa sanctę scripturę litera, ꝛ simplices sit quod mulceat, ꝛ sapiētes aut Philosophos quod exerceat. Arbitramur enim, nō minus ad hanc scripturā, quam ad eā, quę est apud Aristotelē prędicamentorū doctrinā esse necessariū, scire quid sit genus ꝛ quid differentia, ꝛ quid proprium ꝛ quid accidens. Quę deinde

particulatim author iste prolixo sermone prosequitur. Postremo, huius capitis sermonē ita cōcludit, Huius artis vtilitas & virtus tota ostenditur in syllogismis, quorū conclusio plurimū lectorem adiuuat, ad veritatē inuestigandā tantum vt absit illi error decipiēdi aduersariū per sophismata, falsarum conclusionum. Quis autē omnium secularium ita vt hec sancta scriptura fortiter aut suauiter nouit aut potuit nodosum texere aut stringere syllogismum?

De omnibus vero artibus liberalibus, quod earum sit in scriptura sancta bonus vsus, generalem profert sententiam capite decimo in hec verba.

Ingresse sunt ergo septē artes liberales, tanquam famule in sacrū & reuerēdū domine sue sapientie tricliniū, & quasi de triuijs licentiosis, ad districtū & seuerū verbi dei magisteriū disposite, & assidere iusse sunt. Vagabātur enim prius per circuitum, lasciue, garrule & verbose puellule, nihil operātes, sed curiose agentes solummodo, vbi negotiose magis esse videbantur circa creaturam discutiendam cursitantes, ipsum autē creatorem negligentes. Misse sunt ergo in opus vt non iam quod superfluū erat de creatura mundi fabularētur, sed seriꝰ fideliterque quod expediret, de creatore loquerentur, bonum que ad honorem eius sermonem opere splendido texentes, operarentur, id est, vt iam nō res verbis, sed verba rebus ornarentur.

Caput. xiiij.

Quod Dialectica ad euertēdos secularis sapiētie errores egregie valeat, si quis ea recte vtatur, Hieronymus in Commentarijs super Ezechielem.

Vere quicquid in seculo peruersorum dogmatū est, quicquid ad terrenam scientiam pertinet, & putatur esse robustum, hoc Dialectica arte subuertitur, & instar incēdij in cineres fauillasque dissoluitur. vt probetur nihil, quod putabatur esse fortissimum. Hierony.

Augustinus in libro de cognitione vere vite eandem confirmat sententiam, dicens, ad omnia quidem humana potentem esse dialecticam, tametsi ad diuinitatis perfectionem, vt in se est, non possit pertingere. Augusti.

Dialectica, inquit, disserendi potens, potēter dubia queque definiens, cunctas scripturas euibrans, & euiserans, cunctam humanam sapientiam annihilans, cum in Diuinitatem intendit, tante maiestatis luce pauidum caput tremefacta reflectit.

¶ Hoc ipsum videtur velle Lactantius Firmianus cum libro quarto Diuinarum institutionum dicit, Philosophiam humanam suis armis esse confectam, quia nimirum disputandi officio (quod ipsa docet) quicquid a Philosophia humana non recte, id est non consone ad Christianam sapientiam dicitur, potenter destruitur, & falsum esse Dialectica disputatione conuincitur. Lactan.

Caput. xiiii.

Quod sic Deo placitum sit, per liberales artes hæreticorum figmenta dissoluere, Rupertus lib. vij. de operibus Spiritus sancti cap. ix.

Instructos liberalib⁹ artib⁹ vult deus esse fidei catholicę defensores.

Amplius autem & hoc non erit prætereundum, quia quos Ecclesiasticę fidei defensores habere, quorum lingua cōtra hęreticos, vel ad erudiendam Ecclesiam suam dominus uti dignaretur, ipse egit, ipse prouidit, ut prius artibus liberalibus instruerētur, & in matris periculum ad pugnandum descensuri in nauibus, prius quasi circa littora lusoribus ludis exercerentur.

Et rursum eodem in loco.

Grata vicissitudo hęc erat, ut fideles qui liberalium facultates habebant artium bene utendo illis, contra hęreticos eisdē artibus male utentes, veritatē defenderēt, quod erat potare Jesum fatigatum, & sitientē: atque hoc facientibus, daret ipse aquam viuam, magis ac magis aperiendo illis sensum ad veritatē scripturarū intelligendam. Factum quoque est hoc modo amicū pulchrumque cōmercium. Ipsi quam de Philosophicis hauserant puteis, postulanti domino porrexerunt aquam de qua ipse dicebat, Omnis qui biberit ex aqua hac sitiet iterum: & acceperunt ab eo aquam viuam, de qua qui biberit (ait idem) non sitiet unquam.

Joan. iiij.

Caput. xv.

Quod hęretici in suis erroribus stabiliendis plurimum utantur Dialectica. Hieronymus in disputatione contra Luciferianos de Arriana heresi id manifeste testatur, dicens.

Arrij heresis Dialectica se souere nitebatur.

Arrij hęresis magis cum seculi sapientia facit, & argumentationū riuos de Aristotelis fontibus mutuatur.

Idem in enarratione Psalmi. cxliij. secundū mysticum sensum verbum illud enarrans, Non est ruina macerię, neque transitus.

Difficile hęreticos inuenies imperitos. Omnes enim magistri instructi sunt scientia seculari. Non habent rete Apostolicum sed catenulas Dialecticas. Non est ruina macerie neque transitus. Siquando sunt in disputationibus, siquando tecum cœperint disputare sic verba eorum breuia sunt, sic artifici sermone conclusa, ut euadere inde difficile sit. Cum enim ligauerint te syllogismis suis, & te clauserint, & quasi maceriam tibi syllogismum texuerint, & edificauerint, non potes conuertere nō potes transire, teneris inclusus. Cumque te tenuerint quasi quodam gyro inclusum, tunc non eris in angusta via quę ducit ad vitam, sed in lata quę ducit ad mortem.

Heretici plerunque utuntur Dialectica

Idem super illo Psalmi, Et cynifes in omnibus finibus eorum

In cyniphe, inquit Dialecticę artis stimulus intelligitur, quę licet paruum habere videatur seductionis aculeum, grauissime tamen sauciat mentes humanas.

Caput. xvj.

Quod nimium in hoc iniqui sunt & improbi hęretici, cum ipsi ad oppugnationē veritatis libenter & frequenter utantur & Dialectica & Rhetorica & cęteris liberalibus artibus, nolint tamen hęc ueritatis assertoribus, ad veritatis defensionem usurpari, & eos qui il-

lis vtuntur,hac ratione criminantur,tanquam Sophistas, & Christiane simplicitatis expertes. Augustinus lib. j. contra Cresconiu Grammaticum.

Dialecticã.inquit,mihi obijcere voluisti,quasi Christiane nõ congruat veritati,& ideo me doctores vestri velut hominẽ Dialecticũ merito fugiẽdum potius & cauendũ,quã refellendũ atq; reuincendũ censuerũt. Quod cũ tibi nõ persuaserunt (nã te aduersus nos etiam scribẽdo disputare nõ piguit) tu tamẽ in me Dialecticũ criminatus es,quo falleres imperitos,illosq; laudares qui disputando mecum congredi noluerunt. Sed tu videlicet Dialectica nõ vteris,cum cõtranos scribis? Et quid te ergo in tantũ disputãdi periculũ proiecisti,cũ disputare nõ noueris? Aut si nosti,cur Dialectic⁹ Dialecticam criminaris? ita vel temerarius vel ingratus, vt aut imperitiam qua vinceris non refrenes,aut doctrinam qua iuuaris accuses. Inspicio sermonem tuum istũ ipsum, quẽ ad me scripsisti. Video te quędã copiose ornateq; explicare,hoc est eloquenter:quędam vero subtiliter argutẽq; disserere,hoc est dialectice.& tamen eloquentiam Dialecticamque reprehẽdere. Si noxia sunt,quare hoc facis? Si non sunt cur arguis?

Heretici Dialecticã in Orthodoxis criminantur.

Apud Hieronymum quoq; in Dialogo aduersus Luciferianos, idẽ in prõptu est videre: vbi Luciferianus hereticus,cũ ab orthodoxo vi argumẽtorũ vrgeri se cõspiceret,nec vllũ sibi superesset effugiũ, iterũ iterũq; postulat, Christiane secũ non philosophice agi.

Oro te (inquit ad Orthodoxum) vt Philosophorum argumentatione deposita,Christiana mecũ simplicitate loquaris: si tamen nõ Dialecticos sequaris,sed piscatores. Et iterum.

Iam & superius rogaui,vt nõ philosophice, sed Christiane mecũ loquaris. Nimirũ quod ita metuãt heretici dialecticos neruos,virtutẽ ipsius artis & efficaciã testatur: cui se nõ posse resistere metuũt, sibi male conscij. Et (iuxta Saluatoris verbũ) Omnis qui male agit odit lucẽ,& ad lucẽ venire formidat,ne arguantur opera eius. Huc etiã pertinet impietas illa Juliani,quã in principio prologi cõmemorauimus.

Caput. xvij.

Non ob hoc esse damnandam Dialecticam aut fugiendam: quod pleriq; ea ad captiones sophisticas aut deceptiones abutentur, cũ nihil sit ita bonum, quo non praui abutantur.

Augustinus lib. i. contra Cresconiũ Grammaticum. Neque enim pro patria non est miles armandus,quia contra patriã nonnulli arma sumpserunt: aut ideo vti non debent boni doctiq; medici medicinalibus ferramentis ad salutẽ quia his ad perniciẽ etiam indocti pessimiq; abutuntur. Quis enim nescit: sicut vtilia vel inutilia fuerint quę queruntur,ita peritiam facultatemq; dicendi sic esse vtilẽ vel inutilem,vt fuerint vtilia vel inutilia quę dicuntur?

Rodolphus Agricola lib. ij. de inuentione.

Rodolph⁹ Agricola.

Dialecticen vtilẽ esse certũ est,si falli,decipi, vera pro falsis,falsa pro veris accipi,inutile putauimus. Fallitur tamẽ nõnunquã Dialecticus,& pro veris falsa tradit. Euenit id quidẽ, sed & nauẽ aliquãdo gubernator euertit,& medicus aliquãdo perimit. Hominum sunt ista,nõ artiũ,

Atq; vel eo magis fatendum erit vtilem Dialecticē, cum ⁊ qui oratione seducunt astu persępe, nulla etiam instructi arte id faciant, ⁊ qui fallitur, si artem calleret, vel nequaq̄ id, vel minus vtiq; pateretur. Sane sicut reliquę artes quę remedio sunt inuentę, humanis necessitatibus non potuerunt succurrere incommodis, nisi prius ea detegerent: sic Dialectice cum magna ex parte in eo sit posita, quo pacto laqueos captionum fraudumq; in dicendo vitemus, necesse habuit aperire insidias, ⁊ ostendere q̄ varie quis capi posset. Quę sic quis inde de prompta vtenda sibi putauit, non artis hoc est, culpa vitare fugienda monstrantis, sed improbitatis sectari fugienda cupientis. Aperienda enim sunt vt caueantur mala, ⁊ nemo artifex tantum remedia nouit.

Augusti. Simile quiddam Diuus August. lib. ij. de doctrina Christia. cap. xxxvj. de eloquentia dicit, his quidem verbis.

Sunt etiam quędam pręcepta vberioris disputationis, quę iā eloquentia nominatur, quę nihilhominus vera sunt, quamuis eis possint etiam falsa persuaderi. Sed quia ⁊ vera esse possunt, non est facultas ipsa culpabilis, sed ea male vtentium peruersitas.

Exhortatio ad ingenuos adolescentes, vt Dialecticæ cæterarumque liberalium artium studio, dum per ętatē licet, diligenter incumbant, neq; ab honestis & vtilissimis studiis vllo deterreantur labore.



Ropositis eruditissimorum virorum sententijs, quibus Dialecticę cęterarumque liberaliū artium dignitatem, vtilitatem, ac necessitatem existimamus abūde demonstratam, vnum hoc superesse videbatur adolescentes optimi, aduersus laborem, qui in primo liberalium artiū aggressu, maxime autē in ipso Dialectices p̄mo limine sese offerre ⁊ ostentare solet, infirmos vestros ⁊ laboris impatientes animos confirmare, pauidaq; pectora breui exortatiuncula consolari: ne forte labore aut difficultate principiorum deterriti, a capessendis bonarum artium studijs, quibus hac sane ętate nihil vobis proponi possit vtilius, vlla ratione desistatis. Principio enim illud vobis certissime persuasum esse debet, quod apud Platonem Socrates de huiusmodi studijs loquens ait, eum qui Philosophię sacris sit initiandus, ad labores suscipiendos nequaquam claudum esse debere: ita vt eos partim quidē adeat, partim recuset, sed magno ⁊ inuicto animo ad superandum quicquid in eis ocurrere possit laboris, paratum sese offerre, ⁊ infatigabilem. Verum ex aduerso laborem istum consolatur, ⁊ lenit molestiam, primū quidē illud quod in omni opere vsuuenire docet experientia, vt peculiarem difficultatem habeat aggressus, progressus vero rem faciat leuiorem. Cur.

sententię apud Plato. Socrates astipulatur, dicens, omnis operis maximum quid esse principium, pręsertim inueni cuiq; & tenero. Et non immerito cecinerit Poeta, dimidium facti habere eum, qui bene coeperit. Deinde & hoc peculiare habet Dialecticę studiũ, quod progressus non solum leuiorem reddat laborem, verum etiam suauitatem magnam adferat: adeo vt statim post prima limina transita, singularis quędam sentiri incipiat in discẽdo voluptas, interiorq; suauitas: quę animum laboris molestia grauatum, sua blanditie demulcet, sibiq; restituit, atq; ad vlteriorem progressum inuitat: ita vt iam vltro in penitiora currere gestiat, qui pauloante vix ad subeũda prima limina, vel improbis hortatibus potuit impelli. Adeoq; temporis successu, & studij profectu illa increscit suauitas, vt etiam periculi nonnihil ab ea immineat, si non modum (qui in omnibus rebus iuxta Poetam, est virtus pulcherrima) illi per rationem adhibeas. Huius rei veritatem apertissime testatur Aulus Gellius Atticarum noctium lib. xvj. Is enim capite nono eius libri, vbi ex Dialectica breue libamentum (vt ipse ait) dedisset, quibusdã explicatis quę ad illius determinationem pertinent, nimirum quid sit quod a Grecis

a nostris pronunciatum vel proloquutum est apellatum, quid item pronunciatum adiunctum siue connexum, quid coniunctũ vel copulatum, quid disiunctum, & quę ad huiusmodi pronunciatorũ veritatem requirantur, eaq; omnia apposite & copiose, adhibitis ad singula exemplis, disseruisset (vt vel ex vno hoc loco testatissimũ sit virum illum Dialecticę artis nequaquam fuisse imperitum) tandem caput hoc finiturus, suam de Dialecticę studio sententiam protulit quam hic ad verbum citare, quo certior esset fides, duximus operę precium. Sed hoc iam breue, inquit, ex Dialectica libamẽtum dedisse non satis erit. Atque illud solum addendum admonendumq; est, quod huius disciplinę studium atq; cognitio in principijs quidem tetra & aspernabilis insuauisq; & inciuilis videri solet: sed vbi aliquantulum processeris, tum demum & emolumentum eius in animo tuo dilucebit & sequetur quędam discendi voluptas insatiabilis: cui sane si modum non feceris, periculũ non mediocre erit, ne vtq; pleriq; alij, tu quoq; in illius Dialecticę gyris atque meandris tanquã apud Syrenęos scopulos consenescas. Hęc ille. Quibus sane verbis quid possit dici apertius? aut aduersus laborem & horrorem qui in ipsius Dialecticę sese ostentat principijs, quid proferri potuit efficatius? Neque vero illa tantum, quę in ipso discendi exercitio statim post principia sese offert suauitas, molestiam istam consolatur, verum etiam multo magis fructus ille multiplex & copiosus, quẽ huiusmodi proferunt studia, & quę ex eis abunde magna prouenit vtilitas, ad suscipiendum tantillum laborem, tędiumq; illud quantulũcunq; deuorandũ, merito debet inducere. Et plane quod apud Ciceronẽ. j. lib. de oratore Crassus de iuris ciuilis cognitione ait, nobis non minori iure liceat dicere, Castigemus, inquit ille, segnitiem hominũ atq; inertiam. Nam si esset ista cognitio iuris magna ac difficilis, tamen vtilitatis magnitudine deberet homines ad suscipiẽdum

Socrates apud Platonem.

Aul. Gel. de studio Dialecticę

discendi laborem impellere. Liceat & nobis hoc exemplo, o delicati adolescentuli, si non desidiam inertiamque vestram castigare, certe timorem vanum quo vestrum plerique a studiis utilioribus avocantur, blanda oratione depellere. Profecto enim si cognitio ista Dialectice magna & difficilis videatur, tamen utilitatis magnitudine, immo & necessitatis consideratione, deberet vos ad suscipiendum discendi laborem impellere. Quam enim sit huius cognitio utilis, neque utilis tantum, verumetiam necessaria ad omne divinarum humanarumque rerum cognitionem, ea que Paulo ante ex eruditissimorum hominum libris protulimus, clarissime demonstrarunt, neque eadem hic repetere operepretium fuerit. Memineritis itaque o adolescentes, siquando labore fatigemini, verissimi illius apophthegmatis quod Platoni frequens erat in ore, Difficilia esse que pulchra. Ac rursum illius quod Diogenes Laertius refert Aristotelem suis discipulis dicere solitum liberales scientias radices quidem habere amaras, sed fructus suaves. Sicque consideratione future utilitatis, presentem laborem leviter ferre assuescite: illud subinde Virgilianum animo revolventes, atque etiam (si libebit) ore hilari cantillantes, Forsan & hec olim meminisse iuvabit. O passi graviora, dabit Deus his quoque finem. Durate o iuvenes, durate, & vosmet rebus servate secundis.

Plato. Aristote.

Quia non omnium ingeniorum equalis est captus, sed alii plurium, & maiorum, alii pauciorum & minorum sunt capaces, iuxta vetus illud, Non omnia possumus omnes, visum est nobis, in sequentibus signorum quorumdam distinctione, ea que in Dialectica cognitione habentur precipua, ab aliis que non ita omnibus sunt necessaria cognitu, separare: ut pro vario captu adolescentum preceptores, vel omnia, vel plura, vel pauciora creditis sibi discipulis proponant, atque ediscenda tradant. Ubicunque igitur signum huiusmodi triplex ✤ ✤ ✤ ad marginem conspexeris, scito, ea que ab illo loco habentur, usque dum ad manum indicem perveniatur, non omnibus esse necessaria, posseque ab iis, qui tantum precipua & quasi capita rei Dialectice querunt, omitti ac transiliri. Porro definitiones & regulas Aristotelicas ad verbum ex Aristotele Porphyrioque desumptas, maiori charactere describi curavimus: ceteris autem, quibus non est tanta authoritas, duplicatam huiusmodi notulam " ad marginem effigimus in omnibus vestro commodo bene consulere cupientes. Bene valete.

✤✤✤



De prædicabilibus, Liber primus.

Præfatio.



Dialectica consideratio recto ordine a simplicioribus ad composita procedens, primum quidem circa simplices voces, & in composita vocabula versatur. Que Dialectice considerationis pars, libris duobus (quorum alter de quinque generibus universalium, alter de decem tractat predicamentis) traditur. Post vero

hanc simplicium contemplationem proximum est, vt quę prius separatim considerata sunt, in completas enuntiationes atque propositiones componantur, quibus verum aut falsum pronunciatur. quam rem liber tertius (qui de enunciatione inscribitur) expediet. Subsequitur deinde post simplicium enunciationum tractatum, vt doceatur, quomodo ad inuicem certis debitisque modis illę valeant connecti. sic vt ex altera alteram sciamus vera certaque ratiocinatione inferre, atque ex alia aliam vel astruere vel destruere. Hic enim finis est & pręcipua vtilitas Dialecticę disciplinę. Ad hanc autem rem, primo necesse est certas pręscribi formas argumentationum, secundum quas fieri debeat illatio, bonasque formas a malis distingui. quas liber quartus (qui de quatuor erit speciebus argumentationum) describet. Deinde necesse est vt loca certa designentur, ex quibus argumentationum summatur materia, & ad conclusionem quamlibet congrua adferantur argumenta. Atque hęc Quintus liber (cui de locis Dialecticis erit titulus) designabit. Postremo aduersus sophisticas captiones liber sextus constituetur, in quo latens illarum falsitas & apparentię causa deceptionis manifestabitur. De demonstratione autem librum specialem non faciemus: sed quę de ea discere volumus, in quarto libro, opportuno loco constituentur. Nunc itaque ad id quod primum est propositum, id est, de quinque vniuersalium determinatione agamus.

Caput primum.

De indiuiduo & vniuersali in genere.

Illud inprimis aduertendum est, in vniuersa Dialectica determinatione, principaliter fieri sermonem de vocibus, siue simplicibus, siue compositis, non tamen de ipsis quatenus nudę voces sunt, sed quatenus significatiuę sunt rerum, ad quas significandas sunt impositę. Atque hinc fit, vt frequenter nunc de vocibus significantibus, nunc de rebus significatis permixtim loquamur, & quę de vocibus dicuntur, ea suo quodam modo rebus etiam significatis competere. atque e contrario. Atque ita in sequentibus, de indiuiduo, de genere, de specie, de differentia, de proprio & accidente, nunc de rebus, nunc de vocabulis velut permixtim sermo habebitur. Primo vero omnium scire oportet, quomodo indiuidua distingui debeant atque separari ab vniuersalibus. Sunt enim indiuidua termini singulares, vnam tantum rem singularem & particularem significantes. Uniuersalia vero sunt termini communiores, multas res generali & communi significatione designantes. Definitur enim indiuiduum hoc modo.

Indiuiduum est, quod de vno solo prædicatur.

Cuius definitionis hic est sensus. Indiuiduum est vocabulum, quod ex sua significatione, quam habet proprietate, nō potest de pluribus rebus diuisim prędicari: idque vniuoce, id est secundum vnam eandemque significationē. Exēpli gratia, Joānes indiuiduū est, quoniā nō nisi de vno solo potest secundū vnā significationē prędicari, dicēdo, Hic

Definitio indiuidui.

priora sunt posteriora i. ea que sunt priora secundum naturam sunt posteriora secundum scientiam nā in natura prius vniuersale et comune quā singulare et indiuiduū nā prius est linea quā punctus et prius est superficies quā corpus sed in scientia econtra nam prius est indiuiduū quā vniuersale et comune et quia [illegible] ut [illegible] videndum est quid sit indiuiduum

in ordine naturę sunt posteriora in ordine disciplinę

dicit diuisim propter terminos [illegible] que quidem sunt indiuidua nam licet predicentur de pluribus predicant copulatim non diuisim ut salmantica.

[handwritten margin note:] Diffinitio etiam indiui dui ~ traditur a Titelmano. Indiuiduum non potest diuidi in partes subiectiuas. Indiuiduum est quod non habet subiectas partes de quibus predicetur

homo est Joannes, Quod si aliũ quemlibet ab hoc demonstrato designaueris, dicens. Etiam iste Joannes est, hoc manifestum est non secundum eandem, sed secundum variatam significationẽ sic dici. Indiuiduum enim ex suę significationis natura, secundum vnam significationem, non nisi vnam rem singularem potest significare: ac proinde secundũ vnam significationem non potest nisi de vna re singulari prędicari. Dicitur autem indiuiduum secundũ hãc rationem (iuxta interpretationẽ nominis) quod ita sit singulare, vt diuidi non possit in plura particularia de quibus possit prędicari.

In librum primum qui de quinq; vocibus inscribitur.

Pars argumentatiua contra materia indiuiduorũ

¶Examinata materia indiuidui in parte textuali per authorẽ nostrum, fratrem Franciscum Titelmanum, sequitur pars argumentatiua.

¶Pars argumentatiua.

Pri. argu.

¶Primo sic. Vnius rei (secundum Philosophum) est vna diffinitio sed indiuidui ponuntur duæ diffinitiones in textu (vt

ij. argumẽ. patet), ergo minus bene determinatur.

¶Secundo sic. Nullum est indiuiduum, saltem corporeum, ergo falsum est quod Ioannes sit indiuiduũ, sequela est bona & antecedens probo. Sortes diuiditur in animã & in corpus: item diuiditur in naturam humanam & Sorteitatem, ergo nõ est indiuisibile, consequentia est bona, ab actu ad potentiam.

iij. argumẽ Vltra, non est indiuisibile, ergo neq; indiuiduum.

¶Tertio sic. Indiuiduum est spẽs, ergo non prædicatur de vno solo. Sequela est nota, & antecedens probo. Prædicatur de pluribus differentibus numero dicẽdo, hoc indiuiduum est indiuiduum, & hoc indiuiduum est indiuiduum, & sic de

Confirma. cæteris, ergo intentum.

¶Confirmatur. Omnes istæ sunt veræ, Sortes est indiuiduũ, Plato est indiuiduum, & sic de singularibus hominibus, ergo antecedens verum. Et nota quod omnia argumenta, quæ cõmuniter fiunt cõtra terminum singularem, possunt fieri contra indiuiduum.

Pars responsiua.

Ad primum. Vniusrei est vna diffinitio &c. respondetur, Quod verum est. Vnius enim rei, est vna diffinitio quidditatiuã, sed vniusrei possunt esse plures diffinitiones additamẽtales, & sic est in proposito. Sed contra hoc arguitur, omnis diffinitio quidditatiua, datur per genus & differẽtiã sed nullum indiuiduum habet genus & differentiam ex quibus constituatur, ergo indiuiduum nõ potest diffiniri quidditatiuè. Respondetur per propositiones.

Ad primũ. Vnius rei possunt esse plures diffinitiones additamentales. Obiectio. Solutio.

Prima propositio. Indiuiduum captum secundè intẽtionaliter, habet genus, putâ vniuersale, secundè intẽtionaliter captum, & habet suam differentiam, putâ, Prædicabile, vel aliquid huiusmodi, per quam cum genere diffinitur indiuiduũ quidditatiuè.

prima propositio. Indiuiduũ habet genus ad differentias.

Secunda propositio. Indiuiduum primè intentionaliter captum, habet nãm humanam, & suam differentiam indiuidualẽ, ex quibus, seu ex quorum terminis constituitur oratio notificatiua, seu explicatiua naturæ indiuidui: vt Sortes notificatur per hãc orationem. Complexum natura humana: Seu homo habens sorteitatem.

ii. proposi. [illegible]

Tertia propositio. Indiuiduum primè intentionaliter captum diffinitur quidditatiue, sed nõ conuertibiliter se habens cum diffinitione, per genus, & differentiam sue speciei: vt, Sortes est animal rationale.

iij. propo. Indiuiduũ primè intẽtionaliter nõ cõuertitur cũ sua differentia quidditatiua.

Quarta propositio. Indiuiduum etiã potest diffiniri per diffinitionem additamentalem, quæ est multiplex: putâ, ex terminis significantibus causam efficientem, finalem, materialem, & formalem.

iiij. propo. Indiuiduũ multipliciter potest diffiniri.

Ad secundum. Nullũ est indiuiduũ &c. Nego antecedẽs. Et ad probationem concedo totum discursum; sed indiuiduum dicitur indiuiduum, quia non potest diuidi in partes subiectiuas, licet diuidatur in partes quãtas, vel essentiales, vt patet.

Ad. ij. arg. Quare indiuiduũ dicatur indiuiduũ.

Etsi arguas. Omne constitutum ex natura communi, & differentia per quam constituitur in suo esse, repugnat cuicunq; alio, est diuisibile, sed Sortes constituitur ex natura humana.

Obiectio.

et si arguas partes essentiales possunt esse subiecta indiuidui vt in hac propositione homo est Joanes patet, ergo indiuiduum non potest etiam diuidi in partes essentiales sicut in partes subiectiuas vel si diuiditur in essentiales diuidet etiam in partes subiectiuas / ad hoc Respondet [illegible] predicat est indirecte et propterea nihil ad rem

communi,& sua differentia indiuiduali, putà, sorteitate, ergo est diuisibile in partes subiectiuas.

Solutio. ¶Respondetur distinguendo antecedens,& dico, quód omne constitutum ex aliquo cōmunioni,& differētia sua formali, est diuisibile in partes subiectiuas, sed differentia indiuidualis non dicitur formalis sed materialis, non partis (vt anima est forma corporis) sed materialis totius naturæ. Vnde sorteitas est materia totius Sortis,& corpus eius est materia, partis putà iæ,& sic intelligūtur authoritates, philosophi, & etiā doctorū quādo dicūt, quód indiuiduū cōstituitur in esse indiuiduali per materiam, scilicet per materiam totius, sed non partis, vt dictum est.

Ad .iij. ar. ¶Respōdetur concedēdo, quód indiuiduū secunde intentionaliter captū est species: Sed indiuiduū prime intētionaliter captum, non. Vnde illa diffinitio indiuidui, (indiuiduū est quod de vno solo prædicatur,) est prædicatio signata, & exercetur in primis intentionibus, dicendo, Sortes est Sortes.

Pars dubiorum motiua.

Primum. ¶Vtrum Christus (secundum quod homo) sit indiuiduum?

Secundū. ¶Vtrum hic deus, vel hæc essentia sit indiuiduum?

Tertium. ¶Quid discriminis sit inter indiuiduū, singulare, suppositum & personam?

Ad .i. dub. Indiuiduū dicitur dupliciter. ¶Ad primū respōdetur per distinctionē, Indiuiduū nēpe dupliciter accipitur, vno quippe modo dicitur indiuiduū id, quod de vno solo prædicatur,& isto modo non solum Sortes,& similia nomina discreta sunt indiuidua, sed etiā Hæc albedo, Hic color. Hæc natura humana in Christo. Ratio, quia de vno solo prædicantur,& sub se non habent inferiora.

Indiuiduū secūdo modo quid. ¶Alio modo dicitur indiuiduū, quod est ab aliis diuisum, & subsistit in se,& per se: & isto modo Christus (secūdum quod homo) non est indiuiduum, quia non ab altero diuiso, sed in supposito verbi suppositatur, nec per se existit, nec minus subsistit, sed per suppositum diuinum.

Ad .ij. dub. ¶Ad secundum respondeo per propositiones.

prima propositio. ¶Prima propositio. Hic deus potest dici indiuiduum, quia de vno solo essentialiter prædicatur.

ij. propo. Secunda propositio, Potest dici terminus communis, quia sig

nificat significatum commune trib⁹ personis, licet in se sit singularis, quia significatiuus vnius rei singularissimæ.

ij. proposi.

¶ Ad tertium. Respondeo ad primum membrum, pro solutione quid sit induiduum ex primo huius primi libri capite satis manifestum reliqui. Sed singulare est quasi idem quód indiuiduum, & reperitur singularitas in omni genere entium, vt Hæc substantia. Hic color. Hęc persona. Hęc essetia diuina.

Ad.iij. du.

Ponit discrimē inter hos terminos, indiuiduum, singulare suppositum es persona.

¶ Sed suppositū in sola substātia reperitur, & in nullo accidenti. Et sic dicim⁹, quód est suppositū, lapidis, hominis, angeli, & rectissimè atq; catholicè fatemur, tria esse supposita in diuinis.

Suppositum in quo reperiatur

¶ Persona autem, in sola substantia rationali est, scilicet, diuina angelica & humana, & sicut sunt tria supposita in diuinis, ita tres personę. Et si quæratur, quid discriminis est inter personam & suppositum? Respondeo, quôd multiplex, quod per notitiam illorum patefiet.

Persona in quo reperiatur.

¶ Vnde suppositum est, quod non comunicatur alicui tanquā quód, neq; tanquam quô, id est non prædicatur sicut superius de suo inferiori, quó ad quod: neq; potest esse forma alicuius materię, quo ad quo. Ex quo sequitur, quod color non est suppositū, cū possit prædicari de suis inferiorib⁹, dicēdo, Albedo est color. Nigredo est color. Neq; hęc albedo est suppositū, cū informet, vel possit esse forma, alicui⁹ subiecti vel materiæ ¶ Persona vero secundum Boetium) est naturæ intellectualis indiuidua substantia. Vel sic & melius (secūdum Ricardum de sancto Victore). Persona est naturę intellectualis incommunicabilis existentia.

Discrimen inter personam & suppositum.

Suppositū quid.

¶ Per contrarium vero vniuersale definitur, hoc modo.

Vniuersale est quod prędicatur de pluribus.

Difinitio vniuersalis.

¶ Quam definitionem sic intellige, Uniuersale est vocabulū eiusmodi, quod secundum generalitatem suę significationis quam habet, de pluribus diuersis rebus potest diuissim siue in diuersis propositionibus prędicari, idque vniuoce, idest in eadē significatione. Uerbi gratia, homo, vniuersale est: quoniā & de Petro prędicatur, dicēdo. Petrus est homo: & similiter de Paulo, Jacobo, ac ceteris omnib⁹ particularib⁹ hominib⁹ sigillatim potest prędicari. In his autē omnib⁹, vocabulū homo, eandē semper habet significationē, de quocūque indiuiduo prędicetur. Una enī eadēq3 significatiōe, vox homo, vniuersos homines particulares in humana natura cōmunicantes significat. Neq3 alia h3 significationē cū dico, Joānes est hō, quā cū dico Petrus est hō

Utrobique enim generaliter oēs homines particulares sub generalitate significat. ¶ Uocatur autē vniuersale alio noīe predicabile. Secundu enim rē ista cōuertuntur, quoniam quicquid est vniuersale, est & pr̨dicabile, & ecōuerso. Diuersa tamen ratione aliquid dicitur vniuersale & pr̨dicabile. Uniuersale enim dicitur, quatenus rē vniuersalem siue generalem & cōmunem atque participabilem multis principaliter significat. Ut (verbi gratia) homo principaliter & primario significat humanā naturam, in qua conueniunt, & communicant, quamq3 participant omnes particulares homines. Sic animal naturam animalem communem omnibus animantibus. Atque has vocant naturas cōmunes atq3 vniuersales. De quibus a nonnullis solent plurimę & difficillimę in ipso Dialecticę determinationis ingressu moueri qųstiones, qų tamē quoniā ad Metaphysicā potius spectant, nequaquā huic loco inserēda arbitramur. Sunt enim suis locis dicēda tractādaq3 singula, vt nō sub onere succūbant recētia atque tenella discipulorū ingenia, & hoc maxime prouidendum est liberalium disciplinarū tractatoribus, iis potissimū quib9 mollis ętas ac tenera est instituenda, ne rerum sublimiū ac puerilis tenuitatis captum lōge superantium nimia difficultate in ipsis statim foribus ꝓposita, animum despondeant tanti laboris impatientes adolescentuli. Pr̨dicabile vero dicitur quatenus de pluribus potest propter significationis suę generalitatem, pr̨dicari. Qod autem terminus quilibet possit de pluribus pr̨dicari inde habet, quia vniuersalem aliquā & multis cōmunem, vel cōmunicabilem naturam significat, cum qua simul & omnia indiuidua vel inferiora in illa natura communicantia, velut secundaria significatione, includit. Atque ob hāc causam videtur pr̨dicabile sic consequi ad vniuersale, quomodo risibile cōsequitur ad hominem, sicut proprium ad subiectum, de quibus latius in sequentibus vbi de proprio agetur

Visa prima parte vniuersalis determinatiua, declaratiua q, (ue diffinitionis, sequitur secunda quæ nuncupatur argumentatiua.

pars arg. ¶ Pars argumentatiua.

¶ Primo Argu. sic. Nullū vniuersale est genus quinq; vniuersalium, ergo vniuersale non est genus. Antecedens probo. Nihil est vniuocū ad substantiam, & accidēs: ad absolutum, & respectiuum: sed multa sunt vniuersalia, quæ sunt substantiæ, alia accidentia, alia absoluta, alia respectiua, vt patet in prædicamentis, ergo. &c.

j.pro.arg.

Confir. ¶ Confirmatur antecedens inductiue. Genus non est vniuer

sale, differētia nō est vniuersale, & sic de cæteris, ergo intentū

¶ Secundo arguitur sic. Si vniuersale esset genus, vel esset generalissimum, vel subalternum: non primum, quia præcisa sunt decem generalissima: non secundum, quia non videtur sub quo genere contineatur, ergo vniuersale non est genus. ij. argumē.

¶ Confirmatur, si esset genus ad quinq; vniuersalia, esset genus ad se ipsum, quod est falsum. Confirma.

¶ Tertio arguitur sic. Si vniuersale esset genus ad quinq vniuersalia, sequeretur quód hęc essēt verę, Genus est species. Species est species. Differentia est species. Proprium est species, Accidēs est species, patet discurs⁹, quia sunt species vniuersalis iij. argumē

¶ Confirmatur sic. Quælibet secunda intentio est vna numero, ergo non erit genus ad quinq; vniuersalia. Confirma.

¶ Pars responsiua.

¶ Ad primum respondetur quando arguis, Nullum vniuersale est genus nego maiorem, & ad probationem, Nullum vniuocum &c. Præsupponis vnum falsum, quod vniuersale sit genus ad substantiam, & accidens, quod est falsum: est nempe genus ad quinq, intentiones vniuersales, quæ neq, sunt substātiæ, neq; accideutia. Ad pri. ar. Quinq3 intentiones vniuersales neq3 sunt substātię nec accidentia.

¶ Ad confirmationem, concedo totum discursum, tamen ex ipso non sequitur, Quod vniuersale nō sit genus, est enim fallacia figurę dictionis. Ad confir.

¶ Ad secundum. Quando arguis, Vel esset generalissimū, vel subalternum, do secundum, non primum: & dico, Quod continetur sub secunda intentione, vel ente rationis. Ad. ij. arg.

¶ Ad confirmationem. Esset genus ad se ipsum, nego sequelā.

¶ Ad tertium. Sequeretur quód hæ essent veræ. Genus est species &c. Concedo totum, & dico quód non esset inconueniens, vnam speciem prædicari de alia denominatiuè. Vnde quando dicitur, Genus est species, species prædicatur ibi denominatiuè, sicut ibi. Homo est species. Ad. iij. ar. Vna species prędicatur de alia.

¶ Et si quis arguat. Ergo sequitur, quod idē prædicatur de se ipso denominatiuè: quia sicut ista est denominatiua, Genus est Obiectio.

species, ita hæc, Species est species.

Solutio. ¶ Respondeo. Quod istæ intentiones possunt capi dupliciter vno modo vt quid, quando ipsis attribuitur aliquid. Alio modo capiuntur vt modus, vel forma, quando ipse attribuitur alijs. Vnde quando dicitur, Genus est species, Genus capitur vt quid, vel vt fundamentum cui attribuitur species. Sed species capit vt mod⁹, vel forma quæ attribuitur generi tanquā subiecto, vel fundamento illius relationis, & sic non est inconueniens in his intentionibus idem prædicari de seipso denominatiué, dum modo in vno extremorum capiatur vt quid, seu vt fundamentum: & in alio vt modus, vel forma: vt, Genus est species. Vel species est species.

Quod nō sit inconueniens idē prædicari de se ipso denominatiue.

Ad confir. ¶ Ad vltimam confirmationem dico, quôd quælibet secūda intentio est vna numero, vel de per se, vel de per accidens, sicut in primis intētionibus. Dicitur vna numero tripliciter Per se primum, vt sunt differentiæ indiuiduales: sic vt forteitas, platoneitas. Per se sed non primum: vt, Sortes, et Plato. Per accidēs, & denominatiuè, sicut natura communis: vt hic homo, vel hæc natura humana, vel hæc natura leonis. Similiter imaginabile est in secundis intētionibus aliquod indiuiduum per se, & primum: & per se, sed non primum: & per accidens, & denominatiuè: quia si datur intentio vna genere & vna specie, dabitur vna numero suo modo.

Pars dubiorum motiua.

¶ Primo. Queritur, an sint dabilia vniuersalia?
¶ Secundo. Vtrum sint dabiles naturæ communes reales?
¶ Tertio. Vbi nam sunt intentiones vniuersales?

[illegible] primū Duplex est opinio circo hanc materiam.

¶ Ad primum dico q duplex est opinio: vna Nominalium: alia vero Realium. Opinio Nominalium consistit in duabus propositionibus.

Opinio nominaliū

Vniuersale in essendo.

¶ Prima. Duplex est vniuersale: vnum: in essendo, & sic nullū datur in rerum natura, nisi essentia diuina, quæ est communis tribus suppositis.

Secũda propositio. Aliud est vniuersale in prædicando, & sic quilibet terminus communis, siue mentalis, siue vocalis vel scriptus est vniuersalis in prædicando. Vniuersale in prędicando.

Secunda opinio ponit talem conclusionem. Vniuersale est dabile solum per intellectum. Primam partem probant, & secundam declarant. Realium opinio.

Primo sic. Philosophus in primo peri hermenias inquit. Vniuersale est, quod natum est esse in pluribus. Item, in ante prędicamentis. Secundæ substantię dicuntur de primis, sicut superiora de suis inferioribus. Item, in primo physicorum. Quod vere est, diuiditur in id quod vere est: idest, Substantia diuiditur in substantiam, sed nulla substantia particularis est quę diuidatur, ergo dabilis est substantia communis. Item, Anselmus de incarnatione verbi inquit. Admonẽdi sunt Dialectici nostri temporis, qui non nisi flatum vocis dicunt esse vniuersale, nõ tantum probant illam conclusionem authoritatibus, sed etiam rationibus. Primo sic. Ratione conuenientiæ plus conueniunt Sortes & Plato, quàm Sortes & Brunellus, Sortes enim & Plato in vnitate specifica, Sortes & Brunellus, in vnitate generica, vel illæ vnitates sunt aliquid, vel nihil: si das secundum in nullo comparãtur: si primum non cõparantur iure vna numero, ergo vna specie, vel genere. Forte dices comparantur in conceptu: tunc quæro à te, an ille conceptus sit verus vel falsus? Si das secundum, falsa est comparatio: si primum, ab eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa. Argumentũ celtũ.

Item probatur. Omnis comparatio (secundũ Philosophũ) fit in atomo, idest in specie specialissima indiuisibili, per differentias formales: vt homo.

Item, probatur ratione adæquationis. Quęlibet potẽtia habet vnum obiectum adęquatum: vt visus, colorem vel visibile, & non vnum numero, ergo specificum vel genericum, & sic erit quid commune.

Secundo declarant secundam partem, qualiter illud vniuersale est, quod patet per sequentes propositiones.

Prima propositio. Intellectus mouetur à specie intelle- 1. propos.

gibili, reposita in intellectu possibili, repræsentatiua alicuius naturę cõmunis putã, hominis vel leonis, & tunc potest causari notitia Sortis indiuidui, & sic non est vniuersale, sed singulare per se.

ij. propos. ¶ Secunda propositio. Potest produci notitia humanitatis Sortis indiuiduatæ, per differẽtiam indiuidualem, & sic etiã non dicitur humanitas vniuersale nisi in potentia remota.

iij. propo. ¶ Tertia propositio. Potest ipsa species repræsentare solam naturam humanam non vt separatam â singularibus, quia tũc falsa esset consideratio, sed absq; consideratione suæ existentiæ in indiuiduis, & sic dicitur vniuersale in potentia proxima, vt actu dicatur de quolibet supposito dicendo, Sortes est homo, Franciscus est homo.

Corollarium. ¶ Ex quo infertur, quòd hæc opinio non ponit vniuersale reale sed per intellectum cõsideratum, sicut secunda pars dicebat illius conclusionis.

Ad.ij. dub. Nominaliũ opinio. Realium opinio. ¶ Ad secundum dubium. Diceret prima opinio, quòd nulla natura communis esset dabilis, cum omnes res ideo est, quia vna numero est. Sed secunda opinio oppositum tenet dicens quòd licet omnis res sit singularis de per se, vel de per accidẽs dabilis est natura (sicut humanitas, equinitas, animalitas) quæ habet vnitatem, minorem vnitate numerali, quę est vnitas naturæ sic se habens, quod non repugnat ei vnitati naturæ indiuiduari in alio supposito, sicut humanitas Sortis, potuit supposita ri in supposito Platonis: exemplum est clarum in natura humana assumpta â verbo diuino, quæ secundum naturam debebat suppositari in supposito proprio humano, præuenta tamen suppositata est in verbo diuino. Sequitur ergo quòd si huic naturæ non repugnat suppositari in vno vel in alio, nec alicui naturæ repugnabit. Nullam tamen concedimus esse separatam â suo supposito, vel persona, vel vnitate singulari de facto.

Ad.iij. du. Nominaliũ opinio ¶ Ad tertium dubium. Diceret prima opinio, quòd cum secundæ intentiones siut termini secũdæ intentionis, vbicunq; sunt tales termini, erunt secundæ intentiones, cum non distinguantur inter se, vt in potentia cognitiua, si est terminis men.

talis: vel in aere, si est vocalis: vel in corpore denso, si est scripus.

¶ Sed secunda opinio dicit, quod secundæ intentiones, (cum non sint termini,) sunt in re considerata, vel cognita, vt cognita est quasi denominatiuè, vel quasi inhæsiuè. Denominatur nempe illud consideratum genus, vel species, vel indiuiduum sub proprietate logicali, grammaticali, seu rethoricali. Est in his talis ordo, quòd primo consideratur ipsa res in se, secundo esse cognitum rei, tertio attribuitur secunda intentio, quæ secunda intentio habet duplex fundamentum, rem ipsam tanquam fundamentum remotum, & esse cognitum ipsius tanquam propinquum &c. — Realium opinio.

¶ Secundo dicitur quód secunda intentio est in potentia comparatiua obiectiuè, & quasi terminatiuè, licet non motiuè. Ratio, quia potentia non mouetur nisi à re reali, sed potest terminari in reali vel intentionali.

¶ Tertio dico, quod intentio vniuersalis, est suo modo in intentionibus inferioribus, sicut superius in suo inferiori.

Caput. ij.

¶ De quadruplici indiuiduo. & primum de indiuiduo determinato.

Sunt autem indiuidua quędam quę vocantur determinata, vocabula scilicet ad significandum determinatam & certam rem singularem ex arbitrio imponentium instituta. Atque hęc potissimum inueniuntur in angelis, tam bonis, quam malis, & in hominibus, atque etiam in nonnullis animalibus domesticis. In angelis, vt Michael, Gabriel, Raphael, Beelzebub, Asmodeus, Lucifer. In hominibus, vt Adam, Noe, Abraham, Dauid, Salomon, Petrus, Paulus, Eua, Sara, Noemi, Maria, Catherina: in domesticis animantibus, patet ex appellationibus equorum, vaccarum, canum, & similium, quibus pro suo arbitrio domini nomina imponunt: ad quę ita etiam assuefaciunt animalia, vt mox ad auditum sui nominis accurrant, id quod experientia notum facit. Habent quoque fluuij & montes sua nomina, & pręter vrbes, prouincias, ac regiones, etiã loca alia quouis modo insignia. Nomina fluuiorum sunt, Mosa, Dilia, Timera, Scholda, Sequana. Nomina montium, vt Sinai, Thabor, Hermon, Mons pessulanus, Mons roscelanus, & similia. — Indiuidua determinatum. — ✤✤✤

¶ In his autem determinatis indiuiduis hoc est diligẽter aduertendum, quod plerunque secundũ vim suę originis, & radicẽ suę significationis cõmunia & vniuersalia sunt. Quemadmodũ (exẽpli gratia) Adam, si respiciamus ad originalem Hebręę vocis significationem,

commune nomen est, terrenum significans, siue eum qui de terra factus est. Cui significationi alludes beatus Apostolus, & Adam veterē
I.Cor.xv. cum Christo nouo Adam conferens, ait, Primus homo, de terra terrenus, secundum quem respectum omnes homines recte Adam dici
possunt, idq; prorsus vniuoce. Omnis enim de terra nati terreni sumus, iuxta illam vniuerso generi humano definitam firmatamq; sen-
Gen.iij. tentiam. Terra es, & in terram reuerteris. Sic Abraham secundum patrium significationem, patrem gentium significat, eo quod Domi-
nus voluit Abraham fieri patrem multarum gentium, iuxta illud Genesis, Patrem multorum gentium posui te. Hęc autem significatio,
Gen.xvij. etiam Apostolorum cuilibet recte competit, & iure singulos eorum vocare poterimus Abraham, quoniam patres sunt secundum spiri-
tum multarum gentium, & principes populorum, quos Christo genuerunt per Euāgelium. De quibus & in Psalm. dicitur, Principes
populorum congregati sunt cum Deo Abraham, &c. ¶ Sic Petrus dictus est a petra, propter firmitatem fidei, dicente ad illum Domino, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam. Atq; hoc pacto Petri sumus, quicunque supra petram Dominum infirma fidei confessione fundati sumus. ¶ Hęc ergo omnia ex vi quidem suę originalis significationis sunt cōmunia vocabula, sunt tamen ad determinate significandum singulares personas imposita: atque ideo, donec vt indiuidua accipiuntur, non nisi vnam rem determinate & particulariter significant, vna significatione. Cum vero secundum illam suę originis significationem accipiuntur non iam indiuidua, sed vniuersalia sunt.

Caput.iij.

¶ De indiuiduo ex demonstratione.

Individuum ex demonstratio.

TAlis vero sunt indiuidua ex demonstratione, cū videlicet terminū cōmunē cum pronomine demonstratiuo sumimus, ad vnū aliquid particulare designandū. Velut cū dicimus, hic homo, illa arbor, istud aurum, ego debilis, tu fortis. Et interdū quidem terminus sic aperte exprimitur, interdum vero subintelligitur. Atque id rursum vel propter cōtemptum, quemadmodum accusantes Christum Iudęi dicebāt, Hunc inuenimus subuertentē gentē nostrā. Vel propter honoris estimationē, Vt cum dicerent populi eundem paulo ante magnificātes, Hic est Iesus propheta a Nazaret Galileę. Interdū vero tantū propter claritatem sententię, eo quod ex natura pronominis satis cōstet quid subintelligitur, absque vlla expressione: quēadmodū fere semper euenit in pronominibus ego & tu. Hęc enim, ex ipsa pronūtiatione mōstrant id de quo fit sermo. Ego enim loquentem respicit, tu vero illū ad quē dirigitur sermo. Vt ego dixi, tu dixisti, nos vidimus, vos audistis, & cetera. ¶ Illud vero de his indiuiduis notandū est, non posse fieri (quod de determinatis prius diximus) vt in vna significatione plura atque diuersa simul significēt. Cū enim pronominis demōstratiui significatio sit ipsa eius demonstratio, manifestum est toties variari significationē, quoties variatur

demonstratio. Unde consequitur, sicut plura diuersa simul nõ possunt vna demonstratione demonstrari, ita neque vna significatione posse plura diuersa significari. ¶ Notandum est insuper, non omnia indifferenter demonstratiua pronomina facere indiuidua ex demõstratione, sed tãtũ ea que sunt primitiue speciei. Que enim ab alijs primitiuis deriuata sunt, nequaquam indiuidua componunt, cum terminis communibus adiunguntur. Cum enim dico, vestis mea, domus tua, hortus noster, vestrum predium, communia sunt hec, quia de multis secundũ vnam eandemqz significationem predicantur, non autem singularia aut indiuidua. Si enim domos plures possideas, de vnaqua que vere dixeris, Hec domus mea est, idqz secundum vnam candẽqz significationem. ¶ Huiusmodi autem indiuidua ex demonstratione magis prompta sunt z obuia, magisqz vulgari vsu frequentata, quã indiuidua determinata. Nam in omnibus generib9 z speciebus per hunc demonstrandi modum designamus particularia tam in accidẽtibus quam in substantiis: z indiuiduorum determinatorum locum hec supplent, vbi illa defuerint. Dicimus enim istum hominem, istũ equum, illum leonem, hunc vrsum, hanc stellam, hoc metallum, illud argentum, hanc arborem, hoc coelum, hanc substantiam, hanc quantitatem, hanc qualitatem, hanc actionem, z sic de omnibus predicamentis. ¶ Et est istud de natura pronominis demonstratiui satis admiratione dignum, quod tante sit potentie z efficacie ad constringendũ z contrahendum, vt tam facile, z nihil minus singulare efficiat, addi-tũ generalissimo termino, quam si adderetur infime cuilibet speciei. Et (verbi gratia) tam est singulare z indiuiduum, cum dico, hec substantia, hec qualitas, quam si dicam, hic homo: hec albedo. Neque enim vtraque non nisi vnum valent simul suppositum demonstrare aut significare.

Caput iiij.

¶ De indiuiduo vago.

Predictis vero adijciunt vaga quedã indiuidua, que scilicet vsurpantur ad vnum aliquid particulare singulariter significandum, non tamen determinant, neque determinate indicant, neque ex nominis impositione, neque ex demonstrãdi ratione quod sit illud singulare de quo fit mẽtio. Et cũ Aristoteles in predicamẽtis, aliquẽ hominem, z aliquẽ equũ, dicit esse primas (id est singulares) substãtias manifestum est, terminos illos res particulares significare. Quia tamen in vago z confuso hoc tantũ faciunt, nõ indicãdo certũ suppositum, idcirco vagum nuncupatur, qu si significatione indeterminatũ ad quodlibet particulare suppositum. ¶ Quasi per vagum indiuiduum Saluator loquebatur, cũ mittens Petrum z Joannẽ ad parandũ pascha, diceret, Ite in ciuitatẽ ad quendã: z dicite illi. Manifestũ est enim quod de vno particulari loquebatur: tamen ex ipso loquendi modo nõ determinat hec loquutio, quisnam ille esset. Ita fere accipere possumus in scripturis, cum legim9, vir quidã, hõ quidã qui dam pater familias, die quadam, z huiusmodi. Per hec indiuidua lo

Indiuiduũ vagum.

Mat. xxvi.

quimur, cum dicimus, Sanctū aliquem elige, cuius patrociniis cau sas tuas commendes. Amicum aliquem tibi quęre, cum quo tua con silia communices. Aduoca mihi ministrum aliquem, adiunge mihi so cium aliquem, ꝛ his similia.

¶ His autem vagis indiuiduis adijcere solent nonnunquam deter minata, ad indicandam certum suppositum de quo fit mentio. Quē admodum cum legimus, Vir quidā erat in terra Hus, nomine Iob. Itē, Vir quidā noīe Ananias: Legisperitus quidā, nomine Gama liel: Decurio quidā noīe Ioseph: Phariseus quidā, Nicodemus no mine: Mulier quędā Martha nomine. Nonnunquā alia quędā adij ciuntur, ex quibus discerni potest, quod illud sit particulare, de quo fit mentio. Quēadmodū Actuū tertio, Vir quidā qui erat claudus
Actuū. iij. ex vtero matris suę, quē ponebāt quotidie ante portā templi, vt pe teret eleemosynā, ꝛ cętera. ¶ Sicut autē indiuiduis ex demonstratio ne maxime vtimur in rebus pręsentibus ꝛ notis quas demonstrare possumus, ita his vagis vtimur potissimū in rebus absentibus ꝛ inco gnitis, cū illi cui loquimur, per demōstratione nō possumus sufficie ter notum facere particulare suppositum, de quo loqui intendimus.
¶ Aliter quoque (cum de rebus fit sermo) vagum appellatur indiui
Indiuiduū vagū reale duum, res singularis quę sub genere aliquo ponitur, ꝛ sub nulla de terminata eius specie. Quemadmodū dicunt de embrione in vtero matris, id est, de foetu in vtero cōcepto, antequā formā vltimam ha beat. Foetus enim in vtero matris conceptus, secundū Physicorum opinionē, prius videtur habere tātū animā vegetatiuā, nō etiā sensi tiuā aut rationalē. Deinde animā acquirit sensitiuā, postremo tēpo ris successu, formam acquirit vltimā, id est, animā rationalē. Donec ergo foetus ille tantum habet animam vegetatiuam, videtur vti ꝑ sub genere esse corpus animatum. Sub nulla tamen specie corporis animati videtur constituendus, quoniam neque animal videtur esse neque planta. Deinde, cum etiam sensitiuam nactus fuerit animam sed nondum rationalem, videtur iam sub genere animal contineri, non tamen sub aliqua specie animalis. Non enim est homo, quia ani mam rationalem non habet. Nec brutum videtur, quoniam nullius



bruti formam aut speciem habet. Recte igitur hac ratione indiuiduū istud vagum dicitur, quasi certum in nulla specie locum habens.

Caput. v.

De indiuiduo ex hypothesi.

Indiui- “ Addunt quoque prędicti indiuiduū quod ex hypothesi id est ex
duum ex “ suppositione, nominant, quod videlicet in se quidem quantū
hypothe- “ ex significationis suę natura, vniuersale ꝛ commune est, facta tamen
si. “ hypothesi, ꝛ suppositione aliqua non nisi de vno particulari prędi
“ catur. Quemadmodum (exempli gratia) Marię filius, et se quidem est terminus communis, ꝛ generaliter significat: quia tamen iuxta

veritatem, vt res se modo habet, non nisi vni competit, quia non nisi vnus est Marie filius, idcirco secundum hanc suppositionem & hypothesim quodam modo indiuiduum dicitur. Unde & pro eodem accipimus, siue dicamus Jesum (quod indiuiduum determinatũ est) sine peccato natum, pro peccatoribus mortuum, siue Marie filium. De eadem enim re singulari loquimur. ¶ In hoc tamen est differentia, quod illud nomen est determinatum a parte, dignissimo illi homini, qui Christus dictus est, proprie impositũ, & ab angelo denunciatum, ad ipsum Christum Dominum particulariter & determinate significandum. Nomen autem hoc Marie filius, quantum ex sua significatione commune est: & si habuisset Maria alios filios post Christum (vt impie asserunt impii Eluidiani) de eisdem vniuoce potuisset predicari. Ita Abrahe filius, indiuiduum ex suppositione esset, facta hypothesi quod vnicus esset Abrahe filius, ipse videlicet Isaac. Similiter & Bethsabe filius, pro Salomone facta simili hypothesi, quod vnicum filium genuisset Salomonẽ.

Caput. vi.

¶ De alia quadam definitione indiuidui.

Praeter diffinitionem indiuidui suprapositam, que vocibus potissimum conuenit, alteram assignat Porphyrius, que ipsis rebus magis proprie videtur applicanda, in hunc modum.

¶ Indiuiduum est, quod consistit ex proprietatibus, quarum collectio nunquã in alio erit eadẽ.

Secunda definitio indiuidui.

Cuius diffinitionis hic est sensus, Indiuiduum reale est singulare aliquid quod sub certis quibusdam proprietatibus consistit, id est, per se subsistens determinatas quasdam habet cõditiones indiuiduãtes vel singularizantes, que omnes simul sumpte nunquã inueniri possunt eedem numero in vllo alio singulari. ¶ In quo manifeste differt indiuiduum singulare, a natura vniuersali siue communi: quoniam proprietates quas habet natura vniuersalis siue generica, siue specifica: eedem inueniuntur in omnibus speciebus vel indiuiduis, sub genere illo aut specie illa contentis. Quemadmodum (exẽpli gratia) risibilitas & flebilitas, ac disciplinę susceptibilitas, proprietates sunt ipsius naturę humanę, sunt autẽ eedem in omnibus hominibus quemadmodum posterius suo loco in tractatu de proprio declarabitur. Secus est de proprietatibus singularibus indiuiduorum. Habent enim singula suas proprietates, quas etiam conditiones indiuiduales siue indiuiduantes apellant. Et hec quidem de indiuiduo dicta sufficiant. Nunc ad vniuersalis species considerandas recto ordine transeamus.

Caput. vii.

¶ De quinque speciebus vniuersalis, & primum de genere.

De prædicabilibus.

Diuiditur autem vniuersale in quinque species, nempe in genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens. De quibus suo ordine nunc est sigillatim pertractandum. Et primum quidem de genere, quod in significatione, quæ Philosophis cōmoda est, sic a Porphyrio definitur.

Definitio generis.

¶ Genus est, quod prędicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid est.

Quam diffinitionem ita intellige. Genus est vniuersale eiusmodi, quod secundum suam significationem ita est generale & commune, vt vere prędicari possit de pluribus diuersis speciebus, aut indiuiduis diuersarum specierū, idque essentialiter, & (vt ita loquamur) quidditatiue, hoc est, sic vt ad interrogationem factam per quid, respectu illorum specie differentium, recte & vere valeat respōderi. Exempli gratia, animal, est genus, quoniam ita generalem habet significationē vt secundum eam prędicari possit de pluribus diuersis specieb⁹ sub se contentis, dicendo, Homo est animal, equus item est animal, similiter & leo & vrsus, atque ita in cęteris specieb⁹, quę sub animali sunt. Aut de indiuiduis diuersarum specierum, dicendo, Petrus animal est, & hic leo animal est, & item hic vrsus, atque ita in cęteris. ¶ Prędicatur autem de his in eo quod quid est, id est in prędicatione (vt sic dicamus) quidditatiua rei quidditatē siue quid res sit, explicāte, quoniā siquis roget, quid nam sit homo, vel equus, vel asinus, conuenientissime respondebitur, ea esse animalia. Et qui hominem dicit esse animal, exprimit hominis quidditatem, hoc est, quidnam sit ipse. Sic arbor genus est pomi, pyri, pruni, mori, oliuę, & cęterarum specierum suarum. Sic metallum ad aurū, argentum, cuprum, stannum, ęs, ferrū. ¶ In hac igitur generis definitione, vniuesale genus est definiti, per quod excluduntur semel omnia indiuidua, quorum nullum genus esse potest. Quę autem sequuntur simul coaceruata differentię locum obtinent. Nam prędicari de pluribus specie differentib⁹, excludit a definitione generis speciem: quę (vt posterius dicetur) non prędicatur de pluribus specie differentibus, sed tantum pluribus differentibus numero, de indiuiduis sub se contentis. Quod autem sequitur in eo quod quid est, excludit differentias propria & accidentia, quorum nullum in eo quod quid est prędicatur, sed tantum in eo quod quale est, vt ex sequentibus patebit.

Caput. viii.

¶ De alijs duabus acceptionibus vocabuli genus.

Ponit autem Porphyrius & alias duas generis acceptiones, & duae significationes, quarum priorem ita describit.

Genus primo modo.

¶ Gen⁹ vno modo dicitur, aliquorū quodāmodo se habētiū ad vnū aliquid & ad seinuicē, collectio

Cuius diffinitionis hic est sensus. Genus primo modo siue in prima significatione dicitur collectio siue multitudo aliquorũ habentium se certa quadam habitudine ad vnum aliquid tanquam ad vnum ipsorum commune principium, siue productiuum, siue cõseruatiuum. Item ⁊ ad se inuicem tanquam simul ab eodem principio productorum vel cõseruatorum, videlicet per modũ quendã cognationis, hoc est (vt ita loquamur) cõsanguinitatis aut cõterraneitatis.

Secundum hanc significationem, tota generatio siue popul⁹ Iudeorum dicuntur genus ipsius Abrahe, Isaac, ⁊ Iacob patriarcharũ, a quibus descenderunt: Ismahelitę omnes genus sunt Ismaelis. Idumei ipsius Edom, siue Esau: Ammonitę respectu Ammõ patris ipsorum: ⁊ Moabitę respectu patris Moab. Item ⁊ respectu Sarę, omnes ab ea descendentes, ipsius genus dicũtur, sicut respectu Abrahę: ⁊ agareni omnes ipsius Agar ancillę dicuntur genus. Nihil enim refert, vir an mulier sit principium ad quod est habitudo. Nam vt vir est principium productiuũ, ita ⁊ mulier: ille quidẽ actiuum, hęc passiuũ. Simul enim ad generationẽ cõcurrant necesse est vir ⁊ mulier. ¶ Insuper ⁊ respectu loci dicitur genus primo modo. Est enim locus principium conseruatiuum, rerum quę in ipso nascuntur, natiuas quasdã proprietates in illas influens, ⁊ certa complexione disponẽs propter quod merito principij nomen habet. Sic Aegyptios dicimus gen⁹ respectu Aegypti, Troianos respectu Troię, Brabãtos a Brabãtia, Gallos a Gallia, Germanos a Germãia, atque ita in cęteris.

¶ Proprie vero nõ dicitur genus primo modo, nisi respectu principij talis quo vna collectio distingui possit ab alia, id quod interpretis aperte videtur indicare Porphyrius. Ut collectio quę ab Abraham descendit, per ipsum suum hoc principium distinguitur ab omnibus alijs populis ⁊ gentibus, quę non descenderunt ab eodem Item genus Troianum, per suę originis locum, distinguitur ab alijs omnibus gentibus. Huiusmodi autem vocari possunt principia distinctiua. Unde proprie loquendo, vniuersitas hominum nõ dicetur genus ipsius Adę aut Euę, eo quod nõ sunt principia distinctiua: neque respectu totius mũdi vel aeris dicetur genus, vniuersa hominũ collectio: eo quod locus sit communis omniũ hominũ per quem non distinguitur collectio a collectione. Sic neque respectu Dei: vniuersitas hominũ videtur dicenda genus: tametsi minus proprie id dici posset: quemadmodũ ex Poeta in Actibus Apostolorũ Paulus adducit, dicens: Ipsius enim (nempe Dei) ⁊ genus sumus. Act. xvij.
Genus ergo sumus Dei ⁊ cętera. ¶ Secundo autem modo genus dicitur ipsum principiũ tale multorũ descendentiũ ab eo habentiũ se certo modo cognationis siue consanguinitatis: vel (vt ita dica) cõterraneitatis: ad inuicem ⁊ ad vnũ illud principiũ. Definitur autem a Porphyrio hoc modo.

¶ Altero modo dicitur genus, quod est vniuscuiusque generationis principium, vel ab eo qui genuit, vel á loco in quo quis genitus est. Genus secundo modo.

Quam diffinitionem ita intellige. Genus secundo modo dicitur principium alicuius generationis, siue alicuius collectionis ⁊ multitudinis, quę descendit ab ipso, tanquā a principio productiuo vel conseruatiuo. Sic Abraham. Isaac. aut Iacob dicuntur singuli genus Israelitici populi. Sic Roma, Romanorum est genus, Germanorum Germania, atque ita in cęteris. Cuius diffinitionis intellectus ex priore satis patet. Sunt autē genus primo modo ⁊ secundo modo adinuicē relatiua, quoniā adinuicem referuntur sicut pater ⁊ filius. Quomodo enim pater dicitur pater respectu filij, ⁊ ecōtrario, sic genus primo modo dicitur respectu generis secūdo modo, ⁊ ecōtrario. ¶ In his autē duabus significationibus non est vocabuli huius vsus apud Philosophos, sed ad Poetas magis ⁊ Oratores spectat. In priore significatione eius vsum inuenimus apud Virgiliū in ipso suę Aeneidis exordio, de Troiano Aenea ita loquentē, Inferretque deos Latio, genus vnde Latinū. Quod Seruius Virgilij commentator interpretatur, a loco non a persona, id est a Latio nō ab Aenea, genus dici Latinū. Vel aliter, ab Aenea qui antiquū Latinorū nomē reliquit, ⁊ suis dedit, quod mutare potuisset ⁊ a se Aeneadas nominare. Qua appellatione Dido Troianos appellat ita eos alloquens. Quis genus Aeneadū, aut quis Troię nesciat vrbē? In eadem fere significatione vocabulo hoc vtitur, in oratione Neptuni, quem introducit ventis ita loquentē, Tantane vos generis tenuit fiducia vestri? videlicet significare volens (iuxta Seruiū atque Donatum) ventos genus esse gigantum, qui Diis bellum inferre moliti sunt, atq̄ ab eis esse natos (iuxta poetarū figmentū) ex Astręo videlicet vno de Titanibus ⁊ Aurora, vt videantur hanc audaciam habere ex paterna hęreditate. Similis est significatio, cum a Troianis Didoni dicitur Parce pio generi, ⁊ propius res aspice nostras. Se quippe piū genus appellant quod a pijs parentibus descenderint. In secunda autem significatione, hoc vocabuo vtitur maximus ille Ilioneus, pro Aenea Troiano, ⁊ de eo apud Latinū regem loquens in hęc verba,

Ab Ioue principiū generis. Ioue Dardana pubes
Gaudet auo, rex ipse Iouis de gente supremo
Troius Aeneas, tua nos ad littora misit. Videlicet significare volēs, Aeneam habere principiū ac genus suum, ipsum summū Iouem, per matrē Venerē, ex qua dicitur ab Anchise patre genitus. Et alibi ipse Aeneas loquitur dicēs, Italiā quęro patriā ⁊ genus ab Ioue summo Italiā significans suū esse genus ⁊ patriā ex parte aui sui Iouis. Apud philosophos vero (vt supra diximus) harum significationū nullus est vsus, sed tantū illius, in qua primo loco genus est a nobis definitū.

¶ Visa prima parte generis declaratiua sequitur nunc secunda Quæ argumentatiua nuncupatur.

Pars argumentatiua.

1 argumen

¶ Primo arg. sic. Nulla spēs specialissima prędicat de pluribus

contra primam diffinitionem generis est argumentum tale / genus non predicatur de pluribus differentibus specie ergo / probo nulla pars predicatur de suo toto sed genus est pars speciei ergo non predicatur de pluribus differentibus specie / probatur minor species habet in se genus et differentiam [illegible] nam genus est una pars et differentia altera ergo genus [illegible] pars non predicabitur de suo toto quod est species ad hoc argumentum respondetur [illegible] [illegible] differentia quae est [illegible] [illegible] est constitutiva in speciebus ut patet in [illegible] nam descendentes [illegible] ex animalitate et rationalitate [illegible]

differentibus specie, sed gen⁹ est species specialissima vniuer salis, ergo nõ prędicatur de pluribus differentibus specie, cõ sequentia est inferio, & pręmissę veræ, ergo diffinitio generis mala.

¶ Secundo sic. Si diffinitio generis esset bona, hæ propositiones essent veræ Homo est genus. Equus est genus. Lupus est genus, sed istæ sunt falsę, ergo diffinitio illa mala, qua notificatur genus prædicari de pluribus differentibus specie. ij. argumen

¶ Tertio sic, Dabile est aliquod genus, quod prędicatur in quale, ergo diffinitio illa mala, qua dicitur quòd genus prædicatur in quid. Sequela est bona, & antecedens probo. Color est genus, quod quidem prędicatur in quale: vt, Homo est coloratus, lapis est coloratus, ergo intentum. iij. argumẽ

¶ Quarto sic. Nulla pars prędicatur de suo todo in quid, & in recto (non enim dicimus, homo est animal, vel est corp⁹) sed genus est pars speciei, dicẽdo, homo est animal, ergo animal non prędicatur de homine, cum sit pars essentialis eius. iiij. argumẽ

¶ Pars responsiua.

AD primum quãdo arguis, Nulla species specialissima, &c. distinguo maiorem, vel inteligis de prędicatione exercita, vel signata: prædicatione exercita concedo, sed signata nego. Potest enim species prędicari de pluribus differentibus species. Ead minorem, Genus est species specialissima, distinguo, vel capitur genus secunde intẽtionaliter respectu vniuersalis & sic concedo, q; non prædicatur prædicationẽ exercita, nisi de pluribus differentibus numero, dicendo, Hoc genus est genus, & Hoc genus est gen⁹. Vel intelligis de prædicatione signata, quæ fit per hęc verba, dicitur, Affirmatur, Prædicatur, & sic negatur q; non prędicetur de pluribus differentibus specie, exercebitur autem in his, homo est animal, equus est animal. Ad. j. argu.

¶ Ad secundum argumentum. Si diffinitio generis esset bona &c. Nego sequelam, & dico, q; genus prædicatur de pluribus differentibus specie, prędicatione signata (vt dictum est, & etiã. Ad. ij. argu.

et ad argumentum [illegible] respondemus [illegible] genus [illegible] genere et differentia [illegible]

species consistit ex genere et ex differentia [illegible] ex materia [illegible] et materia et forma [illegible] partes [illegible] consequens [illegible] differentia [illegible] concedo [illegible] genus et differentia [illegible]

exercita dicendo, Genus est vniuersale, Species est vniuersale, differentia est vniuersale. &c, Ly vniuersale est genus & tamen prædicatur de his speciebus quinq; scilicet de genere, & specie, & differentia, proprio, & accidente.

Ad tertiũ argumen. ¶ Ad tertiũ argumentũ respõdetur distinguẽdo maiorẽ, vel intelligis q̃ gen' accidentariũ prædicatur de suis subiectis in quale: vt, Homo est coloratus, Equus est coloratus &c. Et sic concedo: vel integillis quôd prędicatur de suis inferioribus: vt, Albedo est color, nigredo est color, & sic nego. Intelligitur enim diffinitio generis, de prædicatione exercita de suis inferioribus.

Ad. iiij. argumentũ. ¶ Ad quartum argumentum respondetur ad maiorem, distinguẽdo. Duplex enim est pars: metaphysicalis sicut genus, & differẽtia respectu speciei, vt, animal vel homo est rationale: alia est pars physica, vt est anima, & corpus respectu hominis. Prima pars metaphysicalis, prædicatur de suo toto, & è contra, vt Homo est animal. Homo est rationalis. Animal est homo. Et rationale est homo, sed pars physica non prędicatur de suo toto in recto, sed bene in obliquo. Non enim dicimus homo est anima, nec homo est corpus, sed bene dicimus, Homo est constitutus ex anima & corpore.

¶ Pars dubitatiua.

¶ Primo dubitatur, Quid sit de ratione generis generalissimi
¶ Secundo dubitatur, An requiratur ad hoc q̃ aliquid sit genus, quód habeat plures species sub se, vel sufficit habere vnam?

Sufficit generi generalissimo nullum supra se habere genus. ¶ Ad primum dubium respondetur, quôd ad rationem generis generalissimi, sufficit non habere aliud genus supra se. Vnde hęc est bona consequentia, hoc est genus & non habet aliud genus supra se ergo est generalissimum.

¶ Ad secundum dubium. Respondetur breuiter, q̃ sufficit habere vnam speciem sub se, & illud videtur innuere diffinitio speciei qua dicitur species est quæ ponitur sub a signato genere, & de qua ipsum genus in eo quod quid prædicatur.

Caput.ix.

¶ De specie.

Iterū quinque prædicabilia, secundum iure obtinet locum species, propterea quod cum genere plus ceteris conueniat. Idē enim est vtrisque prædicandi modus. Nam & genus & species similiter prædicantur in eo quod quid est. Quemadmodum autem duas posuimus generis acceptiones, secundum quas non est in vsu philosophis, sic & speciei vnam assignat Porphyrius acceptionem, que nō est vsui Dialecticis Sic enim ait.

¶ Species dicitur vniuscuiusque forma.

¶ Secundum hanc significationem dicimus Priami speciem dignā esse imperio. Dicimus item secundum hanc significationem, mulierem esse honesta & liberali vel inhonesta & illiberali specie, venusta quoque & inuenusta, decora & indecora specie. Unde & speciosos homines dicimus, quos alio nomine equiualenti formosos vocamus. ¶ Secundum aliam autem acceptionem, quę vsui est Dialecticis, definitur species a Porphyrio in hunc modum.

¶ Species est, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid est.

Species prædicabilis.

¶ Hoc est, vniuersale huiusmodi, quod secundum suam significationem (quam habet strictam quidem & angustam, licet non omnino vt indiuidua singularem) tam est speciale, vt possit tantū de diuersis indiuiduis eiusdem speciei vere prædicari, non etiā de diuersis speciebus, aut diuersarū specierū indiuiduis: idq; essentialiter & quidditatiue ad interrogationē scilicet, factam per quid. Uerbi gratia, homo species ē respectu subiectorū sibi indiuiduorū, qm̄ d suis indiuiduis prædicatur, Petro, videlicet, Paulo, Joāne, & cęteris pticularib⁹ indiuiduis. Et de his quidē in eo quod quid est prædicatur, qm̄ roganti quid sit Petrus aut Augustinus, morpaptissima responsione dicetur homo est. Est enim species suorū indiuiduorū quidditas, sicut genus quidditas est suarum specierū. Et sicut ad interrogationē de specie factā per interrogatiuū signū quid, cōmode adhibetur responsio generis de specie (quēadmodū precedēti capitulo dictum est) ita ad interrogationē de indiuiduo sub eodem signo factam, adhibēda est responsio speciei & proxima & promptissima. Prędicatur itaque homo de pluribus differētibus numero, in eo quod quid est. Uerū tā angustę significationis est, vt nō nisi de differētib⁹ numero hoc modo prędicari possit, nō etiā de multis differētibus specie, id est, diuersis speciebus aut de indiuiduis diuersarū specierū. Neque enim vlla

species inferior sub homine est, de qua possit prędicari, neque vlla alia indiuidua, nisi particulares homines qui omnes vnius eiusdē que specie sunt, nempe humanę, & solo numero differunt. ¶ Ex qua declaratione patet, quod definitio prędicta secundum exclusionem debeat intelligi, hoc modo, Species est vniuersale, quod solum de numero differentibus prędicatur, in eo quod quid est. Alioquin & genera de indiuiduis eiusdem speciei (quę numero differunt) prędicantur in quid, vt animal de Petro & Paulo. Sed non de his tantū differentibus numero prędicatur, verum etiam de differentibus specie, vt pote homine, equo asino, &c.

Caput. x.

De identitate & diuersitate.

Quoniam autem iam diximus de numero & specie differentibus, opportune hic considerandum est (ne in ignotis versemur nominibus) quid sibi velint ista vocabula. Sciendum itaque est tripliciter aliqua differre. Quędā enim solo numero differunt, quędam specie, quędam etiam genere.

Differē. numero. ¶ Numero enim differunt, diuersa indiuidua, sub eadem proxima specie posita, quę numero quidem differre dicuntur propter diuersitatem indiuidualem, quę numerum constituit. Solum autem numero differunt, quia maior differentia quā numeralis inter illa quę sub eadem specie specialissima posita sunt, nō potest reperiri. In prima enim essentia quę superior est, nempe natura speciei, mox conuenientia inuenitur. Omnia enim indiuidua eiusdem speciei, ex ęquo naturam speciei participant, & ęqualiter communicant in ea, multo autē magis in natura generis. Relinquitur ergo vt solo numero differāt.

Differē. specie. ¶ Differunt autem specie, quę vel sunt species diuersę, vel diuersarū specierum indiuidua, vt equus & homo specie differūt, similiter leo & vrsus, pomus & pirus, aurum & argentum, albedo & nigredo, & ita in cęteris. Rursum hic homo, & hic equus, iste leo, & iste vrsus, hęc pomus, & hęc pirus. Huiusmodi autem solum specie differunt, quę in proximo genere cōmunicant. Ut homo & equus in animali: quod super ipsa est proximum, aurum & argentum in metallo: albedo & nigredo in colore. Similiter hic homo & hic equus in proximo genere communicant, quapropter non nisi specie differunt.

Differē. genere. ¶ Differunt vero genere, quę vel sunt diuersa genera, vel species, aut indiuidua sub diuersis generibus constituta, vt brutum & arbor genere differūt, quia duo sunt diuersa genera: equus vero & pirus quoniam diuersorum generum sunt species. Deinde etiam hoc animal, & hęc arbor quia indiuidua sunt sub diuersis generibus posita. Inter hęc autē per se euidens est ea que tertio modo differunt, maxime: quę primo minime, quę vero secundo mediocriter differre.

Numero eadem. ¶ Quoniam vero secundū vsitatissimam illam Aristotelis regulā (tot modis dicitur vnum oppositorum, quot modis & reliquum) possunt similiter tres modi identitatis assignari. Primum enim dicimus idem numero, quando nec secundum numerum inuenitur differentia, vt pote cum inueniri

non potest

non potest indiuidualis diuersitas, quę numerum debet constituere. Sic homo quilibet heri & hodie, idem est numero. Et quęlibet res eadem est cum semetipsa. Eadem enim res, quotiescunque sumatur vel replicetur, secundum nomen aut considerationem, non potest numerum cōstituere. Oportet enim diuersa accipere indiuidua vt minimum duo, priusquam consurgat numerus. Specie vero dicuntur eadem, quę sub eadem specie proxima & specialissima inueniuntur posita. Ut omnes particulares homines cum seinuicem sunt specie idē & omnes leones cum seinuicem. Eadem vero genere sunt, quę sub eodem genere ponuntur. Ut homo, equus, asinus, leo, & horum indiuidua. Quanto autem genus istud ad quod fit specierum comparatio fuerit generalius generalissimoq3 vicinius, & ab vltima specie remotius, tanto minor est huiusmodi specierum identitas. Nihil enim dubium est, quin homo & equus sint magis genere idem, quam equus & arbor. Homo enim & equus in animali conueniunt, equus autem & arbor non conueniunt nisi in corpore animato, quod genus a specie specialissima est elongatius, & generalissimo primoq3 generi magis appropinquat. Quemadmodum autem supradictū est, illa minime differre, quę numero tantum differunt, illa autem maxime quę genere, sic per oppositum de identitate dicendum est, maximam esse numeralem, minimam genericam, specificam vero medio modo se habētem. Nunc vero ad speciei pertractationem redeamus.

» Specie » eadem.

» Genere » eadem.

Caput. ix.

¶ De speciei varia acceptione.

Aduertēdum autem est, vocabulum speciei vario modo a Dialecticis vsurpari: & nonnunquam quidem ad subiecta indiuidua, alias vero ad supposita genera referri. Secundum priorem acceptionem nominant speciem prędicabilem, quam etiam supra definiuimus solum de differētibus numero prędicari. Atque hęc est species secunda vniuersalis. Secundū vero posteriorē cōsiderationem, subijcibilē speciem appellāt, quam ita definiunt, duplici definitione.

Species est, quæ sub genere ponitur: & de qua genus in eo quod quid est prædicatur.

Species subijcibilis

Hoc est, vniuersale eiusmodi aut dictio vniuersalis, quę sub aliquo superiori genere in prędicamentali ordine, aut ordinata prędicatione subijcitur, & de quo superius genus quidditatiue, siue in respōsione ad interrogationē quid est, prędicatur. Iuxta hāc autē acceptionē non solum vltimę species ac specialissimę, & quę de solis numero differentibus prędicantur, dicendę sunt species, verumetiā genera omnia quęcunque inter generalissimum genus & vltimā speciem sunt intermedia. Nā & animal hoc modo est species corporis animati, & corpus animatū species corporis, & corpus substantię. Neque vocabulū species secundum hanc acceptionē haberi potest pro secunda specie vniuersalis, quoniam vniuersale respectum notat ad subiecta, de quibus secundum rectam & ordinatam prędicationem dici potest.

Sed est correlatiuum generis: quemadmodũ filius correlatiuum est patris. Sicut enim pater omnis est pater filij, ita genus respectu sub iectę sibi speciei dicitur genus: & vicissim species hoc modo sumpta, est alicuius supraftantis generis species, vt omnis filius est patris sui filius. Species autẽ prędicabilis, ad indiuidua referri debet.

Caput. xij.

De specialissima & subalterna specie, itemq; de genere generalissimo & subalterno.

¶ Hanc autem speciem prędicabilem, quam supra diximus solum prędicari de differentibus numero, vocamus etiam speciem specialissimam, eo ꝙ vltima sit & infima indiuiduisq; proxima, & immediata. Difinitur autem hoc modo.

Species specialissima.

¶ Specialissimum est, quod cum sit species, nõ est genus vel etiam quod cũ sit species, non diuiditur in species.

Hoc est, quod quidem est species comparatione ad subiecta indiuidua, nullas tamen habet sub se species, quarum cõparatione queat dici genus, aut in quas possit diuidi, ad eum modum quo genus essentiali diuisione secatur in species. Huiusmodi autem species specialissimę sunt omnes quę indiuiduis proximę sunt, & sub quibus non est reperire, nisi indiuidua. Sic per oppositum definitur genus generalissimum hoc modo.

Genus generalissimũ


¶ Generalissimum genus est, quod cum sit genus, non est species: & iterũ, supra quod non est aliud superueniens genus.

¶ Hoc est, quod ita est secundum suam significationẽ generale & eminens, vt supra omnia alia genera sui ordinis vel prędicamenti emineat, ipsum vero nihil superius se & generalius agnoscit in suo prędicamentali ordine cui subijciatur. Exempli gratia. Substãtia generalissimum genus est, quoniam genus ita generale & eminens, vt super omnia constituatur, quę in ordine sunt prędicamenti sui, tanq̃ omnis substantiarum genus: ipsum vero in eodem ordine nihil se habet superius. Animal vero genus quidem est, sed non generalissimum, quoniam supra se habet alia genera in eadem prędicamentali coordinatione. Habet enim supra se corpus, animatum, corpus & substantiam altiora genera, quibus necessario subijcitur. Immo vero corpus tametsi genus sit admodum generale, & multo generalius q̃ animal, nequaq̃ tamẽ ad hoc pertingere valet, vt generalissimum genus dicatur, quoniam vnum habet supra se genus, nempe substantiam cui supponitur. Hęc autem generalissima, vocamus prima atq; suprema genera, eo ꝙ nihil sit illis generalius aut prius: quemadmodum specialissima dicimus, vltimas species, eo ꝙ nullum vniuersale sit: sub illis specialius aut posterius. Sola enim habent sub se indiuidua. Quę vero simul genus sunt & species, hęc subalterna recte appellantur, eo quod sub alijs sunt posita genera. Dicimusq; huiusmodi vel genera subalterna, vel species subalternas, Quę a Porphyrio ita definiuntur.

Subalterna sunt, quorum vnum quodq; genus & species esse potest, ad aliud quidem, & ad aliud sumptum. Subalterna.

¶ Ex prædictis vero manifestum est, generalissimum solum vnam habere habitudinem siue respectum vnicum ad ea quę inferius posita sunt genera & species, nempe habitudinē generis non autem speciei. Speciem quoque specialissimam similiter habere vnicam habitudinem, nempe speciei tātum, non autem generis. Subalterna vero duplicem habere habitudinem, alteram quidem generis, qua se habent erga subiectas species, & ad illas referuntur, dum illarum dicūtur genera: alteram vero speciei, qua se habent erga suprapposita genera, & qua ad illa referuntur, vt dicantur eorum subijcibiles species. Quę omnia in subiecta ordinatione substantialium generum & specierum ad oculum patent.

Generalissimum genus.



Specie specialissima, sub qua sola sunt indiuidua.

¶ Visa parte textuali arguitur sic.

Pars argumentatiua.

¶ Primo contra diffinitionē speciei specialissimæ, in qua dicitur, quod species specialissima prædicatur de pluribus differentibus numero solum, hæc diffinitio conuenit alijs a diffinito, ergo non est bona. Sequela est bona, & antecedēs probo. Species specialissima, prædicatur de pluribus differentibus specie, ergo non numero solū hoc antecedens probo. Omnes istæ sunt veræ. Homo est species, Leo est species, & Equus est species, & istæ differunt specie ergo intentum, Pri. argu.

ij. argumē. Unius rei vnica est diffinitio vide solutionē huius ar. iij. argumē

¶ Secundo arguitur sic. Vnius rei (secundum Philosophum) est vna diffinitio: sed speciei sunt multæ diffinitiones, ergo minus bene datur, antecedens est notum & patet in textu. Tertio arguitur sic. Vel diffinitur species pro denominato, vel pro per se significato: non primum, cum sit prima intētio, nec secundum quia de specie capta secundę intentionaliter prædicatur vniuersale denominatiuè, nam ista est denominatiua, species est species, ergo & ista est denominatiua, species est vniuersale: quia si inferius prædicatur denominatiué & suum superius. Vnde bene sequitur, Album prædicatur denominatiué ergo & coloratum.

¶ Pars responsiua.

Ad pri. ar. ¶ Ad primū argu. dico. Quod species specialissima, bene prędicatur de pluribus differentibus specie denominatiuè, & accidentaliter, (vt bene probat argumentum) sed non quidditatiué, & essentialiter; & diffinitio data intelligitur de prædicatione quidditatiua, &c.

Ad ij. arg. Unius rei possunt esse plures diffinitiones additamentales. ¶ Ad secundū cōcedo quód vnius rei est vna diffinitio quidditatiua, & non additamentales, sed vnius rei, possunt esse plures diffinitiones additamentales, & quia species aliquādo diffinitur in ordinem ad genus, (vt species est quę ponitur sub assignato genere, vel de qua genus in eo quod quid prædicatur,) aliquando in ordine ad indiuiduū, (vt species est quod prędicatur de pluribus differentibus numero solum,) ideo habet plures diffinitiones additamentales.

Ad iij. arg ¶ Ad tertiū dicitur q̃ diffinitur species proper se significato, licet hoc cōcretum species possit supponere pro denominato respectu hui⁹ quod est esse, et pro per se significato supponit respectu horū verborū prædicat, verificat, subijcitur. &c.

¶ Pars dubitatiua.

Primum dubium. ij. dubium. ¶ Sed dubitatur, An anima equi, & anima asini, sint eiusdē speciei, vel diuersæ?

¶ Secundo dubitatur, An ista propositio sit cōcedēda videlicet:

participatione speciei plures homines sunt vnus homo?

¶ Ad primum respondetur quod non sunt eiusdem speciei, cũ habeant diuersas differentias specificas, licet nobis ignotas. Ad .j. dub.

¶ Ad secundum respondetur, quod si ly Vnus, capiatur pro vno numero, illa propositio est falsa, cum sua contradictoria sit vera, puta ista, multi homines non sunt vnus homo, si tamẽ ly Vnus, capiatur pro vno in specie est vera, cui⁹ sensus est, Multi homines conueniunt in vnitate specifica. Ad .ij. dub.

Caput .xiiij.

De differentia.



Postquam de genere & specie breuis absoluta est determinatio, ad tractatum differentię bono ordine nobis est procedendum. Ubi primum omnium notandũ est, differentiam esse triplicem, nempe communẽ, propriam, & magis propriam. Sic quoque tripliciter dicitur alterum differre ab altero nempe communiter proprie, & magis proprie. Quę ita apud Porphyriũ definiuntur.

Communiter differre alterum ab altero dicitur, quod alteritate quadam differt quocunque modo, vel â seipso, vel ab alio. Communiter differre

¶ Quam definitionem sic intellige, Communiter illa differunt, quę secundum separabile accidens (quam Porphyrius nominat quandã alteritatem) differũt, vt homo calidus differt a frigido, Petrus stãs a Paulo sedente aut ambulante. Atque hoc modo non solum ab altero, verum etiam idem a seipso secundum diuersa tempora differre dicitur. Ut (exempli gratia) Petrus iam sedens differt a seipso, qui mox ambulabat, homo probe potus a seipso prius sobrio. Hec autẽ communis differentia nominatur, eo quod non sit secundum aliquã fixe inhęrentem rei proprietatem. Secundum hunc autem modum, vt maxime frequenter, ita minime certo distinguere solent homines & differentias ponere. Maxime quidem frequenter, quod maxime pareant sensui, minime autem certo, eo ꝙ nulla est instabilitas eius differentię, que secundum hęc accidentia sumitur.

Propriè differre alterum ab altero dicitur, quando ab aliquo inseparabili accidente differt. Proprie differre.

¶ Ut coruus niger ab albo cygno proprie differt, per suam nigredinem. Sic differunt, quorum alter albos, alter glaucos habet oculos aut capillos. Atq; hoc modo etiam idẽ a seipso potest differre. Petrus enim iam cicatricem firmatam habens a seipso differt prius illam non habente, & iam morbilosus, a seipso prius bene sano. Dicimus autem inseparabile accidens, quod secundum naturam, vel om

nino non poteſt, vel certe non niſi admodum difficulter poteſt, a ſubiecto emigrare, cui ſemel inſederit, abſque ſubiecti ſui corruptione. Quę vero facile abſcedunt, ea ſeparabilia dicimus: vt calor in homine aut frigus, loquendo de exteriori membrorum calore aut frigore. Nam huiuſmodi calor facile emigrat, vbi in ventum aut aerem frigidum quis fuerit ingreſſus, & facile pellitur frigus, vbi ad ignē corpus admouerit. Ceterum calor vitalis ſine quo viuere nō poteſt homo, accidens ſeparabile non eſt. Hęc autem differētia, prior & certior & firmior eſt, ac proinde recte propria, in comparatione ad priorum minus communem appellatur. Quid autem ſit differre magis proprie ita definit Porphyrius.

Differre magis proprie. fit

Magis propriè alterum ab altero differt, quando ſpecifica differentia differt.

" Ut homo a bruto differt per rationalitatem, quam Porphyrius
" vocat obſcurius rationalem qualitatem. Specifica autem differentia
" dicitur, quę ſpeciem cōſtituit & componit, quęqꝫ interſecat inter ſpe
" cies ſub eodem genere poſitas, & ſpeciem a ſpecie diuidit atque diſtinguit eſſentialiter. Loquimur autem hic, non tantum de ſpecie ſpecialiſſima ſed etiam de ſpecie ſubalterna. Eſt enim rationale ſpecifica differentia hominis, qua differt a brutis: & nihilominus ſenſitiuum, differentia eſt ſpecifica animalis, qua differt a planta inſenſitiua: animatum, corporis animati, qua nimirum differt a corporibus inanimatis. Corporeū corporis quoqꝫ eſt ſpecifica differentia, qua differt corpus a ſpiritu, qui eſt incorporeus.

per diuiſiones per compoſitionez et per conſtitutionez

Caput. xiiij.

De diſtinctione huius triplicis differentię.

Circa has autem differentias aduertēdum eſt, quod duę primę non faciunt aliud, id eſt, eſſentiā & ſubſtātiam rei non diſtinguūt neqꝫ ſpeciem conſtituunt, aut ſpeciē a ſpecie eſſentialiter diſtinguūt, ſed faciūt tantū alteratum, id eſt ſubiectum ſolum faciunt aliquo modo aliter ſe habere. Non enim quia modo calidus ſum qui mox fuerā frigidus, idcirco aliud ſum quam ante modicū temporis fueram. Idē enim ſum & non aliud prius calidus, & poſt frigidus. Neqꝫ aliud eſt homo cicatricē habēs, a ſeipſo prius illā non habente. Imo neqꝫ homo ab equo aliud eſt, propter diuerſam figuram. Faciunt tamen illę priores differentię rem alteratam, vel quodammodo alteram dici, id eſt, aliter ſe habentem. Qui enim ante modicū calidus, nunc factus eſt frigidus. Per hoc adueniens frigus recte alteratus dicetur, vel aliquo modo alter a ſeipſo prius calido, id eſt, aliter ſe habēs quā prius: differentia autē magis propria, non facit rem alteram tantum aut alteratam, id eſt, aliter ſe habentem, ſed etiam aliud facit, & eſſentialem diuerſitatem inter ſpeciem & ſpeciem conſtituit. ¶ Differentia enim eſt, quę genericę naturę adueniens ipſam contrahit, & limitat ad certam ſpeciem conſtituendam. Nam genus per ſe ſumptum, indifferens eſt ad ſingulas ſpecies: quapropter ex genere non poteſt ſpecierum ſubiectarum ſumi diuerſitas, ſed per aduenię

tem differentiam quasi stringitur eius indifferentia, & ad certam speciem componendam cogitur. Quamobrê ex differentijs istis sumit debet essentialis specierũ diuersitas. Fiat autem exemplo clarũ quod dicimus. Animal genus est homini & bruto ex ę quo commune, neque quantumad esse animal vlla inter hominem & brutum differentia est. Tam enim animal est brutũ quam homo. Verũ rationale accedês ad animal, ipsam contrahit & constringit ad constituendã vna secũ certam speciem, quę est homo. Similiter irrationale ex altera parte, contrahit animal ad componendũ cum ipso certã specię, quę est brutum. Nam species simul ex genere & differẽtia componitur, & essentialiter constituitur. estq; genus cum differentia, tota essentia speciei. Homo enim est animal rationale, & brutum animal irrationale. ¶ Sic corporeum adueniês substantię, ipsam contrahit ad componendã speciem quę est corpus, & ex aduerso incorporeũ, ad componendũ spiritum. Rursum differentia animatum, contrahit genus corpus ad constituendum corpus animatum. Hęc enim ita secundum compositam significationem simplici accipimus, propter nominũ simpliciũ inopiã. Rursum corpori animato adueniens differentia sensibile vel sensitiuum, contrahit ipsum ad constituendum animal, ex aduerso autẽ insensitiuum, ad componendam plantã. Postremo adueniens animali rationale (vt diximus) constituit hominem, ex aduerso autem irrationale brutũ componit. ¶ Atq; hę quę modo numeratę sunt, fere sunt omnes differetię quas habemus cognitas, & suis proprijs nominibus designatas. Et licet in alijs speciebus non habeamus nominatas, neq; etiam ipsas differentias perspectas, hoc tamen constat omnem specię quęcunq; sub genere ponitur habere essentialem differentiam, quę ipsam simul cum genere essentialiter componit, & pars est essentię eius. Impossibile enim est, intelligere speciem sine differentia, & sine genere, quemadmodũ neque homo viuens esse potest sine anima. Ratio autem, quare tam paucas cognoscamus rerum differentias essentiales, est hebetudo nostri intellectus, & nostrę naturę rationalis imperfectio, quę res vt in se sunt non valet cognoscere, neq; intime eas penetrare, & vt in seipsis sunt intelligere: sed circa exteriora occupatur, & ex illis ratiocinãdo debet interiora quę potest cognoscere. ¶ Deus autem qui res vt in seipsis sunt intuetur, similiter & intelligentię absque materia, cuiusmodi sunt beati spiritus, qui rerum essentias intelligunt, & secundum se cognoscunt, optime cognitas habẽt & praespectas singularum specierum essentiales differentias: & est illis iucundissimum spectaculum, videre quomodo inter tam varias rerum species singulę secundũ propriam suam essentiam diuisę sint atque disiunctę a singulis, ita vt ab vna in aliam non possit vnquam fieri commutatio.

Caput. xv.

¶ Declaratur per analogiam, quomodo genus contrahatur per differentiam ad componendum speciem.

Ut autẽ clarius fiat quod dicimus, genus per differẽtiam cõtrahi, & differentiã limitare genus ad certę speciei compositionẽ

genus ipsum materię comparabimus, ⁊ differentiam formę, speciem vero toti ipsi cōposito, quod ex materia ⁊ forma componitur. Habee enim genus ratione materię, differentia ratione formę ⁊ species ratione cōpositi, id est, similitudinē: secundū quē sensum dicit Porphyrius genus esse proportionabile cū materia, ⁊ differentiā cū forma, id est, cōparabile vel assimilabile. ¶ Queadmodū itaque materia (vt in physicis plenius declaratur) indifferens est ad compositionē vel huius vel illius naturalis cōpositi, sic ⁊ genus ad constitutionem huius vel illius speciei. Et queadmodū forma adueniēs cū materia certum compositum efficit (vt cum anima rationalis in materiam aduenerit, homo efficitur) sic differentia generi adueniens speciem componit. Et sicut compositum ex corpore simul ⁊ anima constat, sic species ex superiore genere ⁊ adueniēte differentia. ¶ Clarius quoque hoc ipsum videmus ad oculū in massa cerę, quod ex se sit differens ad suscipiendam impressionem sigillarem, quamcunqꝫ attulerit adueniens sigillum: sed sigilli sculptura impressa massę iam ipsam cōstringit ⁊ limitat ad certę imaginis repręsentationem. Est autem genus quomodo massa cerę indifferens, ⁊ differentia quomodo sigillaris illa figura, determinans massę indifferētiam. Patet itaqꝫ ex predictis queadmodum differentia magis propria (iuxta Porphyrii dictū) facit aliud: differētię autē priores, tantū alteratū: quapropter ⁊ nostro proposito non sunt accommodę, sed tantum magis propria.

Caput. xvi.
Differentias conducere ad diuidendum ⁊ definiendum.

OMnes vero differentię istę magis proprię ad duo sunt vtiles, nempe ad diuisionem generum, ⁊ constitutionem specierum. Diuidunt enim genus, ⁊ species constituunt: vnde ⁊ diuisiuę generū vocantur, ⁊ constitutiuę specierū. Ut (verbi gratia) rationale ⁊ irrationale diuidunt animal, constituunt autē sub ipso species: illud quidem hominem, hoc vero brutum. Ad eundem modum sensibile ⁊ insensibile diuidunt corpus animatum, sed cōstituunt sub eo duas species animal ⁊ plāta: atqꝫ ita in reliquis facile est considerare. Quomodo autē diximus differētias istas conducere ad speciei cōstitutionē, ita etiā dicimꝰ eas ad definiendā speciē cōducere. Definitur enim species ꝑ genus ⁊ differētiā, quę sunt tota eius essentia. Est enim homo, animal rationale: brutū, animal irrationale: animal, corpus animatū sensibile: corpus, substātia corporea: spiritꝰ, incorporea substātia, ⁊ ita in alijs. ¶ Insuper ⁊ hoc est notādū, ꝙ generalissima genera differētias habēt tātū diuisiuas, nō autem cōstitutiuas, species vero specialissimę, cōstitutiuas habēt, nō diuisiuas. Quę vero intermedia sunt subalterna genera differētias habēt ⁊ diuisiuas ⁊ cōstitutiuas: diuisiuas quidē, ꝑ quas in inferiores species diuidūtur: constitutiuas sūt, ex quibꝰ cū superioribꝰ generibꝰ essētialiter cōstituūtur. Generalissimū enim cū sit primū genus, nō habet constitutiuam differētiam.

Alioqui primũ genus non esset, sed oporteret aliud aliquod genus esse ipso superius, quod per hanc differentiam cõtraheretur ad eius compositionem. Specialissimum vero cum sit vltima species, nõ potest habere alias diuisiuas differentias. Alioqui oporteret post ipsam esse alias species inferiores, que ex his differentijs cum illis speciebus constituerentur. Sunt autẽ hec plane absurda et impossibilia. De intermedijs autem generibus monstratum est, nihil sequi incommodi, si et constitutiuas habeant et diuisiuas differentias. Imo necessarium simpliciter est intermedijs generibus, vt vtrasque habeant. Attamen illud notandum est, licet omnia intermedia habeant et diuisiuas et constitutiuas differentias, non posse tamen fieri vt eadem differentia eiusdem speciei sit diuisiua et constitutiua. Impossibile enim est, eandem differentiam esse huius speciei constitiuam, et simul eiusdem speciei esse diuisiuam: sed necessarium est, si huius sit generis diuisiua, vt inferioris speciei sit constitutiua: et si huius speciei sit constitutiua, necesse est superioris generis eam esse diuisiuam. Ut (verbi gratia) rationale est hominis constitutiua differentia, atque idcirco est generis superioris (nempe animalis) diuisiua differentia: et sensibile diuisiua est differẽtia corporis animati, atque idcirco constitutiua subiecte speciei, scilicet animalis. Necesse tamen est, omnem differentiam diuisiuam esse constitutiuam, et e contrario, verum respectu diuersorum, nimirum diuisiuam superioris generis, et constitutiuam inferioris speciei.

Caput. xvij.

Specificam differentiam dici dupliciter.

Sciendum quoque est, differentiam specificam dici dupliciter. Cum enim specifica dicatur, que facit speciem, species vero dicatur dupliciter, videtur etiam specifica differentia hac ratione dupliciter accipi. Primũ enim a specie subijcibili dicitur, que videlicet speciem subijcibilem constituit sub certo genere. Atque ita hactenus specificam differentiam appellauimus, est que hoc modo omnis differentia magis propria, specifica differentia: neque inconueniens est, eandem differentiam specificam simul genericam esse, etiam respectu eiusdem, quemadmodum idem hoc modo, potest esse species et genus. ¶ Nonnunquam tamen specificam differentiam accipimus strictius a specie specialissima: pro ea videlicet differentia, que speciẽ specialissimam constituit: quemadmodum est rationale. Atque ita cõtra genericam distinguitur. Non enim potest eadem differentia generica esse, id est, generis constitutiua et simul specifica, id est, speciei specialissime constitutiua, neque respectu vnius, neque respectu diuersorum. Una enim differentia non potest nisi vnum constituere, siue genus illud sit, siue species: ita vt si cõstituat specialissimam speciẽ nõ possit constituere genus: et si genus, nõ possit talem efficere speciem.

Caput xviij.

¶ Ponuntur definitiones differentie magis proprie.

Definitur autem differentia ista magis propria pluribus definitionibus. Primum quidem sic.

Prima diffinitio diffe.

¶ Differentia est, qua abundat species à genere.

¶ Id est, secũdum quam species essentialiter plus habet, & (vt ita loquar) ditior est quam suum genus. Nam species homo, quia essentialiter in se includit rationale, vt pote partem suę essentię, supra animal, ipsum vero genus animal in se non essentialiter includit racionale (aduenit enim ei quasi per accidentis modum) idcirco per eam species homo abundat. estq; ditior supra genus animal. Sic animal abundat supra genus suum corpus animatũ, per differentiam sensibile, & ita in reliquis omnibus. Quicquid enim habet genus. habet etiã generis ipsius species, & vltra totum hoc habet species differentiam in se, vt essentialem sui partem, quam sic non habet genus. Vnde consequitur per differentiam omnem constitutiuam, speciem abundare pręsuo gente. ¶ Altera diffinitio est.

Secũda diffinitio differentię.

¶ Differẽtia est, quæ diuidit ea quæ sub eodẽ gñre posita sunt.

¶ Hoc est, quę species sub eodem genere positas ab inuicem secat, disiũgit ac separat, essentiali distictione. Atque id quomodo fiat in pręcedentibus dictum est manifestius. Veruntamen hę definitiones non vidẽtur explicare rationem vniuersalis, neque differentiam describunt secundum rationẽ pręedicabilis. Oportet ergo aliam subiungere, quę differentiam recte definiat secundum rationem huiusmodi, quatenus videlicet tertiũ pręedicabile est, & vniuersalis tertia species. ¶ Ea est hęc.

Tertia diffinitio differentię.

¶ Differentia est, quæ de pluribus & specie differẽtibus in eo quod quale est prędicatur.

¶ Hoc est, vniuersale eiusmodi quod de multis siue specie, siue numero differẽtib9 prędicari natum est. ad interrogationem factam de re qualis ipsa sit, qualis inquam essentialiter, non accidentaliter. Quomodo enim supra dicum est, genus conuenienter respõderi ad interrogationem quid est, factam de specie, & item speciem ad interrogationem quid est de indiuiduo: sic interrogãti de indiuiduo vel de specie, quale quid sit (essentialiter interrogando) responderi potest & debet differentia. Si enim interrogaueris, quale animal sit homo, respondebitur proculdubio rationale. Aut si simpliciter interrogetur: qualis est homo secundum essentiam, respondebitur, rationalis est. ¶ Diximus autem in definitione, de pluribus specie differentibus quoniam solum datur definitio de differentijs genericis, nisi quis adiiciat, vel numero, quod Porphyrij exemplis in veritate non repugnat. Ratio autẽ quare differẽtia prędicatur in eo quod quale est, & quare ad huiusmodi interrogationem apte respondeatur est, quoniam (vt diximus) differentia rationem habet formę, & est essentialis quędam qualitas: propter quod etiam a Philosophis rationalitas ipsa qualitas rationalis nuncupatur, secudum quem etiã modum, ipsam animalis naturam possumus appellare quidditatem hominis. ¶ Recte autem adiectum est. in eo quod quale est essentialiter vt excluderẽtur a difinitione differẽtię communis & ppria, quę licet in quale prędicẽtur de suis subiectis, non tamen nisi in quale accidẽtaliter quemadmodum in consequentibus declarabitur.

¶ Visa parte textuali, ex quisitaq; examinatione eius putã differentiæ, vel tertij predicabilis, sequitur pars argumentatiua & dubiorum motiua, &c.

Pars argumentatiua.

¶ Primo arguitur sic. Homo non prædicatur in quale, ergo nec rationale. Antecedens est notum, cũ prædicetur in quid sed sequelam probo. Illa quæ nõ distinguuntur sunt eadem, sed homo & rationale non distinguuntur, ergo sunt eadem. Vltra eadem, ergo si vnum non prædicatur in quale (putã homo,) nec aliud (scilicet rationale.) Pri. argu.

¶ Confirmatur. Illa quæ sunt eadem, habent eandem operationem, vt iste ignis, & ille couburunt, quia sunt eiusdem naturæ, Hoc graue & hoc graue, habent descendere deorsum quia sunt idem specie, ergo si differentia diuisiua generis constitutiua speciei, facit differre vnam speciem ab alia, & hoc videtur facere homo, cum sint idem. Confirma.

¶ Secundo arguitur sic. Sola species (secundum Boetium) est diffinibilis, sed differentia non est species, ergo non est diffinibilis. Ex quo inferuntur duo. Primum, quòd malè assignatæ sunt diffinitiones eius textuales. Secundum quòd differentia non est species vniuersalis, quod est contra Porphyrium. ij. argu.

¶ Tertio arguitur sic. Hæc est falsa, rationale est differentia, ergo male dicitur, quòd rationale, mortale, sensibile, & cætera sunt differentiæ. Antecedens probo. Quia nullum abstractum verè prędicatur de nominatiuè de aliquo secundum Scotũ, in primo, distinctione tertia, questione tertia, sed differẽtia est abstractum de differens, ergo non predicabitur. iij. argu.

¶ Quarto sic. Differentia non facit vnum prædicabile, ergo minus benedictũ, q͂ sit tertiũ prędicabile. Sequela est nota, & antecedẽs probo. Sicut se habet prædicari in quid de pluribus differentibus specie, & de pluribus differentibus numero, ita se habet prædicari in quale, de pluribus differentibus specie, iiij. argu.

&de pluribus differentibus numero, sed prædicari in quid de plurib' differentibus specie facit vnum prędicabile (putā genus) ergo prędicari in quale de pluribus differentibus specie, facit vnum prędicabile genericum similiter, sicut prædicari in quid de differentibus numero facit secundum prædicabile (hoc est speciem specialissima) ita prędicari in quale de pluribus differentibus numero, facit aliud prędicabile, & sic erūt sex prædicalia, & non quinq;.

v. argumē. Quinto sic. Si differentia esset constitutiua speciei, sequeretur quod vna specie esset plura cōposita, quod est falsū. Antecedens probo, si homo componatur primo ex animali tanquam ex genere, & ex rationali tanquam ex differentia, secūdo ex corpore animato, & ex sensibili, tertio ex corpore & corporeo, quarto ex substantia & esse per se iam esset plura composita, & non vnum compositum.

vj. argu. Sexto sic. Differentia est quintum prædicabile, ergo non tertium, sequela est bona, & antecedens probo, Differētia potest adesse & abesse subiecto preter subiecti corruptionem, ergo est accidens, & sic quintum prædicabile. Forte negabis antecedens, quod sic probo. Differentia est secunda intentio quę potest aplicari, & non aplicari suo fundamento, vel subiecto: ergo potest adesse vel abesse preter subiecti corruptionē.

vij. argu. Septimo arguit sic. Quicquid est prędicabile de plurib' differentibus, numero est species, sed differentia est prędicabilis de pluribus differentibus numero, ergo differentia est species Maior est nota, & consequentia manifesta, & minorē probo Hoc rationale est rationale, & hoc rationale est rationale. Itē hoc irrationale est irrationale, & hoc irrationale est irrationale. Item hoc sensibile est sensibile, & hoc sensib. le est sensibile, & sic de alijs differentiis: ex quo infertur, quod differentia non facit distinctum prędicabile à specie. Infertur secundo quod nulla differentia est generica, cum solum prædicetur de pluribus differentibus numero.

Pars responsiua.

¶Respondetur ad argumenta,& primo ad primum concedẽdo antecedens & negando sequelã. Et de minore dico q. licet homo & rationale non distinguantur realiter, distinguuntur tamen formaliter, quòd sufficit vt habeant modos oppositos prædicandi,& sic patet solutio, ad confirmationẽ sufficit enim prędicta distinctio, vt habeant diuersas operationes. Ad j. Homo & rationale distinguũtur formaliter ad confir.

¶Ad secundum respondeo distinguendo maiorẽ. Sola enim species est diffinibilis diffinitione quidditatiua, & absoluta, quę constat ex genere & differentia, & hac diffinitione sola illa prędicabilia, seu prædicamenta diffiniuntur quæ habent genus supra se, & differentias constitutiuas, vt, homo, animal vsq; ad corpus ascendendo sed cætera vniuersalia, quę sunt differentia, proprium, & accidens, diffiniũtur diffinitione additamẽtali, Et Boetij authoritas, intelligitur de prima diffinitione, & non de secunda.

¶Ad tertium argumentum respondetur per sequentem distinctionem. ad.iij.arg.

¶Prima. Differẽtia capta prime intentionaliter, est abstractũ de differens, & sic non capitur hic. Alio modo est nomen secundę intentionis & sic bene prædicatur cum sit nomen cõcretum, vt alia predicabilia, vt risibile est proprium, albedo est accidens, ita hæc est vera, secundo modo rationale est differentia. Diffinitio dupliciter capitur.

¶Ad quartum respondeo negando similitudinem, tum quia genus predicat partem, species totum, Exemplum primi, Homo est animal. Exemplum secundi, Sortes est homo, & sic prędicari in quid cõuenit generi, & speciei equiuocè, sed prędicari in quale essentiale cõuenit differentię genericę & specificę, vniuocè, quia vtraq; prædicat partem formalem, & determinantem, vt homo est sensibilis, homo est rationalis ad.iiij.ar.

¶Ad quintum nego sequelam, & ad probationem respondeo ponendo aliquas propositiones. ad.v.argu.

¶Prima propositio. Sola natura specifica includit alia vniuersalia superiora, realiter & essentialiter primé intentionaliter capta. prima propo.

¶Secũda, ppõsitio declaratiua primę. Natura specifica includit in se realiter, & essentialiter animal & sensibile, corpus ij.proposi.

animatū, & animatum corpus & corporea substantia, & esse per se, & nullum illorum tanquàm differentiam sui includit, Ratio quia omnia illa ingrediuntur compositionem animalis.

iij. propo. ¶ Tertia propositio, illata ex secūda. Homo solū rationale includit tanquàm differentiam sui constitutiuam, generisq; diuisam.

iiij. propo. ¶ Quarta propositio. Species habet tres conceptus, vnum adæquatum, putà speciei, & duos inadæquatos, distinctos formaliter, scilicet generis & differentiæ.

ad. vj. arg. ¶ Ad sextum argumentum respondeo ponendo propositiones.

prima pro. differentia quomodo potest esse accidens. ¶ Prima propositio. Si differentia comparatur ad fundamentum suum tunc est accidens rationis, & sic est quintum prædicabile.

ij. proposi. differetia quomodo potest esse species specialissima. ¶ Secunda propositio. Si differentia comparetur ad vniuersale, tunc est species specialissima, & sic etiam capitur secundè intentionaliter

iij. differentia quando dicitur constituti. speciei. ¶ Tertia propositio. Si differentia primè intentionaliter capta siue secundè comparetur ad speciem quam constituit, dicitur constitutiua speciei, si vero comparetur ad genus quod diuidit, dicitur diuisiua: si autem comparatur ad opposita differentia se habent disparatę.

ad. vij. arg. differentia potest prędicari dupliciter. ¶ Ad septimum argumētum respōdetur, quód differentia potest prædicari dupliciter. Vno modo vt prædicatur de sua specie, & de quolibet contento sub illa. Vt animal est sensibile Homo est sensibilis. Equus est sensibilis. Iste homo est sensibilis. Sortes est sensibilis. Brunelus est sensibilis, &c. Et sic facit tertium prædicabile Alio modo potest prędicari de suis inferioribus: vt Hoc rationale est rationale. Et hoc sensibile est sensibile. Et hoc animatum est corporeum Et sic differentia dicitur species, prædicabilis quidem, sed non subijcibilis, Vnde nota, quód species quæ ponitur sub asignato genere (vt, Homo & animal, &c) est subijcibilis, & est prædicabilis. Subijcibilis, quia est subiectum sui generis: vt, Homo est animal; Animal est corpus animatum. Corpus animatum est corpus. Et corpus est substantia. Prædicabilis vero

quia omnia ista prædicãtur de suis inferioribus. Sed species quæ non ponitur sub asignato genere, sed à latere: vt ratio nale, sensibile, & cæteræ, differentiæ, dicuntur species solummodo prædicabiles, & non subijcibiles. Prædicabiles, quia prædicantur de suis inferioribus: vt in exemplis datis, Hoc rationale est rationale &c. Sed non subijcibiles, quia differentiæ non ponuntur in recta linea prędicamentali, sub asignato genere sed à latere: vide Scotum in primo, distinctio ne tertia, questione tertia, diffusè.

¶ Et nota pro maiori declaratione istius materiæ, quòd duplex est differentia vltima, scilicet, specifica, & indiuidualis. Pro quo nota quòd quando differentia summitur à re, non est vltima differentia: vt, Homo est corpus animatum. Corpus stat pro omnibus corporeis, & pro toto corpore. Animatum pro tota anima. Sed quando differentia summitur per se bene est conceptus, simpliciter simplex & dicitur vltima differentia. Nota secundo, quòd ens non prædicatur de vltima differentia in quid: vt, Sorteitas est ens. Rationale est ens, sed bene prædicatur in quid de differentia sumpta à totare, siue à parte essentiali metaphysica, vel physica: vt, Rationale est ens. Corpus est ens. Anima est ens. De his vide Paulum Scriptorē super p timum scoti. dist. tertia fo, lxxj. col. prima. Nota. Differentia specifica e indiui duallis.

¶ Nota iterum, quod differenti a indiuidualis dicitur vltima, quia nulli alio conuenit nisi indiuiduo: sed differentia specifica dicitur vltima, quando importat conceptum simpliciter simplicem, qui non est resolubilis in alios conceptus: vt, Rationalitas, Sensibilitas, &c. Nota.

¶ De differentia, vide Scotũ in primo, distinctione tertia, & distinctio. xiij. secundi, & quinto metha. capitulo decã. & in septimo capitulo de partibus diffinitionis, & in secundo sententiarum dist. iij. xlvj.

Caput. xix.

De quatuor acceptionibus proprij.

Quattam vniuersalis speciem, assignant proprium, cuius etiã quatuor ponunt modos.

Propriũ primo modo.

¶Proprium primo modo est, quod accidit soli alicui speciei, sed non omni.

Hoc est, quod quantum ad aliquam speciem, soli illi conuenit ita vt nulli extra eam, sed non omni tamen eius speciei indiuiduo. Ut Grammaticum esse aut prudentem, soli conuenit humanę speciei non tamen omnes homines huiusmodi sunt. Sic propriũ est homini, per fidem deum cognoscere, & ratione Deum colere, veruntamen non omnes id faciunt.

Propriũ secũdo modo.

¶Secundo modo proprium dicitur, quod omni & non soli accidit.

¶Hoc est quod alicuius speciei omni quidem indiuiduo conuenit, attamen non illi soli speciei conuenit, neque ei est peculiare, sed etiam extra eam in alijs potest inueniri. Ut homini duos habere pedes, aut duos oculos. Nam hęc etiam extra humanam speciem licet inuenire in alijs animantibus. Sic supernę beatitudinis capacem esse omni quidem homini conuenit, sed non soli humanę speciei. Nam & angelicę naturę id cum homine commune est.

Propriũ tertio modo.

¶Tertio modo dicitur proprium, quod omni, soli, & aliquando accidit.

¶Hoc est, quod cõuenit quidẽ soli alicui speciei, & insuper omni illius speciei indiuiduo, sed certo tantum ac definito tempore, non tamen semper. Ut canescere, soli humanę speciei conuenit secundum proprietatem loquendo, & omni homini cõuenit: sed tantũ in senectutis tempore, ita vt qui ad tempus illud attigerint, canescant. Ita & augeri conuenit omni viuenti, & soli viuenti, verum non semper: sed vsque dum in perfectum robur & staturam excreuerit: similiter & diminui discrescente robore.

Propriũ quarto modo.

¶Quarto autem modo proprium dicimus quod omni, soli, & semper accidit.

¶Hoc est, quod conuenit alicuius speciei omni indiuiduo, & soli illi speciei, atque etiam semper, non aliquo tantum determinato tempore. Ut homini omni, & soli, & semper conuenit esse rissibilem & flebilem, id est, natum ridere & flere: sic omni homini & soli semper conuenit per exteriorem instructionem esse susceptiuum disciplinę. Cũ autem propria huiusmodi assignantur, proponi debent non secundum actum, sed secundum aptitudinem. Non enim ridere proprium est homini quarto modo, cum non semepr homini conueniat actu ridere, sed risibile proprium est huius quod potentiam quandam, id est, naturalem aptitudinem & propensionem significat ad ridendum. Sic non omnes homines disciplinam suscipiunt, immo quidam nec posse vidẽtur: quemadmodum moriones, furiosi, & donec absque ratione sunt pueri, idque propter deffectum vsus rationis, & instrumentorum interiorum indispositionem, & organorum inhabilitatem. Quotquot tamen homines sunt, ex naturali aptitudine disciplinę sunt susceptibiles.

Caput. xx.

Quemodo proprij natura fluat ex coniunctione differentię cum genere.

Ad intelligendam autem plenius naturam proprij, sciendū est huiusmodi propria quarto modo significare naturales quasdam proprietates seu aptitudines ad aliquid, quas etiam nonnulli proprias passiones vocare solent, aut naturales propensiones & inclinationes, quę sane propensiones & inclinationes naturales, totam aliquā speciē cōsequuntur, vtpote naturaliter & necessario effluētes ab ipsa rei essentia: sic tamen vt essentię sint extrinsecę, neq; pars sint eius, sed tantū ab ea necessario effluant ac procedant. Effluunt autē non a genere tantū, neq; a differentia tantum, sed a genere simul & differentia, ad eiusdem speciei compositionem coniunctis. Ut (verbi gratia) ex animali rationali, id est, ex natura animalis cum rationali qualitate coniuncta, & per eam contracta, ad humanę speciei compositionem, effluit ac naturaliter necessarioq; procedit naturalis quędam propensio siue aptitudo, siue inclinatio ad capiendum per ratiocinationē & instructionem disciplinam: similiter ad ridendum ex consideratione rei iucundę, similiterq; ad flendum in cōtemplatione rei tristioris. ¶ Huiusmodi autem naturales propensiones, quoniam adęquate effluunt ex principijs intrinsecis speciei, id est, ex genere & differentia simul compositis, quę (vt diximus) tota sunt speciei essentia, hinc fit, vt totam speciem consequantur, sintq; ex ęquo in omnibus indiuiduis speciei, e cuius essentia fluunt. Neque minus est quęlibet naturalis propēsio in eo indiuiduo quod nunquam forte actum habuit, aut habebit illius inclinationis, quam sit in alio indiuiduo, quod frequenter admodum eundem actum habet: vt non est minus susceptibilis disciplinę morio aut amens, quam alius quilibet ex ijs qui sunt pręstantissimi discipuli. Neque minus erat risibibilis ille quē ferunt omnia fleuisse Heraclytus, quam fuerit alius ille omnia ridēs Democritus. Neque sunt cachinnones hominibus tetricis magis risibiles, dum secundum proprietatem loquimur. Ipsa enim naturalis passio siue propensio, in omnibus est ęqualiter. Proniores tamen ad risum sunt & in actum frequentius exeunt alij alijs secundum dispositionem variam organorum, quibus huiusmodi actus exercentur: vt in illis in quibus est splen, maioris petulantię facilius risus & cachinni excitantur, in illis autem qui sunt splene duriori, difficilius. Sic qui cerebrum habent recte dispositum, & vires internas benehabiles hi disciplinam citius & facilius capiunt illis, qui eiusmodi organa habent per vllum excessum aut disproportionem, vel omnino male vel non ita foeliciter disposita. Omnes tamen homines ex ęquo risibiles sunt & disciplinę susceptibiles, quemadmodū omnes ex ęquo animalia rationalia sunt, tametsi nō ęqualiter oībus adsit rationis vsus.

¶ Patet ergo quemadmodū huiusmodi naturales propensiones totā speciē cōsequantur, a cuius principijs effluunt, ac proinde omnibus ipsius indiuiduis sunt cōmunes. Sed & solis eiusdem speciei indiuiduis cōueniāt necesse est. Cum enim essentialia principia speciei sint

tota atque adequata causa & velut fontalis origo, a qua effluunt, ut effectus a sua causa adequata, fieri non potest, ut alicubi inueniantur extra illam speciem. Sine causa enim sua esse non possunt, a qua necessario habent semper effluere. Essent autem sine sua causa, si extra speciem inueniri possent, cuius essentiam consequuntur. Similiter & ex his manifestum est, quomodo semper cōueniant propria suis speciebus. Si enim semper & necessario effluunt hę naturales propensiones ex specierum essentijs, necesse est, ut vocabula quoqȝ has propēsiones significantia semper & necessario de ipsis speciebus dicantur.

Caput. xxi.

¶ Definitio proprij, ut est quartum prędicabile.

Quoniam vero (ut diximus) propriū huiusmodi quarto modo quarta poni solet uniuersalis species, & quartum prędicabile: iustum est, ut huic quoque secundum rationem prędicabilis atque uniuersalis definitionem assignemus, sicuti hactenus tribus precedentibus similes dedimus ex modo prędicandi definitiones. Sic autem definitur.

Definitio proprij.

diffinitio melior a philosopho: proprium est quod prędicatur de pluribus conuertibiliter et in [illegible] quid est esse [illegible] ad differentiam diffinitionis quidditatiue [illegible]

Proprium est, quod prædicatur de pluribus in quale accidentaliter & necessario.

¶ Hoc est uniuersale eiusmodi, quod de multis, siue specie, siue numero differentibus prędicatur, in eo quod quale quid est, accidentaliter, necessario tamen, hoc est, ad interrogationem factam de re, hoc modo, qualis est, accidentaliter & necessario. ¶ Ubi cum dicimus, in quale, excludātur genus & species: quę in eo quod quid, nō in quale prędicatur. Cū vero dicitur in quale accidētaliter, differētia excluditur, quę in eo quod quale quid est respondetur, sed quale essentialiter, nō accidentaliter. Non enim homo accidētaliter rationalis est, sed essentialiter: cū sit rationalis qualitas pars ipsius essentialis. Cū vero additur postremo loco, necessario tamē, ab accidēte distīguitur propriū: quod (ut in sequentibus dicetur) prędicatur quidem in eo quod quale est, nō tamen in quale necessario, sed tantū cōtingenter. Neque enim necessario est homo doctus, vel bonus, vel magnus, vel albus. Est tamen necessario disciplinę susceptibilis, & risibilis, atque flebilis. ¶ Sciendum autem est, non solas specialissimas species habere huiusmodi, propria, sed etiā subalternas, oēs videlicet quę ex genere cōponuntur superiori & cōtrahente differentia. Unde & animali assignamus propriū, sensitiuū esse: ut significet aptitudinē, & naturalē inclinationem ad sentiendum: corporis animati sunt propria, nutribile, augmentabile, minuibile: corporis vero, mobile. Unde quēadmodum supra distinximus, differentias, quasdā genericas, quasdā specificas, sic nō incommode distinguere licebit propria quędam generica, que videlicet consequuntur genericam naturam, quędam vero specifica: quę naturam consequuntur specialissimę speciei.

¶ Nequaquam tamen aliam differentie diuisionem, indiuisiuam & cōstitutiuam, proprio accommodare valebimus. Nam tametsi vtcunque diuidere possint propria, constituere tamen nequaquā possunt vllam speciem. Non enim sunt aut esse possunt speciei pars essentialis. Nihil autem rem constituere potest, quod non sit pars essentialis ipsius compositi. Et hec quidem de proprio dicta sint satis. Nūc ad vltimam vniuersalis speciem pergamus.

¶ Examinata materia quarti prædicabilis (vt patet in textu & in cōmento Venerabilis Titelmani,) gratia exercitij ponūtur aliqua argumenta, & dubia, circa materiam præsentem.

Pars argumentatiua.

¶ Primo arguitur sic. Omne vniuersale est prædicabile de pluribus immediatè, sed proprium non est prædicabile de pluribus immediatè ergo non est vniuersale. Consequentia est in Baroco, sed maiorem probo. Homo immediatè prædicatur de Sorte. Animal de homine, & sic de alijs. Pri. argu.

¶ Secundo sic. Omne prædicabile est cōmune, proprium nō est commune, quia aliâs si est commune, ergo non est proprium. ij. argumē.

¶ Tertio arguitur sic. Quicquid est in subiecto est accidens, sed proprium est in subiecto, ergo est accidens. Vltra accidēs ergo non facit distinctum prædicabile. iij. argu.

¶ Confirmatur ista ratio fortissimé, homo in primo instanti naturæ non est risibilis, ergo risibile est sibi accidens. Confirma.

¶ Pars responsiua.

¶ Respondetur ad primū arg. Ad maiorem nego illam, & dico quôd de ratione prædicabilis est, prædicari de pluribus siue immediaté siue mediatè. Item est duplex immediatio. Immediatio causæ, vt. Animal rationale est risibile: & immediatio subiecti, vt homo est risibilis. Alia vero est prædicatio mediata: vt, Sortes est risibilis, quia primo risibile conuenit homini quam Sorti. Ad. pri. a. Duplex immeditatio.

Ad.ij. arg. ¶ Ad secundum respondeo concedendo maiorem, & distingo minorem. Quia proprium potest conuenire vni rei soli: vt est proprium Petri, vel Ioannis, & sic proprium non est cõmune. Alio modo capitur proprium, pro proprio generico: vt, Sensibile: vel specifico: vt. Risibile, & sic omne tale proprium est cõmune, quod conuenit omni, & soli, & semper, & non indicat quid est esse rei, & conuertim prædicatur de re.

Ad. iij. ar. Duplex est accidens. ¶ Ad tertium respondeo, distinguẽdo minorem, & dico quód duplex est accidens: accidens per accidens, & per se. Accidens per accidens est in subiecto eidem inhærens, distinctum tamen realiter, & absolutum: vt, albedo in pariete. Accidens per se in est subiecto cui eiusdem realiter, distinctum tamen formaliter: vt, Risibile in homine, & sic capitur hic in proposito.

¶ Ad confirmationem respondeo per propositiones.

Pri. prop. ¶ Prima propositio, nego Sequelam.

ij. proposi. Homo in primo instãti nec est risibilis nec non risibilis. ¶ Secunda, homo in primo instanti naturę, nec est risibilis, nec non risibilis.

iij. propo. ¶ Tertia propositio. Licet cõtradictorię absolutę sumptę nõ possint verificari de eodem, tamen mediante aliqua determinatione, putà in primo instanti suæ naturæ, vel per se primo modo, vel secundo modo per se, bene verificantur, vt patet in exemplo dato.

¶ Pars dubitatiua.

¶ Queritur, An proprium, seu passio distinguatur realiter à suo subiecto: ad quod respondetur per propositiones.

Pri. prop. Quę passiones distinguntur ¶ Prima propositio. Aliqua passio distinguitur ab aliquo suo subiecto: vt, Frigiditas aquæ. Caliditas ab igne. Grauitas à terra. Et etiam humiditas ab aqua.

ij. proposi. Quę passiones nõ distinguũtur a suo subiecto realiter ¶ Secunda propositio. Proprium, vel passio generica, vel specifica nõ distinguitur realiter a suo subiecto, licet bene formaliter: vt, risibile ab homine. Hanc propositionem probo, authoritate & ratione. Authoritate sic. Vna passio est eadẽ cũ suo subiecto, ergo omnis. Sequela probatur, quia nõ videtur

maior ratio de vna quam de alijs: sed antecedens probo. Ait enim Philosophus, quarto metaphysicę. Vnum est passio entis, et idem realiter enti. Secundo probo ratione. Illud quod scitur necessariò inesse suo subiecto est idem realiter cum subiecto, sed passio scitur necessariò inesse suo subiecto, ergo est idem realiter cum subiecto. Optime enim sequitur, nō necessariò scitur, ergo possibiliter non scitur, quæ est contradictoria istius. Omnis passio necessariò scitur inesse suo subiecto, & sic, esset scientia de contingentibus, quod est falsum.

¶ Sed contra hanc conclusionem arguunt aliqui primo sic. Illud quod scitur de aliquo per aliquod medium, distinguitur realiter ab illo: sed passio scitur de subiecto per medium, ergo distinguitur realiter à subiecto: aliàs, idem sciretur de seipso. Obiectiones contra hanc cōclusionem. Pri. obiec.

¶ Secundo sic. Omnis caussa distinguitur realiter à suo effectu sed subiectū est caussa passionis, ergo distinguitur ab illa tanquam ab effectu suo. ij. obiectio

¶ Tertio arguitur sic. Quicquid est prius in aliquo instanti in quo nō est aliud est distinctum realiter ab illo posteriori: sed subiectum est prius in natura in aliquo instanti in quo nō est passio, ergo subiectum distinguitur realiter à passione. iij. obiec.

¶ Quarto sic. Quicquid potest à nobis intelligi, potest à Deo produci, sed subiectum potest intelligi à nobis absq; passione, ergo subiectum potest produci à Deo absq; passione. iiij. obiec.

¶ Confirmatur. Quicquid potest caussa secunda, potest & prima, ergo quod intelligitur ab intellectu creato, potest fieri ab agente increato. Confir.

¶ Ad primum respondeo, distinguendo maiorem. Duplex est distinctio: scilicet, formalis, & realis, (vt in proposito sufficit,) & sic cōcedo quòd passio scitur de subiecto per mediū à quibus distinguitur formaliter, & non realiter in scientijs demonstratiuis, & sic conceditur, quod non est inconueniēs idem sciri de seipso realiter. Obiectionis solutio. Ad. j. obie.

¶ Ad secundum. Omnis caussa &c. Distinguo maiorem. Omnis nempe caussa physica distinguitur realiter à suo effectu, (vt, Ignis à calore quem producit in se, vel in alio,) sed non Ad. ij. ob.

Causa physica distinguitur a suo effectu.

caussa metaphysica: vt. Animal rationale non distinguitur à risibili, licet sit caussa methaphysicalis eius. Et ad minorem dico, quod subiectum est causa passionis in esse cognito, id est, per notitiam subiecti, deuenimus in cognitionem passionis: sed non est caussa eius in esse reali, physico, nec metaphysico.

Ad .iij.

¶ Respondeo, negando maiorem. Quia esse prius natura alio non est aliud, nisi ab illo non conuerti subsistendi consequentia, vel quia superiori non repugnat esse sine posteriori, vt est animal respectu hominis. Et dico quód homini non repugnat esse sine risibili quantum est de se, sed bene repugnat sibi simpliciter, propter identitatem realem, quæ est inter subiectum & passionem.

Ad .iiij. Multa possunt a nobis intelligi que non possunt a deo fieri.

¶ Ad quartum nego maiorem. Multa nẽpe possunt à nobis intelligi, quæ à Deo non possunt produci, sicut sunt impossibilia: vt, Homo lapideus. Mons aureus. Item peccata à nobis possunt intelligi, sed non à Deo effici. Deus enim peccatũ nõ fecit priuationes intelliguntur à nobis, tamen à Deo nõ fiunt

Ad conf.

¶ Et ad confirmationem dico, quod illa est vera propositio in genere causæ efficientis & finalis, sed non in genere caussę materialis & formalis. Deus enim nec potest esse forma, nec materia alicuius. Item dico quôd applicatio nõ est multum bona, quia intelligi & fieri non important idem.

Caput. xxij.

¶ De accidente.

De accidente autem, quę est vniuersalis quinta species & quintum prędicabile, pauca iam in prioribus dicta sunt, cum de differentia communi & proprio fieret sermo. Distinximus enim illo in loco, quid accidens separabile, quidq; inseparabile, quapropter harum rerum repetitione, nihil erit opus Sat nobis erit naturã huius quoq; quinti vniuersalis, & eius prędicandi modum declarare. ¶ Definitur autem accidens a Porphyrio pluribus definitionibus: quarum prima hęc est.

Prima definitio accidentis.

Accidens est, quod adest, & abest, præter subiecti corruptionem.

¶ Hoc est, quod suo subiecto, cui inest, non necessario inest, sed etiam abesse potest, & ab eo separari, sicut propter hoc non sit necesse interire subiectum cui prius inerat. Exempli gratia albedo accidens est corporis eius quod habet albedinem, quoniam licet insit, non inest tamen ei necessario, sed contingenter: ita ut possit non inesse, permanente nihilominus subiecto, & absque eius interitu a quo abscedit. Potest enim corpus, quod modo album est, fieri nigrum, neque ob hoc lesionem ullam patietur corpus. Similiter homini virtus, atque doctrina est accidens: quoniam & si nunc insit, potest tamen fieri ut aliquando eam deperdat homo ille, fiatque vacuus & doctrina & virtute: neque propter hoc desinet esse quod fuerat. ¶ Idem quoque sibi vult altera accidentis definitio, que talis est.

Secunda definitio accidentis

Accidens est, quod contingit inesse & non inesse eidem.

¶ Intellige ex priori, preter subiecti corruptionem. Hec autem due definitiones, de rebus potius quam de vocibus videntur intelligende: nisi improprie admodum accipiatur adesse & inesse pro predicari: abesse vero & non inesse, pro non predicari. Sed hac inuentione nihil est opus: cum (ut initio huius libri declarauimus, & totius docuit rei processus) passim liceat fieri nunc de vocibus significantibus, nunc de rebus significatis, sermonem. Neque difficile est ijs quibus quicquam est ingenij, ea que de rebus dicuntur, suo modo ad voces res eiusmodi significantes referre, & econtrario, que de vocibus significantibus, suo modo ad res significatas accommodare. ¶ Definitur etiam accidens per abnegationem quatuor aliorum predicabilium iam supra determinatorum ad hunc modum.

Accidens est, quod neque est genus, neq; species, neque differentia, neq; proprium, semper autem est in subiecto subsistens.

Tertia definitio accidentis.

¶ Que sane definitio, pro hoc loco, non est omnino incommoda, eo quod iam explicata sint sufficienter quatuor predicta. Et necesse est, omne vniuersale quod neque genus est, neque species neque differentia, neque proprium esse accidens: posteaquam constat, omne vniuersale horum quinque aliquod esse debere. ¶ Veruntamen non eque bona fuisset hec descriptio, si ante hunc locum, vllum aliorum predicabilium simili modo fuisset descriptum. Nam si initio statim libri definiuisses genus esse, quod non est species, neque differentia, neque proprium, neque accidens, non fuisset probanda huiusmodi descriptio, eo quod nondum nota fuissent, que in definitione ponuntur. Nunc vero, dum precedentes quatuor species explanate sunt, non male nec obscure vltima per priorum abnegationem definitur: atque id similiter licebit.

vbicunque, plures sunt species sub eodem genere, in numero determinato: pręter vnam omnibus definitis vltimam tandem per priorum abnegationē describere. ¶ Vltima vero particula, semper autē est in subiecto subsistens, adijcitur non ad aliquam necessitatem, sed propter naturę accidentis manifestationem. Tanto enim est descriptio siue definitio melior, quanto melius ac plenius naturam exprimit eius quod definitur vel describitur. Est autem hoc de natura accidētis, quod quādiu est, in suo subiecto subsistit. Quūquā enim (vt iā dictū est) possit accidens a subiecto abesse absque corruptione subiecti, vt accidente perdito, in sua nihilominus subsistentia subiectum permaneat: non est tamen secundum naturam possibile, vt accidens separetur a subiecto, sic vt permaneat in rerum natura. Non solum enim non potest accidens ab omni subiecto separatū subsistere, sed nec potest extra subiectum particulare cui semel infuerit existere: ita vt nec migrare possit de subiecto alio in aliud. Cum enim (iuxta Physicorum sententiam) accidentis esse sit inesse, necesse est, vt quandiu est, in subiecto cui inest, debeat permanere. ¶ Secundum vero rationem vniuersalis quatenus quintū prędicabile est, ita potest accidēs definiri.

Quarta definitio accidentis.

¶ Accidens est vniuersale, quod de pluribus contingenter natum est prædicari.

¶ Hoc est, non essentialiter quidem, neque etiam necessario, sed tantum contingenter, ita vt possit etiam de eo vere abnegari. Sic sane doctum esse, aut bonum, de multis prędicatur. Complures enim reperiuntur viri, & boni, & eruditi, de nullo tamē ista prędicantur essentialiter, imo neque necessario: sed de quibuscunque prędicantur, de illis contingenter prędicatur, sic videlicet, vt possit etiam de illis abnegari. De quocunque enim vere iam dicimus, quod probus sit aut doctus, de eodem fieri potest vt dicamus aliquando, iam probus nō est, neque doctus. Atque hac vna particula differt accidēs a quatuor reliquis, genere, specie, differentia, ac proprio. Nullum enim horū prędicatur contingenter: sed proprium necessario: differentia autem non tantum necessario, sed essentialiter etiam prędicatur, similiter quoque genus & species.

Caput. xxiij.
De accidentibus diuersis, separabilibus, & inseparabilibus.

Diximus autem in prioribus de differētiis tractatis, accidentis quędam esse separabilia, quędam inseparabilia, quę ibi latius explicata sufficiant. Hoc autē in loco adijciendum nobis est, ad pleniorem accidentis notitiam, etiam inter inseparabilia accidentia esse quandam differentiā, nequaquam silentio pertranseundam. Sunt

enim inseparabilia accidentia quedā singularia siue particularia, que videlicet vni insunt indiuiduo, non alteri eiusdem speciei. Huiusmodi sunt, cicatrix post sanatum vulnus relicta, oculorum color cesius aut albus, adque id genus alia. Sunt enim hec inseparabilia accidentia, particularia tamen sunt, vt pote vni indiuiduo conuenientia, non similiter alteri. ¶ Alia vero sunt que toti alicui speciei conueniunt, et omnibus eius indiuiduis. Ut coruo nigredo conuenit secundum totam speciem, et cygno albedo, ita vt vel omnino non, vel vix, reperiatur coruus, nisi niger, neque cygnus, nisi albus, potissimū vbi tempus aduenerit: quo solent hunc sibi colorem acquirere. Uerum id forsitan parum videatur, cum legamus pullos coruorum non statim nigras pennas accipere, neque cygnorum albas. Nonnulli quoque visos aliquando albos coruos afferunt. Illud vt minimum, quātum ad huiusmodi constat, quod licet sic videamus coruos omnes fieri colore nigros, et cygnos albos, non apparere tamen vllam necessitatem ex parte speciei, que videatur expostulare huiusmodi accidēs. ¶ Magis vero admirādum est in hominibus, atque adeo in omnibus animalibus, de potentijs quibusdam naturalibus, sine quibus nemo hominum, immo nullum animalium possibile est subsistere. Huiusmodi sunt, sensus, tactus quem Aristoteles attestatur omni animali esse necessarium, ita vt sine eo non possit subsistere, ipsoq; ablato necesse sit mori animal corrumpi. Similiter et nutritiua potentia. Sicut enim idem author testatur, necesse est omne viuens quandiu viuat, nutriri. Simile est de naturali calore (qui hominem non potest priusquam diem clauserit extremum deserere) et vitali operatione, cordisq; pulsione, et spirituum agitatione, que omnia animali cuilibet adesse experimur, donec subsistit: nunquam vero abesse contingit, nisi cum subiecti corruptione. Constat tamen, hec omnia non aliud quam accidentia esse. Nam potentie ille naturales, manifeste sub secunda qualitatis specie absque hesitatione constituuntur, ab omnibus philosophantibus. Cetera quoque aut qualitates sunt, aut actiones quedam: que omnia esse accidentia nemo potest negare. ¶ Ex his ergo dubitatio satis perplexa oritur, qui nam fieri possit, vt hec sint accidentia cum tamen videantur necessario suo inesse subiecto, non contingenter, cū nō possint abesse suis subiectis absque eorum corruptione. Accidēs vero supra definitum est, quod abesse potest, et quod contingit non inesse, absque subiecti iniuria et corruptione. Quomodo autem sine subiecti corruptione potest abesse, quod vbi primum abscesserit extinctumque fuerit in subiecto statim corrumpi facit subiectū cui inerat. ¶ Huic autem questioni responderi potest, ex sublimiori consideratione et diligenti inspectione horum accidentium, et earum que supraposite sunt naturalium propietatum. Naturales enim illas inclinationes ex natura et essentia speciei diximus effluere, atque ex compositione generis cum differentia necessario effluxu prodire. Hec autē accidentia que dictā sunt. quantumcunque videantur ad rei subsistentiam necessaria, non tamen fluunt a principijs essentialibus speciei. Alioqui, vnus esset idemque tactus in omnibus, non multi, neque di

Questio.

uersi in diuersis: sicut eadem omnino est specifica natura, & eadẽ eius principia essentialia in omnibus, non in diuersis indiuiduis diuersa & sicut eadem est in omnibus hominibus risibilitas, aut in omnibus animalibus ad sentiẽdum naturalis aptitudo. Similiter quoque dicendu de alijs, quę supra fuerant assignata. Cũ ergo hęc non fluãt ab ipsa natura speciei, neque ab ipsius essentia, consequitur etiam hoc, q̃ nõ necessario debeat subiectis adesse, possintq; abesse suis subiectis absque eorum corruptione, quantũ est ex parte naturę speciei: quẽadmodum coruo, quantũ ex parte specificę naturę, non est necessarius color niger, neque cygno albus. Sic quęlibet accidẽtia prędicta, quãtum ex parte ipsius naturę specificę hominis, abesse possunt. Et enim Petrum intelligam sub hominis ratione, non opus est cogitare q̃ vllum sensum habeat: sed sufficit, quod ipsum vt animal rationalis naturę considerem. ¶ Iam si quis obijciat, sic etiã proprium abesse posse, & rem posse intelligi absque naturali sua proprietate. Respondebitur, sine iniuria specificę naturę proprietatem naturalem non posse intelligi absentem indiuiduo. Velut qui hominẽ intelligit vt non risibilem aut nõ disciplinę susceptibilẽ, sine specificę naturę iniuria id non facit. Cum enim ex ipsius essentialibus principijs effluat naturaliter & necessario risibilitas disciplinę q; susceptibilitas, fieri non potest, vt absque specificę naturę iniuria, quodcũque hominis indiuiduum imaginemur subsistere, & simul ipsum nõ esse risibile aut disciplinę susceptiuũ. Includit enim hęc imaginatio manifestam repugnãtiam specificę naturę hominis, eo quod in specie includatur proprium, tanquã ab ipsius essentia necessario & naturali fluxu effluens, ipsaque in se susciperet a suis intrinsecis principijs effluens.

Solutio obiectionis circa prędicata.

Cęterum si intelligam Petrum vt non habentem qualitatẽ huiusmodi quę tactus nominetur, aut non habentem qualitatem calorem, aut cordis actualem pulsionem, nulla in hoc est repugnantia aut iniuria hominis specificę naturę: quẽadmodum cum cygnum imaginor nigrum, nulla fit specificę naturę iniuria. Quantũ enim ad naturam specificã, cygno perinde est, siue colorẽ habeat nigrũ siue albũ. ¶ Quod si quis roget vnde ergo hęc necessitas, vt secundũ rei veritatẽ non possit subsistere animal absq̃ sensu tact⁹ & cęteris.? Si eni naturę specificę nõ repugnat, quid ergo ꝓhibit, vt fieri id nunquã videam⁹, immo neq̃ fieri posse? Huius rei causam (quoniã in physicis requirere magis oportebat) breuiter assignantes, dicim⁹, quod ex parte formę substantialis ꝓuenit, & vnione corporis cũ anima rationali: quę duo ad inuicẽ vnita permanere nõ possun, nisi quamdiu certa quędam harmonia, cõsensus atq; proportio qualitatum in materia perdurat, quam sane proportionem sensus tactus consequitur: qua etiam proportione dissoluta anima vltra non potest materiam informare, sicq; subiectum cogitur deficere, & simul cum huius harmonię dissolutione perit sensus tactus. Similiter fere, & de alijs suprapositis & si quę sunt similia, dicendum: quod ob hoc non possint a subiecto separari, quia absque illorum inexistentia non potest forma substantialis permanere in materia. Sed altius ista fortasse ac latius cuiquam dicta videbuntur,

quam Dialectica patitur consideratio. Nos tamen ad plenam horũ quinque prędicabilium cognitionem ea arbitramur non minimum habere momenti, apud illos potissimum, qui diligenti curiositate horum rerum naturam ac proprietatem exactius voluerint penetrare, penitiusque introspicere. Nunc vero ad vniuersalium quinque differentiam & conuenientiam paucis describendam transeamus.

DIligenter examinata p arte textuali, authoris nostri Titelmani, gratia exercitij ponuntur aliqua argumenta & mouentur aliqua dubia, circa materiam accidentis.

Pars argumentatiua.

ET primo sic, contra tertiam diffinitionem accidentis, in qua dicitur nec genus, nec species &c. Accidens est species vniuersalis, ergo falsum est dicere quòd nõ est species: sequela est nota & antecedens probant per tractantes hanc materiam, qui ponunt accidens quintam speciem prædicabilẽ sub vniuersali. Primo. ar.

Secundo arguitur sic, contra primam diffinitione. Datur aliquod accidens, quod nõ potest adesse & abesse subiecto, pręter subiecti corruptionem, ergo diffinitio illa mala. Sequela est nota, & antecedens probo. Primo combustio est accidens, tamen non potest adesse & abesse subiecto pręter subiecti corruptionem, ergo diffinitio non conuenit cuilibet contento sub diffinito. ij. argumẽ.

Confirmatur. Humiditas non potest tolli ab aqua, nec caliditas ab igne sine coruptione subiectorum (vt patet) ergo diffinitio illa mala. Confirma.

Tertio sic. Omnis diffinitio data per opposita, vel per purã negationem est nulla, sed diffinitio accidentis datur per opposita cum dicatur quòd contingit idem inesse & non inesse, Secunda pars probatur. Vltima diffinitio datur per puram negationem dicendo, nec genus, nec species &c. Maiorem probo, quia diffinitio indicat quid est esse rei, sed negatio nihil indicat, ergo intentum. iij. argumẽ.

Quarto arguit sic. Si accidẽs contingẽter diceret de subiecto nulla scientia haberetur de accidẽti, sed cõsequens videtur falsum, cum sit vnum prædicabilium, ergo diffinitio mala. iiij. argu.

5. argumẽ. ¶ Quinto sic. Diffinitio accidentis conuenit alijs à diffinito, ergo non est bona, sequela est nota, & antecedens probo, Cõuenit formæ substantiali, putà animæ rationali, quæ adest & abest non corrupto subiecto, ergo diffinitio mala.

¶ Pars responsiua.

Ad. primũ argumentũ ¶ Ad primum respondeo concedendo maiorem, & ad sequelam & consequens dico, quòd accidens primè intentionaliter captum respectu sui subiecti & etiam secundè intentionaliter captum, nõ est species, vt, Albedo nõ est species hominis, vel lapidis, de quibus dicitur. Secundo, Dico q̃ accidens secundè intentionaliter captum est species vniuersalis, & etiam dicitur species respectu suorum inferiorum. Tertio multa accidẽtia primè intentionaliter capta sunt species & genera, respectu diuersorum.

Ad.ij. arg. ¶ Ad secundum dicunt aliqui, quòd combustio primè intẽtionaliter capta, verũ est quòd non potest adesse & abesse, præter subiecti corruptionem, sed bene potest adesse & abesse: hoc est, affirmari & negari secundè intentionaliter capta. Alij dicunt quod duplex est combustio: actiua & passiua. Et actiua dicitur q̃ bene potest adesse & abesse, preter subiecti corruptionem, licet non passiua. Sed melius videtur q̃ cõbustio nõ est accidens absolutum, de quo intelliguitur diffinitio data, & sic argumentum nihil concludit.

Ad confir. ¶ Et ad confirmationem respondeo. Quòd omnia accidẽtia absoluta possunt separari à subiecto, vel per potentiam naturalem, vel supernaturalem, quòd sufficit.

Ad.iij. arg. ¶ Ad tertium quôad primam partem dico, quòd tripliciter cõtingit dari diffinitionem per opposita, & bene. Primò disiunctiuè: vt, Propositio est oratio verum vel falsum significans Secundo copulatim: vt contradictio est affirmatio & negatio eiusdem de eodem. Tertio mediante aliqua dictione, sub qua non repugnat eis, sicut sunt istæ dictiones, potest, & cõtingit. Ad secundam partem respondetur. Quòd illa diffinitio non datur per puram negationem, sub intelligitur, enim vniuersale quod non est genus nec species.

¶Ad quartum respondeo per propositiones. Ad.iiij.ar.

¶Prima propositio. De acciden e potest haberi vera scientia, demonstratione propter quid, & etiā quia est. Exemplum primi, de ista conclusione, Albedo est disgregatiua visus per medium, b, vel aliud. Exemplum secundi. Albedo est color, si sic probetur, omne disgregatiuum visus est color, sed albedo est disgregatiua visus ergo albedo est color. prima pro.

¶Secunda propositio. De accidente habetur habitus veridicus quando prędicatur de suo subiecto, vt Sortes est albus. ij.proposi.

¶Ad quintum respondeo, negndo maiorem. Et dico, quód subiectum in diffinitione accidētis, capitur pro subiecto com posito ex forma & materia, vt est Homo, lapis, & equus, & nō pro materia prima nec pro materia physica. Ad.v.arg.

¶Et nota, quôd hoc vocabulum accidens potest capi multis modis. Primo prime intentionaliter, & tantum valet sicut in hærens, & sic est in determinato genere, scilicet actionis vel passionis, & prędicatur de nouē prædicamentis denominatiuè. Vnde hęc est denominatiua prædicatio, Albedo est accidens, Et quantitas est accidens. Alio modo capitur proper se significato, idest pro ipsa inhærentia. Tertio modo pro denominato, putâ, pro ipso accidente, scilicet qualitate vel quantitate, denominatum accidens. Nota multis modis capitur accidens.

¶Secundo modo, principaliter capitur secundè intentionaliter, & tunc est terminus importans secundam intentionē, quę attribuitur alicui q̄ potest sine repugnantia separari vel negari de subiecto, præter subiecti corruptionem: & sic capitur in diffinitione accidentis.

¶Pro clariori notitia, mouetur vna difficultas, & est talis. Posito quod ipsum accidens distinguatur a subiectio, quæritur, An in hęrentia ipsius accidentis, distinguatur realiter ab accidenti, vt, vocetur albedo, a, & sua in hęrentia, b, & subiectum sit lapis, quęritur an, a, distinguatur â, b, realiter, sicut distinguitur â lapide?

¶Ad hoc respondetur per propositiones.

¶Prima duplex est in hærentia. Videlicet aptitudinalis, & actualis: de prima ponitur talis propositio. Prima propositio. Duplex inherentia.

¶Nulla in hærentia aptitudinalis, distinguitur realiter â suo De in here

tia aptitudinali. subiecto, cum dicatur de subiecto in secundo modo dicendi per se.

ij. proposi. de inhęrentia actuali quę est duplex. ¶ Secunda propositio. Inhęrentia actualis est duplex, quædã est cuius fundamentum non potest esse sine termino istius relationis, seu inhęrentiæ actualis, & talis inhęrentia non distinguitur realiter â suo fundamento vel subiecto, vt inhærentia qua paternitas Sortis, inhæret Sorti, nõ distinguitur ab ipsa paternitate, quia paternitas nõ potest esse sine filiatione. Et relatio, qua creatura refertur ad suum creatorem, non distinguitur realiter â creatura cum ipsa creatura sine creato re non possit esse.

iij. proposi. ¶ Tertia propositio. Inhærentia actualis, qua accidens absolutum inhæret suo subiecto, distinguitur realiter â suo subiecto cum possit esse sine tali inhærentia, saltem per potentiam diuinam.

Caput. xxiiij.

¶ De conuenientia pr(e)dicabilium.

Ut ergo breuiter ac summatim recapitulemus quę hactenus dicta sunt, conueniunt quidem in hoc omnia pr(e)dicabilia, quod de pluribus nata sint pr(e)dicari, & habere certum aliquid subijcibile, siue potius subijcibilia. Subijcibile enim, correlatiuum est pr(e)dicabilis: & habet vnumquodq; vniuersale suum subijcibile, vel subijcibilia potius, ad quę comparatum dicitur vniuersale vel pr(e)dicabile. Subijcibile enim generis est, species quę sub ipsa ponitur: speciei subijcibile, indiuiduum: differentię subijcibile, species quam constituit, & omnia eius indiuidua. Proprij vero, species e cuius natura fluit & omnia eius speciei indiuidua. Accidentium autem subijcibilis sunt, subiecta quibus inhęrent. Cum autem ita subijcibilia dicimus, non intelligimus de subiectione quę est secundum pr(e)dicamentalem ordinem (sic enim neque differentię subijcitur constituta species, neque proprio sua species, neque item accidẽti subiectum cui inhęret) sed accipitur secundum predicationem, quoniam videlicet secũdum pr(e)dicationem rectam & ordinatam, vniuersalia de suis subijcibilibus pr(e)dicari nata sunt.

Caput. xxv.

¶ De pr(e)dicatione ordinata & in ordinata.

Solę autem hę pr(e)dicationes in quibus aliquod quinq; pr(e)dicabilium de suo subijcibili dicitur, a recẽtioribus ordinatę nominantur, & secundum veritatem solę ordinatę sunt, quasi in quibus naturalis ordinis correspondentia obseruatur. Cęterę vero aut ordinem pr(e)dictum perturbantes sunt, aut male commutantes, quas proinde inordinatas cotra ordinem appellant, cum videlicet subijcibile contra naturalis ordinis correspondentiam de suo pr(e)dicabili

dicitur, vt pote species de genere, aut indiuiduum de specie aut species vel genus de differentia constituente: aut species de proprio quod ipsam consequitur: aut subiectum de eo, quod ipsi inheret accidenti. Ut si dicamus, animal esse hominē, hominē esse Petrū, rationale esse hominē, risibile esse hominem, ꝛ nigrum esse cygnum. ¶ Et sicut cum ordinata predicatione genus de specie, aut eius indiuiduis dicitur, predicationē solent vocare primi predicabilis, id est, generis, quatenus genus est: eam vero que est speciei specialissime, vocare solent predicationē secundi predicabilis, id est speciei quatenus species est. Differentie autem de specie constituta aut ipsius indiuiduis predicationem, predicabilis tertij, id est, differentie quatenus differentia est, atque ita ꝛ de proprio ꝛ accidente proportionabiliter: sic per cōtrariū, quoties ordine perturbato species de genere dicitur, predicationē recte vocant inordinatam, contra ordinē predicabilis primi. Contra enim naturalem generis ordinem est, quod sue speciei in predicatione subijciatur. Cū vero indiuiduū de specie dicitur, predicatio est inordinata contra ordinem predicabilis secundi, id est, cōtra naturam speciei, cui magis conuenit secundū naturalē ordinem de indiuiduo predicari, quam ei subijci. Atque ita proportionaliter in reliquis. ¶ Sic enim in his predicationibus ordinis est perturbatio ꝛ inordinata sunt omnia: cum id quod secundum sue significationis naturam subijcibile est predicatur, quod autē predicabile est subijcitur: quomodo in regmine agitur, cum is qui seruus natus est, perturbato nature ordine, dominatur: qui vero liber ꝛ rex natus est, ecōtrario subijcitur. Ut enim hic regni, ita illic predicationis est perturbatio, contra iustum ordinem.

Predicatio inordinata contra ordinem.

Caput, xxvj.

¶ De predicationibus identicis, ꝛ per accidens.

Nonnunquam vero predicationes fiunt que dicuntur, ꝛ sunt, nō contra ordinem vllius predicabilis: sed preter omnē ordinem, hoc est, prorsus absque ordine. Ille nimirum, in quibus nec vniuersale predicatur de suo subijcibili, nec e cōtrario subijcibile de suo predicabili. In his enim nullus ordo neque rectus neq̄ commutatus potest inueniri, ita vt etiam si vertas extrema: non inuenias tamē predicationem ordinatam. Diuiditur autem hec predicatio inordinata preter ordinem, in predicationem identicā per accidens, ꝛ extrinsecam. ¶ Predicatio identica appellatur, in qua idem predicatur de seipso. Ut cum dico, Joannes est Joannes, hic homo est hic homo Marcus est Tullius, Gladius est ensis, hic homo est Joānes. Nihil enī refert, siue indiuiduū predicetur de se ipso, siue vniuersale. Neque refert, si vocabula sint diuersa, modo significatio sit eadē. Huiusmodi predicationes manifestum est preter ordinem esse: quoniam nullus est ordo rectus eiusdem ad se ipsum, quantum ad predicationem attinet. ¶ Predicatio per accidens dicitur, quando res per predicatum significata, principaliter nō est in re significata per subiectum, nec ecōtrario, ambo tamen reperiuntur simul in eodem tertio. Verbi gratia, cum dicimus, album est dulce, manifestum est nec dulcedinem esse in albedine, nec albedinem in dulcedine (que sunt res

Predicatio identica.

Predicatio per accidens.

per extrema prędicationis illius principaliter significatę) sed ambę simul in eodem tertio inueniuntur, nempe in lacte. Sic per accidens dicimus, calidum esse siccum, frigidum esse humidum Non enim calor est in siccitate, nec econtrario siccitas in calore. simul tamen in eodem igne inueniuntur. Ita non est humiditas in frigiditate, neque hęc in illa, sed ambę sunt in eadem aqua. ¶ Hęc autē prędicatio, quoniam late patet, ⁊ eius cognitio est philosopho ad modum necessaria (cuius est vbique ea quę per se ab ijs quę per accidens diligenter separare) idcirco pauculas ad eius cognitionem hoc in loco regulas dabimus.

Prima regula prędicationibus per accidens.

Prima hęc est. Quando aliquis terminus concretiuus nouem vltimorum prędicamentorum vere prędicatur, de simili termino alterius prędicamenti, fere est prędicatio per accidens. Ut cum dicimus, Quantum est quale, lineatum est coloratum. Pater est quantus. Filius est eruditus. Grammaticus ambulat. Existens in loco est in tempore. Sedens est vestitus, atque ita in in alijs. ¶ Signanter adiecimus fere particulam diminuentem ⁊ subtrahentem aliquid a generalitate regulę, quoniam interdum contingit prędicationem esse ordinatam, ⁊ non per accidēs, in qua terminus concretiuus vnius prędicamēti prędicatur de alio alterius prędicamēti. Ut est in his prędicationibus, Quantum est coloratum. Superficiatum est album, Lineatum est figuratum. Corpulentum est sphęricum, atque ita in similibus iuxta illorum probabilem sententiam, qui dicunt corporalia accidentia immediate in quantitatibus subiectari, ac mediante quantitate in substantia. Idem est de his iudicium. Quantū est ęquale aut inęquale. Album est simile. Nigrum est dissimile: vbi terminus prędicamenti ad aliquid prędicatur de termino prędicamenti quantitatis vel qualitatis.

Secunda regula.

¶ Secunda regula, Quando vere prędicantur de se inuicem diuersa accidentia eiusdem prędicamenti sub diuersis generibus aut speciebus contenta, prędicatio fere est per accidēs. Huiusmodi sunt istę, Pater est filius. Dominus est seruus. Durum est coloratum. Album est dulce. Flauum est amarum. Lineatum est numeratum. Percutiens est intelligens. Uestitus est armatus, ⁊ alię cōsimiles. In singulis enim, subiectum ⁊ prędicatum sunt eiusdem prędicamenti, sed sub diuersis sunt generibus pater ⁊ filius, ambo sub ad aliquid sunt, sed pater est ad aliquid superpositionis, filius ad aliquid suppositionis. Idem est de domino ⁊ seruo, Durum ⁊ coloratum, ambo sub qualitate sunt, sed durum sub secunda specie, coloratū sub tertia. Ita in ceteris. ¶ Signāter adiecta est excipiens particula, fere quoniam interdum regula instantiam patitur. Ut cum dicimus, Corporale est superficiatum, superficies est lineata, secundum eorum sententiam qui dicunt superficiem esse incorporea quantitate, vt accidens in subiecto, ⁊ lineam similiter in superficie. Uerum harum rerū plenior cognitio, ex prędicamentis pendet.

Tertia regula.

¶ Tertia regula, Quandocunque vere vna differentia vniuersalis prędicatur de alia item vniuersali, aut proprium vniuersale de alio simili, prędicatio est per accidens. Exempli gratia, Hę sunt per accidens prędicationes, Rationale est sensibile, Sensibile est animatum, Animatum est corporeum.

In quibus

In quibus prędicantur differentię communes de se inuicem. Similiter & hę, Risibile est flebile. Risibile est capax disciplinę. Audibile est portatiuum onerum. Mugibile est natum lac dare. Risibile est mobile secundum locum. Huius regulę ratio est, quoniam vna natura differentialis nunquam est in alia, cum sit natura differentialis (vt supra declaratum est) omnino simplex & incomposita. Idem consequitur & de natura proprij, quod vnum non sit in alio, sed simul in sunt eidem naturę specificę a qua effluunt, vt supra dictum est. ¶ Signanter autē dictū est in regula, Quādo differentia communis prędicatur de differentia simili, aut proprium commune de simili, quoniam (iuxta communem multorum sententiam) quoties differentia communis prędicatur de suo indiuiduo proprio, est prędicatio ordinata, & secundi prędicabilis. Item & quando proprium commune prędicatur de suo indiuiduo. Et cum sic dicitur, Hoc rationale est rationale, hoc sensibile est sensibile, hoc susceptiuum disciplinę est susceptiuum disciplinę. Dicūt enim, omnē differentiam vniuersalē in cōparatione ad suū propriū indiuiduum esse speciem specialissimam, & speciem prędicabilē, similiter & de proprio vniuersali dicunt respectu sui indiuidui.

Caput. xxvij.

¶ De Prędicatione extrinseca.

Prędicatio extrinseca. Prędicatio extrinseca est, quādo res principaliter significata per prędicatum, non est in re ipsa per subiectum significata, nec econtrario: nec ambo sunt in vno tertio, dicuntur tamen de seinuicē propter certam aliquam habitudinem rerum significatarum adinuicem. Et hę sunt extrinsecę. Color videtur. Sonus auditur. Odor odoratur. Calor aut frigus tangitur. Lapis intelligitur. Cęlum consideratur. Manifestū est enim, quod visio, auditio, odoratio, tactio, intellectio, & consideratio, non sunt in rebus visis, auditis &c. Sed in ipso homine, qui videt & intelligit. Est autem quędam specialis habitudo coloris ad visum & visionē, soni ad auditionē, odoris ad odorationē, qualitatis tangibilis ad tactionem, rei intellectę ad intellectionem, nimirum habitudo obiecti ad actum, qui est circa ipsū vel de ipso. At quę ob hāc habitudinē, sic de seinuicē dicūtur, non ratione mutuę inexistētię. Huiusmodi dicūtur esse oēs prędicationes, in quib⁹ prędicātur termini, qui a Dialecticis appellātur secundę intētionis, aut impositionis, ꝯ terminis primę impositionis: cuiusmodi sunt pene oīa, quę definiūtur in scientijs sermocinalib⁹, Grāmatica, Rhetorica, Dialectica. Et cū dicimus, Ioannes est nomen. Amo est verbum. Amans est participium. Homo currit est propositio. Animal est genus. Homo est species. Petrus est indiuiduū. Homo est secunda substantia. Petrus est prima substantia. Et quia hoc in loco opportune se nobis offert commoda occasio de terminis primę & secundę intentionis siue impositionis tractandi, operęprecium nobis visum est eorum differentiam hic proferre, idque non nisi ex sententia Seuerini Boetij, inter cōmentatores Aristotelis fidelissimi. Cuius hęc est super ea re sententia. Primum omnium rebus ipsis singu

lis ad arbitrium imponentium fuisse imposita nomina: vt substantie, que est homo, suum est nomen assignatum, et illi que est equus suum item peculiare quo appelleretur vocabulũ. Ipsis quoque rerum accidentibus, que et ipse res sunt accidentales, sunt imposita sua nomina, vt accidens illud secundum quod dicitur homo quantus, diceretur quantitas: et qualitas illa, que visibilem facit substantiam, appelleretur color, atque ita in ceteris: vt operationes que substantijs conueniũt, distinctis quoq3 vocabulis nominarẽtur, per huiusmodi vocabula, calefacere, frigefacere, agere, pati, percutere, secare, indurare emollire: item vt habitudo ipsa ex parte rei inter substantiam gignẽtem et genitam exprimeretur nominibus patris et filij. habitudo imperantis et subditi per nomina domini et serui, atq3 ita in ceteris omnibus habitudinibus, que ex parte rei in ipsis rebus inuenirentur. Hec proinde omnia dicuntur vocabula prime intentionis vel impositionis, quoniam hec prima fuit intentio, et hoc primum fuit studiũ impositoribus, vt rebus ipsis et substantialibus et accidentalibus singulis singula inderent vocabula. Postea vero q̃ huic prime intentioni fuisset satisfactum, et prima illa impositio circa res fuisset perfecta, animaduersum est, inter vocabula illa prime impositionis, ex parte significationis accepte per primam illam impositionẽ, quedam cũ seinuicem cõuenire, alia differre. non secundũ aliquid ex parte rei existens, sed secundũ vim et vsum significationis accepte. Animaduersum est, quedã vocabulorũ illorũ supponi et substerni ex sue significationis iã accepte ꝓprietate, alia vero substratis et subiectis apponi, omnia nimirũ nomina apta esse ad subijciẽdum, non per se ad predicandũ: contra vero verba esse apta ad predicandũ per sese, non ad subijciendum. Animaduersum est, quedã vocabula ex impositis esse generalia valde, et multis etiã speciebꝰ diuersis cõuenire, alia nõ nisi vnius speciei indiuiduis. Hec ergo fuit secunda impositorũ intentio et studiũ subsequẽs, ipsis quoque vocabulis iã ante pro arbitrio efficitis noua indere vocabula, que iam nõ rerum foris existentiũ, sed ipsorũ tantũ vocabulorũ, ex parte accepte significationis essent nomina siue vocabula. Unde ex hac secũda intentione, cõsulto impositores illa vocabula, que subijci per se nata sunt, nõ per se predicari, nomina decreuerũt appellanda: illa autẽ que predicari de alijs non subijci nata sunt, essent verba. Item vt illa vocabula que inuenirentur ex accepta significatione de multis speciebus predicari, dicerẽtur genera: que autem solum de singularibus vnius speciei, dicerentur species: ipsa autem singularia que de nullis subiectis possunt predicari, dicerentur indiuidua. Ita in ceteris potest declarari. ¶ Ecce habes intentionẽ secundã, que posteriorẽ subsequuta est, et quasi e priori enata. Ab illa enim adhũc profecta est humani animi sagax industria, et presupponit hec illã. Hoc scilicet est dici vocabulũ prime intẽtionis, idest, circa quod hac similis primũ versata est imponentiũ intentio. Hoc est vocabulũ prime impositionis, quod in illa prima rerũ impositione est institutũ ad suã rem significandam. Secunde autẽ intẽtionis vocabula sunt circa que non primũ studiũ primaque attentio et intẽtio imponẽtiũ

fuit, sed posterius ex prima impositione facta excitata est impositor oratio ad ipsa quoque posterius certę significationi destinanda. Et hęc sunt impositionis secundę vocabula, quę in ista secunda impositione post primam subsequuta, suę significationi sunt deputata. Hęc est vera & indubitata super prędictis Boetij sententia, quam nos iccirco prolixius declarauimus, quoniam pulchra est cōsideratio, sed captu satis difficilis, vt fere sunt (iuxta prouerbium) difficilia quę pulchra. Hęc autem vocabula secundę impositionis siue intentionis non significant res ipsas foris existentes, nec substantias, nec eorum realia accidētia, sed tantum habitudines quasdam & comparationes siue relationes intellectus humani, quas proinde relationes rationis appellare solent: quę non in ipsis sunt rebus, sed tantum in intellectu humano. Quod ita euidenter monstratur. Quod enim vox homo dicatur nomen & non verbum, quod vox homo sit species & non genus, quod rationale differentia & nō proprium, manifestum est nō esse ex parte alicuius rei vel realis proprietatis, in ipsa voce realiter existentis. Nam si nulla omnino circa vocem illā fiat mutatio realis, ex solo arbitrio hominum poterit fieri, vt vox illa homo sit genus, & non species: contra, animal fiat species, & non genus: rationale propriū, & nō differētia. risibile differentia, & non propriū. Videlz voce intacta & inuariata permanēte, tātū ex suo arbitrio, hoīes autoritate pręcellentes in lingua Latina, decernāt vocabula, homo & animal, permutare ex nunc significationem: item rationale & risibile, vt quod hactenus latinis significauit animal, post hac significet homo, & econtrario: quod hactenus rationale, posthac risibile: proculdubio ex hac tantum mutatione humani arbitrij sine vlla sui mutatione, iam erit homo genus, animal species, rationale proprium, risibile differentia. Velint quoque homo iam significare, quod hactenus amo significauit, & econtrario, statim erit vox homo sine sui reali mutatione verbū, & coniugabitur per personas homo, homas, homate. Amo autem nomen erit, & declinabitur amo amonis amoni. Patet ergo, quod nullam realem proprietatem vel accidens vllum realiter inexistens ipsis rebus significent termini secundę impositionis. ¶ Ex quo deinde manifesto consequuto infertur, quod in principio huius capitis diximus, predicationes illas in quibus prędicantur termini secūdę impositionis de terminis primę impositionis esse extrinsecas. Videlicet in promptu est ratio: quoniam quod per prędicatum significatur, non est in illo quod per subiectum significatur in ipso, videlicet vocabulo pro quo est in tali prędicatione semper subiecti acceptio. Terminus enim primę impositionis (vt est regula Dialecticorum) qui subijcitur respectu prędicati, quod est terminus secundę impositionis, non illic accipitur pro ipsa re, ad quam significandam ex primaria impositione est impositus, sed pro ipsomet vocabulo, quatenus est significatiuum talis rei.



Caput. xviij.

¶ De differentijs quinque prędicabilium secundum diuersos modos prędicandi.

Differentia autem quinque prędicabilium, tametsi ex prędictis satis colligitur, placet tamen hic breuiter eam repetere Sciendum itaqꝫ est, genus ⁊ speciem differre secundum subiicibiliũ diuersitatem, nimirum quod genus prędicetur de specie differentibus, species vero de solis numero differentibus: cęterum, ipse prędicandi modus, quo hęc tantum de numero differentibus, illud de differentibus specie prędicatur, idem est, nempe in eo quod quid est in responsione ad interrogatiuum signum quid. In reliquis autem, ex ipso prędicandi modo potissimum accipienda est differentia. Habet enim genus ⁊ species alium modum prędicandi, quam habeat differentia, alium quam proprium, alium quam accidens: differentia itẽ alium habet a genere ⁊ specie, itemqꝫ a proprio ⁊ accidente: faciuntqꝫ hi modi prędicandi, ordinatas prędicationes diuersi generis.

¶ Genus enim ⁊ species quoniam ad interrogationem quid est, respondentur de subiicibilibus, prędicationes faciunt, quas (licet conficto, tamen ad rem significandam apto satis vocabulo) vocant Dialectici quidditatiuas. In illis enim subiecti quidditas, id est, quid sit exprimitur, vt in superioribus factum est dilucidum. ¶ Differentia vero non prędicatur quidditatiua prędicatione, quoniam non ad interrogationem quid est respõdetur, neque quid res sit exprimit, sed prędicatur in eo quod quale quid est, neque quomodolibet quale, sed essentialiter, atque iccirco prędicationem essentialem facit ⁊ qualitatiuã, vt rebus secundum necessitatem accommodemus apta vocabula, Potestqꝫ hęc differentię de suo subiicibili prędicatio, essentialiter qualitatiua, vel essentialis ⁊ qualitatiua nuncupari. Indicat enim de re, qualis essentialiter existat: ⁊ essentialem ipsius qualitatẽ (vt sic Porphyriano more loquamur) assignat. ¶ Proprium autem, neque quidditatiuam facit prędicationem quoniam nõ in eo quod quid est prędicatur, neque essentialem: quoniam non essentialiter de subiecto prędicatur, qualitatiuam tamen facit, sed accidentalem, idest non essentialem, necessariam tamen. Unde prędicatio proprii de suo subiecto, accidentalis ⁊ necessaria recte nuncupabitur, sic accipiẽdo accidentaliter large, vt valeat, non essentialiter. Indicat enim proprium, qualis sit res necessario, ⁊ non essentialiter. Nouissime autẽ omnium accidens prędicationẽ facit contingentem: quoniam videlicet subiecto prędicatum conuenit contingenter, ita vt adesse possit ⁊ abesse prędicari ⁊ negari. Indicat enim de re qualis sit contingẽter. His vero de prędicabilibus ita determinatis ⁊ assignatis per singula, finem huic imponamus tractatui, ad omnipotentis Dei gloriam, qui sua prouidissima eternę sapientię dispositione sic res rerumqꝫ naturas aptissimo digessit ordine, vt quicquid de vniuersa rerum natura cogitari possit, id sub quinque vocum determinatione possit comprehendi. Ipsi honor ⁊ gloria in secula seculorum. Amen.

LIBRI SECVNDI CONSIderationis Dialecticæ, qui de prædicamentis inscribitur.

PRAEFATIO.



Nfinitam rerum ab optimo maximoq; Deo, ad ostentationem immensę potentię, sapientię, atque bonitatis suę conditarum, varietatem, quoniam sigillatim non potuit humanum ingenium inuestigare atque pertractare, laboriosa sagacitate infinitatem illam particularium, in pauca aliquot vniuersalia coegit, sub quibus illa omnia, tam multa, tam varia, tam ab inuicem distantia, saltem generatim concluderetque distincte & sigillatim nequisset comprehendere. Hęc sunt decem illa prima genera, substantia, quantitas, qualitas, ad aliquid, agere, pati, vbi, quando, situs, & habitus: ad quorum aliquod necesse est redigi, quicquid in creatis rebus, vel substantiale, vel accidentarium posset reperiri. Propter quod & prima vel generalissima genera appellantur, eo quod ante ipsa non sint alia priora genera, & ipsis subijciantur cętera omnia. Dicuntur quoque catygorię, id est, prędicamenta, quod ipsa de alijs omnibus generibus & speciebus atque indiuiduis singula de sibi subiectis prędicentur. De his igitur decem primis generibus vniuersali significatione totam rerum infinitatem complectentibus, in pręsenti libro sermo institui tur in quo Aristotelis philosophorum facile principis ordinem, atque determinationem pręcipue insequimur, quomodo in pręcedenti quinque prędicabilium libro Porphyrij potissimum traditionez pro viribus fuimus insequuti.

IN SECVNDVM LIBRVM CONsiderationis Dialecticæ, cui titulus De prædicamentis, argumenta.

Primo in pręfationem.

¶Visa & elucidata præfatione in prædicaméta quæ erat prima pars lectionis, sequitur secunda quę dicitur argumentatiua.

Pars argumentatiua.

Pri.arg. ¶ Arguitur primo sic. Deus non peccat, neq; potest peccare ergo non condidit creaturas ad ostentationem suæ immensæ potentiæ, sapientiæ atq; bonitatis. Antecedens est notum sed minorem probo. Omnis ostentatio videtur peccatum, ergo conclusio illa videtur falsa.

ij.argumẽ. ¶ Secundo sic. Sicut Deus se habet ad generationem æternã, & ad inspirationem, ita videtur se habere ad creationem, (Sequela videtur bona à simili,) Sed generatione non potest producere nisi vnicum filium æternum, inspiratione vnicũ paracletũ, ergo creatione nõ potest creare nisi vnicã creaturã.

Pri.cõfir. ¶ Confir. Huic sententiæ facit opinio Philosophorum dicentium, primam intelligentiam, solum creare secundam: & secundam tertiam, &c. ergo non produxit altissimus varietatẽ rerum, vt ait author.

ij.confir. ¶ Confir. Iterũ. Sicut à bono principio nõ nisi bonũ, & à vero non nisi verũ produci valet, ab vnicé vnicum, non potest produci multitudo rerum, (vt videtur,) sed solum vnitas.

iij.argu. ¶ Tertio arguitur sic. (Contra illam particulam, Ingenium humanum non valens investigare multitudinem &c,) Ingenium humanum potest in quodlibet ens saltem finitum, ergo potest in multitudinem rerum creatarum, cum omnis talis sit finita. Probatur, Omnis potentia potest in suum obiectum, & in quodlibet contentum sub eo, patet de visu, & de alijs potentijs.

iiij.argu. ¶ Quarto arguitur sic. Si solum sunt decem prædicamẽta (vt ait author) ergo omnia prædicamenta sunt decem, tenet consequẽtia ab exclusiua primi ordinis, ad suam vniuersalem de terminis transpositis, sed cõsequens est falsum, quod sic probo. Omnia prædicamenta sunt decem, ergo ista prædicamenta sunt decem, (demonstratis tribus) & ista prædicamẽta sunt decem (demonstratis duobus.) Consequentia tenet ab vniuersali ad sua particulares.

Confir. ¶ Confirmatur. Vndecim sunt prædicamenta ergo non tantũ decem, Antecedens probo. Hoc vocabulum prædicamentũ prædicatur de generalissimis, tanquam superius de suis inferioribus, dicendo substantia est prædicamentum, quantitas est prędicamentum, & sic de alijs.

¶ Item. Ens finitum, quôd est generalius, & prius his decem prædicamentis est prędicamentum, ergo male inquit author quôd hæc sunt prima & generalissima. ij. confir.

¶ Pars responsiua.

¶ Ad primum quando arguis, Deus nec peccat, neq; potest peccare, concedo: & ad probationem dico q̧ ostentatio summitur ibi pro manifestatione suæ immensæ potētię, &c. Habetur exodi quarto. Vide omnia ostenta faciam coram Pharone, & non in malam partem vt videtur haberi, sexto Hebreorum. Crucifigentes iterum &c, ostentui babentes. Ad pri. arg Ostentatio pro manifestatione.

¶ Ad confirmationem dico, q̧ duplex est finis creationis rerum scilicet non vltimus, qui est creatura rationalis, sub cuiꝰ pedibus possuit omnia. Et vltimus, videlicet ipse, Deus. Et sicut dicit. Magister, dis. i. iij. Sententiarum. Fecit Deus omnia propter gloriam suam, scilicet manifestandam, & ad vtilitatem hominis. Et sic conceditur. Deum manifestasse in cōditione potentiam, in gubernatione sapientiam, in conseruatione bonitatem suam. Ad confr. Duplex finis.

¶ Ad secundum. Negatur similitudo, tum quia generatio ęterna filij est necessaria, & naturalis: creatio contingens & volūtaria, tum secundo quia natura diuina, licet sit communicabilis, non est diuisibilis nec multiplicabilis, sic ut natura creata: tum tertio quia intellectus diuinus, vel memoria fœcūda solum vnum potest producere, & infinitum productum, & volūtas solum vnum inspirare, sed voluntas diuina potest plurima creare. Ad. ij. arg.

¶ Et ad confirmationem. Dico, Ille fuit error Philosophorū ad aliā confirmationem negatur sequela, non enim est simile. Ad primā & secundam confirmet.

¶ Ad tertium quando arguis, Ingenium humanum potest in omne ens, distinguo, vel in omne ens materiale & finitum cadens sub obiecto sensibili, & sic concedo quod potest saltem cognoscēdo passiones entis, de subiecto particulari, vt Sortes est vnus, vel aliquid, Sed nō potest scire omnia in particulari Ad. iij. arg.

nec ens sperituale nisi cõfuse. Vide Scotum in prima qęstione prologi super primum sententiarum.

Ad.iiij.ar. ¶ Ad quartum respõdeo quod solum sunt decem prædicamẽta, tenendo quôd exponatur gratia pluralitatis, & non alietatis. Solum sunt decem prædicamenta, sic exponitur. Decẽ sunt prędicamenta, & sic non valet. Solum sunt decem prædicamenta ergo omnia prædicamẽta sunt decem, nisi ly omnia teneatur collectiuè, & tunc non debet descendere copulatiuè, sed copulatim sub ly omnia.

Ad pri. cõ. ¶ Ad primam confirmationem, scilicet, Vndecim sunt prædicamenta, negatur. Et ad probationem, prædicamentum dicitur de generalissimis, sicut superius &c. ad hoc dico, quód hoc vocabulum prædicamentum capitur vno modo vt totã coordinationem prædicamẽtalem significat, et sicut dicimus quôd decem sunt prędicamenta, id est, coordinationes prędicamentales, & inter hæc decem generalissima genera. Alio modo vt comprehendit omnia, & tunc verificantur de generalissimis accidentaliter. Vnde ista est prædicatio accidentalis. Substãtia est prædicamentum, id est, secunda intentio attributa substãtiæ. Si vero capiatur primè intentionaliter, tũc prędicamentum non distinguitur â substãtia, & ab alijs generalissimis, nisi sicut superius de suis inferioribus, & sic est idẽ realiter omnibus decem prædicamentis.

Ad.ij.con. ¶ Ad secundam confirmationem dico, quod ens non est limitatum, quod requiritur ad hoc quod sit prædicamentum. Itẽ, licet sit communius prædicamentis, non tamen generalius, cum comparatiuum præsuponat positiuum, ipsum non est genus, ergo nec generalius, nec Deus est generalis.

Caput primum.

¶ De triplici acceptione termini prędicamentum.

ET primum quidem de Catagorię siue prędicamenti vocabulo (ne ignoto nomine quis hęreat) sciendum est, triplici ipsum significatione vsurpari. Interdum enim generaliter pro vocabulo quolibet, quod dicitur siue prędicatur de alio, sumitur: vt homo, equus, album, nigrum, currere, iacere dicuntur prędicamenta, & in summa quicquid potest de altero prędicari. In quam fere significationem, vocabulo isto vsus est diuus Gregorius, homilia septima dicés, Ioãnem Baptistam ad se venientibus respondisse prędicamenta vitę, id est, verba vitę, verba scilicet veritatis & iustitię. Atque hoc modo

omnia vocabula, quę in ordine quolibet predicamentali ponuntur, predicamenta dici possunt. ¶ Secundo predicamentū accipitur pro tota aliqua collectione & coordinatione generum ac specierum, sub vno aliquo genere generalissimo, secundum suum ordinem dispositorum. Et tota illa coordinatio generū & specierum sub genere substantię, quę in libro predicabilium posita est, dicitur predicamentum substantię, videlicet a genere supremo (quod caput est totius collectionis, & quasi primum principium) habens appellationem. Hoc modo accipitur predicamentum, cum dicitur apud Dialecticos, vocabulum aliquod in hoc aut illo predicamento constitui, id est, in hac aut illa collectione predicamentali. ¶ Tertio predicamentum accipitur specialiter pro ipso quod est summum, in aliquo predicamentali ordine, nempe pro primo tantum & generalissimo genere. Atque in hac significatione summitur predicamentum, cum dicitur Homo est sub predicamento substantię, id est, sub illo predicamento quod est substantia. Sic dicimus substantiam esse, primum predicamentum, quātitatem secundum predicamentum, &c. In proposito igitur cū dicimus, librum istum de predicamentis pertractare, accipiendum est predicamentum vel secundo vel tertio modo. Tractat enim liber iste de primis decem generibus, atque etiam de totis coordinationibus quarum illa sunt capita.

Caput. ij.

¶ De ante predicamentis, & primum de equiuocis.

Ante quam ad predicamentorū determinationē procedat Aristoteles, quędā premittit, ad eorum cognitionem, pręparamenta siue preambula: quę proinde a recentioribus, non improprie efficto vocabulo, appellata sunt ante predicamēta, quasi ante predicamētorum determinationem tradita. Hęc sunt definitiones tres, nempe equiuocorum, vniuocorum, & denominatiuorum. diuisiones due & due item regulę. Quę omnia eo ordine quo ab illo sunt posita nobis veniunt declaranda, priusquam predicamentorum aggrediamur elucidationem. Definitio igitur equiuocorum hec est.

Aequiuoca dicuntur, quorum solum nomen est commune, & ratio substantiæ secundum illud nomen est diuersa. Definitio equiuocū.

Pro cuius difinitionis intellectu notandum est equiuocum dici dupliciter. Interdum enim dicitur equiuocum, vocabulum ipsum quod plura habet significata, vel potius significationes plures: quemadmodum dictio canis habet plures significationes, quarum vna significat animal domesticum, quod latrando domum seruat altera celeste sydus illud, quo se prodente ardor immodicus exurit segetes, vnde caniculares dies vulgo appellantur. Quas duas significationes nemo dubitat esse diuersas. Interdum vero equiuocum dicitur ipsum significatum, & equiuoca dicuntur ipsa significata di-

uersa: quę sic per idem vocabulū significātur, mediantibus diuersis
significationibus siue cōceptibus. Et canis domesticus latrās, ⁊ coele
ste illud exurēs sydus, ęquiuoca sunt, cōparatione ad vocabulū canis
per quod ambo significātur, mediantibus diuersis significationibus
aut cōceptibus. ¶ Quod signāter adijcitur, quoniā nō omnia plura si
gnificata eiusdem vocis, dicuntur ęquiuoca in comparatione ad illā
vocē, sed oportet plura illa significata secundū diuersas significatio
nes, aut diuersos cōceptus significari. Homo nanque ⁊ equus diuer
sa sunt significata vnius termini animal, nō tamen ęquiuoca sunt, sed
vniuoca: quoniam licet plura sint significata vnius termini animal, si
gnificantur tamen per illum mediante vno conceptu, vel secundū eā
dē significationē. Secundū vnā quippe ⁊ eandē significationē, ⁊ secū
dum cōceptū siue cogitatum vnū genus animal. significat hominem,
equum asinum, ⁊ omnes species. ¶ Interdum itaque ęquiuocum di
citur ipsa dictio plures habens significationes, interdum vero ipsuz
significatum quod per dictionem talem significatur. Ad quarum dua
rum acceptionum distinctionem, recentiores non incommode effi
cacis vocabulis, prius appellant ęquiuocū ęquiuocans, id est, ęquiuo
ce plura significās: posterius dicūt, equiuocū ęquiuocatū, id est ęquiuo
ce significatū. ¶ Hoc pręmisso, ad elucidandam Aristotelis supraposi
tam definitionem accedamus. Quę licet possit ⁊ ęquiuocantibus ⁊
ęquiuocatis citra absurditatem, suo modo applicari, commodius ta
men de ęquiuocatis intelligitur hoc modo. Aequiuoca ęquiuocata,
dicuntur alicuius vocabuli plura aliqua significata, quibus solū no
men ęquiuocans commune est, per significationem atque etiam per
prędicationem: sed ratio substantię secundum illud nomen est diuer
sa, id est licet idem nomen plura significet, ⁊ de illis prędicetur, non
tamen secundum eandem rationem vel secundū eundem conceptum
essentialē, vel secundū eandem definitionē substātialē. Exēpli gratia
canis latrās in domo, ⁊ canis ęstuans in coelo, plura sunt significata,
quibus vnū nomē canis, in significādo, atque etiā in prędicādo, com
mune est. Dictio siquidē canis vtrunque significat, ⁊ de vtroque prę
dicatur. Verūtamē solū nomē cōmune est illis, ita quod non est com
munis ratio substātię, sed diuersa quia nō secundū eandē significatio
nē canis vtrūque significat, nec mediante vno eodemque conceptu,
sed mediātibus diuersis significationibus ⁊ conceptibus. Ideo plu
ra illa significata, dici debent ęquiuoca ęquiuocata, comparatione ad
terminū canis ęquiuoce illa plura significātē. ¶ Per rationez autem
substātię, quidā intelligūt conceptū substantialē, siue essentialem, alij
Ratio substantię.
definitionem essentialē, vel (si desit definitio) descriptionem. Et vtrū
que fere in idem redit. Siquidē ad inuicē cōnexa sunt, diuersus con
ceptus ⁊ diuersa definitio: vt si terminus aliquis plura significet me
diantibus diuersis conceptibus, etiam de eisdē dicatur secundū di
uersas rationes, siue dēfinitiones: cōtra vero, si mediāte vno cōceptu
essentiali, etiā mediāte vna definitione essentiali. Exēpli gratia, ani
mal mediāte vno essentiali cōceptu, significat hoīem, equū, asinum, ⁊c
idcirco de omnibus illis etiā secundū vnam rationē, siue definitionē

essentialem predicatur. Homo enim est animal, quia corpus animatū sensibile: equus item est animal, quia corpus animatum sensibile: atq3 ita in reliquis. Contra vero, terminus canis, quia secundum diuersas significationes, aut mediantibus diuersis conceptibus significat sidus vrene & latrans animal, idcirco non secundum vnam definitionem vel rationem de vtroque dicitur. Si enim queras, quare sidꝰ celeste illud canis dicatur, non eadem assignabitur ratio, acsi queratur de latranti animali, sed longe diuersa. Nihil itaque aut perparum refert, siue per rationem substantie, in hac definitione equiuocorum, atque item in illa que sequitur vniuocorum, intelligatur cōceptus siue definitio. ¶ Si vero de equiuocis equiuocantibus cuiquam placeat interpretari suprapositam definitionem, ad hunc modum cā explicabit. Aequiuocantia dicuntur vocabula aliqua, quorum nomē est commune, idest, que secundum nomen sunt cōmunia, pluribus suis significatis, sed ratio substantie nominis est diuersa, idest, diuersa ratione significant plura illa, aut de pluribus illis dicuntur. Uerum prior expositio commodior minusque torta videtur.



Caput. iij.

¶ De equiuoco a casu & consilio.

Est autem duplex equiuocum, nempe equiuocum a casu, & equiuocum a consilio. ¶ Aequiuocum a casu dicitur, quod plura habet significata eque principalia, ita vt non vnum significet propter similitudinem cum altero, vel rationem ad alterū. Sic dictio canis equiuocum est respectu animalis latrantis, & celestis sideris. Sic dictio Petrus, equiuoce significat hunc atque illum. Malus equiuoce significat arborē pomiferam, & malū nauis. Polypus equiuoce significat piscem & morbum. ¶ Aequiuocum autē a consilio dicitur, quod plura habet significata: sed vnum principalius, & aliud minus principale vt pote propter similitudinem vel comparationē, aut relationem ad significatum principale, vt homo equiuoce significat hominem viuū quod est ipsius principale significatum, & hominis imaginem depictā aut sculpt, aut fusam, quod est significatum minus principale, vt pote quod non nisi propter similitudinem imaginis cum viuo homine secundum lineamentorum protractionem & colorum dispositionem per dictionem homo representatur. ¶ Sic Deus prima & precipua significatione, significat id quod naturā habet diuinam, siue quod secundum naturam Deus est: deinde minus principaliter quod sola estimatione Deus putatur, significat item & eos qui secundum aliquā participationem similitudinis dij apellantur, vt iudices & prepositi populorum dij appellantur in sacris literis, eo quod aliqua ex parte Deo vero sint similes, secundum acceptam ab eo potestatem atque authoritatem. Ita sanum principaliter id quod sanitatem in se habet, significat, nempe ipsum animal quod in se habet sanitatē. Minus autē principaliter significat id quod sanitatis est effectiuū, quo modo medicinā dicimus sanā: atque etiā id quod est indicatiuū sanitatis, quomodo vrinā dicimus sanam. ¶ Ratio autē harum appellationū, secundū

„Aequiuocum a casu.

„Aequiuocum a consilio.



quam distincte, prima æquiuoca a casu, ista posterior a cōsilio, hæc est: quoniam id quod plura habet significata æque principalia, quorum non alterum propter similitudinem cum altero, vel relationem ad alterum significat, manifestum est casu & fortuito nactū esse plures illas significationes, nimirum quod casu obtigerit idem vocabulum pluribus accomodari significationibus. Quod vero plura habet significata, sed alterum tantum propter similitudinem cum altero, vel comparationem ad alterum, manifestum est, id non casu sic obtigisse, sed ex consideratione, iudicio, & consilio hominum, qui cōsiderātes similitudinem huius cum illo, eodem nomine iudicant appellandam similitudinem, quo ipsum præcipuum cui9 est similitudo. Ut videntes statuam Cesaris similitudinem habere in lineamentis atque habitus apparentia exteriori, cum vivo ipso Cesere, statuam appellitant Cesarem. ¶ Appellatur quoque istud æquiuocum aconsilio alio nomine analogum quasi secundum relationem aut comparationem plura significans, veruntamen non dicitur dictio aliqua analoga, nisi respectu significati alicuius minus principalis. Ut verbi gratia, homo non dicitur analogum respectu hominis vivi, quoniam non ipsum significat per relationem aut comparationem, sed per proprium impositionem: analogum autem dicitur respectu hominis picti, quem non ex propria & primaria impositione, sed ex similitudine & comparatione significat. Aequiuocum tamen a consilio dicitur, respectu amborum significatorum alterius principalis, & alterius minus principalis.

Caput. iiij.

¶ Tres ponuntur de æquiuocis regulæ.

De his autem æquiuocis tres solent poni regulæ, quarum prima & tertia omnibus generaliter conueniunt, secunda tantum æquiuocis a consilio siue analogis.

¶ Prior hæc est.

De æquiuocis prima regula. Nullum æquiuocum vt æquiuocum, potest constitui in vllo prædicamento, neque vlla definitione potest definiri, neque diuisione diuidi.

¶ Huius dicti ratio est, quia æquiuocum vt æquiuocum nihil unum significat, sed plura indeterminate. Oportet autē determinate unū habere significatum quod debeat in prædicamento constitui, aut definitione aliqua definiri: aut diuisione diuidi. Quod intelligi debet de diuisione proprie dicta. Nam impropria diuisione posset, canis diuidi in canem latrantem, & sydus celeste. Uerum hæc potius enumeratio est significationum termini æquiuoci, quam ipsius diuisio.

¶ Signanter dicitur, æquiuocum vt æquiuocū, non posse in vllo prædicamento. &c., quoniā æquiuocum secundum unam significationē consideratū, recte in prædicamēto cōstituitur, & definitur & diuiditur. Sic

enim non vt ęquiuocum consideratur,sed vt vniuocum.

¶ Secunda regula. ij.regula.

Analogum per se positum stat pro suo significato famosiori.

HOc est,pro significato pręcipuo & primario accipitur,& pro eo vno verificatur id quod dicitur.Dicitur aut per se poni analogum,idest,ęquiuocum ęquiuocans a consilio,quando non additur ei dictio alia quę ipsum trahat ad significatum minus principale aut que ipsum indicet pro minus principali accipi. Exempli gratia, dictio Cęsar,cum dico,Cęsar est longus sex pedes.Cęsar agit Romę per se ponitur,quoniam non additur ei aliqua particula distrahens ipsum ad significatum alterum minus principale, sed in sua consistit libertate.Ideo pro suo significato pręcipuo sine hesitatione accipitur.Cum autem dico,Cęsar sculptus,pictus,fusilis,aut fictilis. Itē Cęsar terreus,vel aureus,vel argenteus,vel huiusmodo aliquid manifestum est per aliquam illarum adiectionum distrahi terminum a significato pręcipuo ad secundarium & minus principale.Facile enim quilibet intelligit,illic non de vero Cęsare,sed de eius imagine fieri sermonem.

¶ Tertia regula.

Aequiuoco non debet esse vsus in disciplinis,nisi fuerit distinctum. iij. regula.

HOc est,nisi prius fuerit indicatum, pro quo significato debeat accipi.Cuius ratio est:quoniam ęquiuocum indistinctum (vt recte dici solet)confusionem parit.A disciplinis autem omnis confusio longe arcenda venit,vt pote in quibus omnia cōuenit esse quā ordinatissima,minimeque perturbata.Qui enim confusioni & perturbationi rerum,vocumq; student,hos constat non bonę disciplinę,sed sophisticę cauillationis esse estudiosos.Hactenus de ęquiuocis,ęquiuocantibus,& ęquiuocatis a casu item & consilio. Nunc ad vniuoca pergamus.

¶ Caput.v.

¶ De definitione vniuocorum.

VNiuoca dicuntur,quorum & nomen est commune, & ratio substantię secundum illud nomen est eadem. Difinitio vniuocorū.

¶ Huius definitionis intellectus,magna ex parte haberi potest ex suprapositta & declarata definitione ęquiuocorum. Secundum cōparationem nanque omnia sic dicenda sunt de vniuocis;quemadmodum illic de ęquiuocis,diximus.Quomodo enim ęquiuoca diximus

ęquiuocantia vel ęquiuocata, sic vniuoca diximus vniuocātia vel vniuocata. Uniuocam quippe vniuocans est dictio vniuoce plura significans, id est, quę mediante vno essentiali cōceptu plura significat, aut secundum vnam orationem siue diffinitionē essentialem de pluribus pdicari potest. Ut animal genus est vniuocū respectu omnium specierū suarum, quas omnes mediāte vno cōceptu essentiali significat, & de quibus omnibus secundū vnā essentialē rationem siue diffinitionem pdicatur. Homo enim est animal, quia corpus animatū sensibile, & eadē ratione est equus, animal, & itē asinus, atque ita in reliquis. Uniuocata vero dicūtur ipsa plura significata, quę sic per vnū vocabulū mediante vno conceptu essentiali significātur. ¶ Ex his facile est supradictā Aristotelis diffinitionē exponere in hunc modū, Uniuoca vniuocata dicūtur plura aliqua significata quorū est vnū cōmune nomen vniuocans, id est, quę per vnum aliquod vocabulum vniuocans significantur: & non solum nomen est illis commune verum etiam ratio substantię secundum illud nomen est eadem, id est, mediante eodem conceptu essentiali, per illud nomen significantur, vel secundum eandem rationem siue definitionem essentialem. De eis pdicatur illud nomen. Quid autem sit ratio substantię, patet ex dictis circa declarationē definitionis ęquiuocorū. ¶ Signanter vero in definitione dicitur, quod ratio substantię secundum illud nomen commune, debeat esse eadem: quoniā ad rationem vniuocorū non sufficit quamlibet rationem esse communē, sed oportet rationem substantię esse cum nomine communem. Id est, oportet vocabulum illis significatis pluribus conuenire secundum eundem conceptum essentialē, vel secundum eandem definitionem essentialem. Homo enim & equus non possunt dici vniuocata respectu albi: attamen homo & equus habent nomen albi sibi commune, siue per pdicationem dicendo homo est albus, equus est albus: siue per significationem & conceptū, quoniā albū generali significatione omnia illa in quibus est albedo significat. Uerū non est illis secundū nomen istud ratio substātię eadem, Nā ratio albi non est homini & equo substantialis, sed tātum accidentalis

Exponitur diffinitio.

Circa istam materiam veniunt tres articuli determinandi. Prim⁹ erit declaratiuus, expositiuusq; textus. Secundus argumentatiuus nuncupabitur. Tertius vero dicetur solutiuus obiectorum, atq; dubiorum motiuus.

¶ Ad primum ergo accedendo dico, quòd præsens lectio diuiditur in duas partes principales: in partē suppositiuam (videlicet) & diffinitionis æquiuocorum declaratiuam.

¶ Prima pars continet quatuor supposita seu declarationes.

¶ Primum suppositum est notificatio æquiuoci.

¶ Secundum declaratio equiuocati.

¶ Tertiū distinctio equiuocantis & equiuocati, & hæc omnia patent luculenter in textu.

Quartum vero notandum est, quòd tam æquiuocum æquiuocans, quam æquiuocum æquiuocatum, possunt capi primé & secūdé intentionaliter. Primé pro ipsis terminus, puta pro uocabulo quod est æquiuocum æquiuocans, & pro istis significatis, (videlicet) cane latrabili, sydere cælesti, pisce marino, quæ nuncupantur æquiuoca æquiuocata. Alio modo capiuntur secundé intētionaliter pro relationibus rationis quæ fundantur in æquiuocante, in ordine ad æquiuocata, quæ potest dici significatio actiua, vel pro relatione fundata in æquiuocatis, in ordine ad æquiuocantia, que potest dici significatio passiua. His suppositis aggredimur secundam partem quę est declaratiua diffinitionis.

Pars argumentatiua.

Primo arguitur sic. Nullus terminus est æquiuocus, ergo illa diuisio est frustra assignata. Sequela videtur bona, & antecedens probo. Si aliquis esset terminus æquiuocus, esset ly populus (Cum significet arborem & gentem) sed ly populus nō est terminus ęquiuocus: quod probo, quia vel esset à casu, vel à consilio: non à consilio cum non significet vnum propter aliud, neq; à casu quia non videtur qualiter æqué primo significet illa. Pri. argu.

Secundo arguitur sic. Nullum æquiuocum, vt æquiuocum est, est diffiniibile, ergo æquiuocum non diffinitur. Consequētia est à potētia ad actum negatiuè, & antecedens probo. Omne diffinibile est vnum, æquiuoca non sunt vnum, ergo intētum. ij. argum.

Tertio arguitur. Vel diffiniuntur æquiuoca equiuocantia, vel secundę intentionis, non primum (cum nullam habeant vnitatem, neq; rationem diuersam,) neq; secundum quia Logicus non definit res, neque terminos: hoc est, intentiones. Quia ratio illarum non est diuersa, cum conueniant in ente rationis. iij. argu.

Quarto arguitur sic. Si ly homo esset terminus ęquiuocus à consilio, sequeretur quod quilibet terminus significans iiij argu.

res corporeas immo & incorporeas (sicut ly angelus) esset terminis æquiuocus, quod videtur inconueniens.

Pars responsiua.

Ad primũ argumentũ ¶ Quando arguis. Si aliquis &c. Nego antecedens, & ad probationem dico, quod ly populus non est terminus æquiuocus, pro quo pono duas propositiones.

prima pro. ¶ Ad hoc quod aliquis terminus sit æquiuocus, duo requiruntur. Primum vnitas dictionis. Secundum diuersitas significatorum.

Duo requiruntur ad æquiuocationem. ¶ Ly populus licet significet diuersa) non habet vnitatem vocis, quia quando significat arborem, habet primam syllabam longam, quando vero significat gentem, prima eius syllaba est breuis, & sic non est vna dictio, quod requiritur.

ij. propos. ¶ Ad secundum nullum æquiuocum &c, Respondeo concedendo maiorem, & ad probationem dico primo, quòd æquiuoca vniuocantur in termino æquiuocante significante, qui quidem terminus est vnum in significando, sed non in supponendo, & sufficit illa vnitas significationis.

ad. iij. arg. ¶ Ad tertium respondeo. Quòd potest sustineri quòd primũ secundum & tertium ibi diffiniantur, sed primum & secundũ de per accidens à logico, tertium vero de per se, cum de per se consideret secundas intẽtiones, res vero vel terminos de per accidens, nisi teneatur q; terminus secundè intentionis est secũda intentio.

ad. iiij. arg. ¶ Ad quartum quando arguis, sy ly homo esset terminus &c concedo totum, & dico quòd quilibet terminus vocalis, vel scriptus, cuius significatum vel significata, potest vel possunt depingi, vel figurari, est terminus æquiuocus à consilio sicut ly homo, animal, angelus.

¶ Secundo dico, q; omnis terminus tam mentalis, quàm vocalis, & scriptus, significat æquiuocè, cum sua significata significeent naturaliter proprié, vel ex impositione, & se & sibi similia naturaliter communiter.

Pars dubiorum mortua.

¶Primo dubitatur. An ista sit vera, æquiuocum est vniuocū & è contra? Pri. dubiū

¶Secundo dubitatur. Vtrum accidentia habeant vnam rationem sicut habet vnum nomen? ij. dubium.

¶Tertio dubitatur. An decem prædicamēta vniuocentur in ente? iij. dubium

¶Quarto vtrum ens prędicetur vniuocè de Deo & de creatura? iiij. dubiū.

¶Ad primum respondeo per propositiones. Ad. pri. du

¶AEquiuoca æquiuota sunt vniuoca vniuocata, vt sydus cœleste, canis latrabilis, piscis marinus, quæ sunt æquiuocata, respectu huius termini Canis, sūt vniuocata, respectu huius termini animatum, vel substantia. Pri. pro. Aequiuoca, vniuoca

¶AEquiuoca æquiuocantia, sunt vniuoca vniuocantia: vt, ly Canis, respectu trium significatorum prædictorum est æquiuocum æquiuocans, sed respectu vnius tantum est vniuocum vniuocans. ij. proposi. Item æqui uoca, vniuoca.

¶AEquiuoca æquiuocantia secundę intentionaliter capta, sunt vniuoca vniuocantia, capiendo vnum extremū vt quid aliud vt modus. iij. propo.

¶AEquiuoca æquiuocata secūdè intentionaliter capta, sunt vniuoca vniuocata, capiendo vnum extremum vt quid, & aliud vt modus. iiij. propo

¶Neq; æquiuoca æquiuocantia sunt vniuoca vniuocantia neq; æquiuoca æquiuocata sunt vniuoca vniuocata, capiendo vtrumq; extremum, vt quid, vel modus. v. proposi. Aequiuoca, nō vniuoca.

¶Respondetur, quòd accidentia habent rationem substantię id est conceptum obiectiualem, vel formalem, vel diffinitionem vnam quidditatiuam, Quia ratio substātiæ in diffinitione vniuocorum, & æquiuocorum, non capitur pro materia, vel forma, vel toto composito substantiali, sed pro quidditatiuè, vel essentia rei, seu cōceptu formali, vel diffinitione quę debet esse eadem in vniuocis, & diuersa in æquiuocis. Ad. ij. du.

Ad iij. & iiij. dubiũ. ¶ Ad tertium & quartum respondetur per propositiones.

Pri. prop. ¶ Prima proposi. Ens prædicatur vniuocé de Deo, & de decẽ prædicamẽtis, de generibus, & speciebus, & indiuiduis, & etiã de differẽtijs medijs, sed non de suis passionibus, neq; de differentijs vltimis. Exemplum primi de prædicatione vniuoca & in quid, Deus est ens: secũdi, Creatura est ens. tertij, Substantia est ens: quarti, Quantitas est ens: quinti, Animal est ens: sexti, Homo est ens: septimi, Sortes est ens, octaui, Hæc albedo est ens: noni, Rationalitas est ens. De his omnibus, & similibus prædicatur Ens, vniuoce & in quid cum importet eis vnicum nomen & vnicam rationem obiectiualem. Sed sequentes prædicationes, licet sint vniuocæ, non tamen in quid: Vnum est ens. Verum est ens. Bonum est ens, & finaliter nunquam prædicatur in quid de simpliciter simplicibus & vltimis differentijs, quæ non sunt resolubilia in conceptus quidditatiuos.

ij. proposi. Duplex est prędicatũ. ¶ Secunda propositio. Duplex est prædicatum vniuocum: videlicet, & in quid, & est illud cuius nomen cum alio, vel alijs est commune, & ratio, id est, conceptus &c. est eadem in omnibus. Requiritur etiam quôd tale prędicatum vniuocum significatum eius includatur quidditatiué in his, de quibus prędicatur: & cum ens habeat ista tria in ordine ad Deũ, & creaturam, & decem prædicamenta, dicitur vniuocum & in quid respectu illorum. Aliud est prædicatum vniuocum, sed nõ in quid, quod importat communitatem nominis, & communitatem cõceptus, sed non includitur quidditatiué in his de quibus prædicatur, & sic se habet ens, in ordine ad suas passiones & ad passiones inferiorum & ad vltimas differentias, seu simpliciter simplicia. Obiecto. Et si quis arguat. Non est vniuocum, ergo dicta nulla, quod probo sic. Primo authoritate Porphyrij, ait enim. Si quis omnia entia vocet æquiuoce nuncupabit. Itẽ Philosophus quarto methaphysicæ. Ens dicitur de entibus sicut sanum de sanis: sed sanum dicitur de animali & de vrina, ergo & ens: Idem inquit, accidentia sunt entia sicut logici dicũt nõ ens esse ens, & nõ scibile esse scibile. Itẽ cõmuniter dicitur, accidẽs nõ est ens nisi quia entis. Itẽ probaẽ rationibus.

Pri. ratio. ¶ Primo sic, Si ens esset vniuocum ad Deum & creaturam &

decem prędicamenta, contraheretur ad illa, tunc sic. Vel contrahitur per ens vel per non ens, non per non ens, ergo per ens, Vltra per ens cum ens contrahibile sit ens, & illud per quod contrahitur sit ens, sequeretur quód Deus esset bis ens, & decem prędicamenta bis entia.

Secundo sic. Nihil est vniuocum ad illa quę continentur sub extremis contradictorijs, sed substantia & accidens continentur sub extremis contradictorijs, putá sub substantia, & non substantia. ij. ratio.

Item sic. Nihil est vniuocum ad illa quae sunt primo diuersa, sed decē prędicamēta sunt primo diuersa, ergo intētū. iij. ratio.

Ad primam authoritatem respondeo. Quód Porphirius male alegat philosophum, non enim inuenitur, vbi dixerit talem authoritatem. Immo logicaliter loquendo potest retorqueri contra ipsum, bene enim sequitur. Omnia entia æquiuocantur in ente, ergo ens est vniuocum ad illa, nullus nempe, terminus æquiuocus distribuitur, saltem vnica distributione sed ibi ly entia distribuuntur pro omnibus entibus vnica distributione, ergo intentum. Solutio obiectionis.

Ad authoritatem philosophi dico, quód est aliquo modo simile, & aliquo modo dissimile, est nempe simile, quia sicut ens primo conuenit Deo & verius, & secundo substantiæ, & tertio accidenti: ita sanum primo conuenit animali vel corpori sanabili, & secundario cibo vel vrinæ, vel dietę, sed in hoc est dissimilitudo, quia ens dicitur vniuocè de suis subiicibilibus, sanū vero, equiuocè de animali & dieta, &c.

Ad tertiā dicitur, Quód logici non dicunt, non ens esse ens simpliciter, sed secundū quid, quod non est aliud quám non ens scilicet non existens, vel non ens id est ens rationis, etiā non dicunt non scibile esse scibile simpliciter, sed secundum quid, quemadmodum sunt propositiones cōtingentes, & for tè falsæ, quæ licet cognoscantur propriè non sciuntur, vel propositiōes negatiuę, vel ppositiones necessarie immediatę, quę ppriè non sunt scibiles sed per demonstrationē propter quid.

Ad vltimam rationum quæ est, Accidentia non sunt entia nisi quia entis: respondeo, quód (saluo meliori iudicio)

illa authoritas sic intelligitur. Accidentia non sunt entia, id est, licet accidentia sint entia, non sunt existentia nisi quia entis, id est, nisi in substantia, quæ est subiectum principale omnium accidentium.

Ad pri. ra. ¶ Ad primam rationem. Si esset ens commune contraheretur &c. concedo quòd contrahitur per ens, id est, per modos intrinsecos, qui non includunt quidditatiuè ens, neq; sunt ens formaliter neq; non ens, sed sunt ens realiter, sicut risibilitas est ens reale, sed non quidditatiuè. Similiter verum, est ens reale, sed non quidditatiuè, risibile est ens reale, sed non quidditatiuè.

Ad. ij. rat. ¶ Ad secundam rationem respondetur. Quòd ad illa quæ cõueniuntur immediatè & totaliter sub extremis contradictorijs vt, Homo & Non homo, nihil est vniuocum: sed substantia, & accidens non se habent huiusmodi, cum vnum prædicetur de alio: vt, Homo est albus.

Ad. iij. rat. ¶ Ad tertiam respondetur, Quòd decem prædicamenta possunt dici primo diuersa, quia non conueniunt in aliqua realitate potentiali contrahibili ad ipsa prędicamenta per differẽtias formales, sed non dicuntur primo diuersa in quantum conueniunt in vno conceptu obiectuali entis, contrahibili per modos intrinsecos.

¶ Pro maiore elucidatione, materię pręsentis, dicendorũ mouentur aliqua dubia.

Pars dubitatiua.

¶ Primum, Quid sit ens reale.
¶ Secundum, Quid sit ens rationis.
¶ Tertium, Quid sit ens, vt modus, & ens vt quid.
¶ Quartum, Si potest stare vniuocatio cum analogia.
¶ Quintum, Quid sit modus intrinsecus.
¶ Sextum, Quid sit non ens, vel non scibile.

Ad primũ. Ens reale dicitur duplicitur. ¶ Ad primum respõdetur, quòd ens reale dicitur dupliciter. Vno modo est ens reale illud quod habet esse semota operatione intellectus, vel alterius potẽtiæ: vt est, Deus, & omnis

creatura,siue substantialis,siue accidentalis:vt,Homo,albedo notitia,conceptus. Alio modo dicitur ens reale, â reor,ris, quod est opinor,vel imaginor,& sic omnia tam in esse obiectiuo,quam in esse imaginario dicuntur realia. Ex quo infertur,quod omnia creata,& creabilia ante mundi constitutionem erant huiusmodi realia,& distinguebatur inter se,vt Sortes,& Plato:Petrus,& Iudas,in esse cognito,vnde Ioan. primo quod factum est in ipso vita erat.

¶ Ad secundum dico,quod ens rationis est ens non reale, & est illud,quod non consequitur ens reale in quantum reale, sed in quantum cognitum,vt ait Paulus scriptor , super primũ,Docto.Subtilis,distinctione,octaua,quæstione,tertia,vt sunt secũdæ intentiones quæ fundãtur mediatè in re cognita Ad secundũ. Ens ratio

¶ Ad tertium . Quid sit ens vt modus,& ens vt quid:Ens vt quid,est ens vel entitas rei,per modum fundamenti,subiecti, substantiæ,vel materiæ:& est illud in quo aliqua fundantur, vel â quo fiunt,vel in quo reducuntur,& istud est duplex,per modum fundamenti vt,Albedo in qua fundatur similitudo: per modum subiecti,vt,Homo vel ens respectu suarum passionum:per modum materiæ:vt,Homo respectu humanitatis,quæ dicitur forma totius:vel respectu rationalitatis,quæ dicitur forma partis.Et istud est duplex, increatum videlicet & creatum. Increatum duplex,communicabile: vt, Essentia, & essentiale:& incõmunicabile:vt,paternitas, filiatio,& spiratio passiua.Creatum diuiditur intrascendens,& prædicamẽtale:vt,Ens,vnum,substantia,accidens. Sed ens vt modus est illud quod immediatissimè inest quidditati,differẽs ab ea per modum formę solum modo vt finitas in creatura , infinitas in deo,ens per se,ens in alio. Ad tertiũ. Ens vt quid & vt modus.

¶ Ad quartum respondetur quod sic,est nempe ens analogũ respectu dei,substantiæ,& accidentis,de quibus tamen vniuocè prædicatur,quia importat eis nomen commune,& conceptum communem,quæ sufficiunt ad vniuocationem.:sed ly homo,in ordine ad hominem viuum & pictum , licet dicatur analogum,non tamen est vniuocum eis, quia licet importet nomen commune,non tamen vnitatẽ conceptus per tale nomen. Ad.iiij.ou Ens est analogũ & vn.uocum

Ad quintū. Quid sit modus intrinsecus. ¶ Ad quintum respondetur, quod esse ille, qui additus alteri, non variat rationem eius formalem, sed bene quidditatiuam aliquando. Vnde est posterior genere, & differentia & prior passione, & differt, à differentia quia differentia præsupponit realitatem potētialem genericam, & modus intrinsecus nō.

Vbicunque est genus & differentia est cópositio. ¶ Secundo, quia differentia dicit realitatem actualem qualitatiuam, & modus intrinsecus non. Et sic vbicunq; est differentia & genus est compositio: vt in homine, animal & rationale. Sed vbi est modus intrinsecus, cum sua quidditate non reperitur compositio saltem ratione illorum, vt in Deo, ens, & infinitum.

¶ Tertio differunt, quia differentia variat rationem quidditatiuam & formalem, vt rationale in homine, sed modus intrinsecus, non oportet quòd variet formalem rationem, sed bene quidditatiuam, vt infinitum in deo.

¶ Quarto differunt, quia alia est realitas contracti per differētiam, & alia est realitas ipsius differentiæ, vt animalitas & rationalitas, sed modus intrinsecus non habet aliam realitatē à realitate contracti, & sic non potest concipi modus intrinsecus sine illo, cuius est modus, vt infinitum non potest concipi sine conceptu Dei, sed Deus bene potest cōcipi sine infinitate, sed imperfectè.

¶ Et per hos modos contrāhitur ens, in quantum, & nō quātum, & quantum, in quantum etcætera. Et iterum in deum & creaturam, in deum per infinitum, & in creaturā per finitum. Iterum ens finitum, in substantia per esse per se, & in accidens, per esse in alio, quod quidem esse in alio contrahitur ad nouem prædicamenta, per suos modos intrinsecos.

Ad sextum Non ens capitur dupliciter. ¶ Ad sextum respondetur, quod Non ens, capitur dupliciter vno modo incōplexè, & sic anthonomaticè non ens dicitur ens rationis: secundo potest dici non ens, id est, nō existens.

¶ Vel capitur complexè, & sic sumitur aliquādo pro propositione negatiua, quæ verè est ens: vel propositione falsa, quæ dicitur non ens, quia non est conformis rebus significatis: vt, Homo est lapis.

Nō scibile quid. ¶ Non scibile vero, est propositio contingens: vt, homo cur

rit,cum non sit demonstrabilis nec necessaria,quod requiritur,vel dicitur non scibile,propositio necessaria immediata: vt,animal rationale est risibile, homo est animal rationale, quę non sunt demonstrabiles propter quid,cum sint immediatę,nimirum scibile propriè est propositio necessaria media ta demonstrabilis per discursum sillogisticum cuiusmodi, est hęc,Homo est risibilis.

¶ Et sic dialectici concedunt non scibile, esse scibile, quia propositio contingens non scibilis,per demonstrationem scitur intuitione. Et propositio necessaria non demonstrabilis, scitur per cognitionem terminorum,vel demonstrationē quia. Non scibile conceditur scibile.

¶ Iterum probatur eadem propositio, hoc est vniuocatio entis in hunc modum. Quādo intellectus est certus de vno, & dubius de duobus,habet alium conceptum ab illis de quibus est dubius,sed intellectus noster habens conceptum entis,alium cōceptum habet inclusum quidditatiuè in illis de quibus est dubius,putà de Deo,& de creatura,& decem prædicamentis, & de substantia,& accidenti. Minor probatur sic, Antiqui philosophi habebant conceptum certum, q̄ principium omnium rerum erat ens, dubitabant tamen an principium esset finitum vel infinitum:an esset substantia vel accidens,an esset vnum vel plura,quia quidā eorū dicebant illud principiū esse aquam:quidam autem ignem,quidam athomos,quidam vero litem & amicitiam, nihil hominus tamen omnes ad vnū vsq; concedebant sine hæsitatione quicquid esset illud principium esse ens, tunc sic habebant alium conceptum à cōceptibus illis de quibus erant dubij, ergo ille conceptus entis est vniuocus,ad illa de quibus philosophi illi antiqui erāt dubij Vltra,erat alius conceptus ab illis,ergo vniuocus eis. Probatur ista consequentia,quia ęquiuocus non importat alium cō ceptum à suis ęquiuocatis,sed est tot cōceptus,quot sunt ęquiuocata. Exemplum familiare,video Sortem & Platonem,in telligo illos esse homines,dubito tamen de vtroq; quis illorū sit Sortes vel Plato,ergo habeo alium cōceptum hominis vni uocum Sorti & Platoni. Item in æquiuocis non reperitur cō tradictio,sed ens & nō ens cōtradicūt,ergo ens est vniuocū. Opiniões antiquorū circa princi pia rerum.

Item ista consequentia communiter cōceditur Homo est substantia, ergo homo est ens, & si queratur quæ nam sit illa vnitas, conceptus entis vniuocè Deo & creaturæ: respondetur, q̄ est conceptus primę intentionis, quia non solum caussatur ab intellectu sed etiam ab illis rebus à quibus abstrahitur, & sic nec est secunda intentio, neq; conceptus secundę intentionis.

¶Et si aliquis percontetur, vtrum ille conceptus de quo facta est mensio sit notitia an vero sit res cognita, respondetur quòd est res cognita, imperfecta tamen, quia concipitur ens abstractiuè, idest, sine suis modis intrisecis hoc est sine finitate & sine infinitate.

¶Nota (præter ea quæ de ente hactenus dicta sunt) quòd ad perfectā vniuocationem, & complectam, tres conditiones requiruntur.

Conditiones quę requiruntur ad complectam vniucationem.

¶Prima. Vnitas quidditatis.

¶Secunda. Vnitas modi existendi in vniuocatis.

¶Tertia. Identitas eiusdem ordinis descendendi.

¶Quas tres conditiones exemplis istis, sic expono. Humanitas habet eundem conceptum quidditatiuum in Sorte & Platone, habet etiam eundem modum existendi, quia quidditatiuè in vno, & quidditatiuè in alio, habet tandem eundem ordinē descendēdi, quia ęquè primo in vno & in alio: sed ab ista perfecta vniuocatione deficit aliquando ordo descendendi, & remanent aliæ duę conditiones, sicut euenit in numeris, quia numerus primò descendit in binarium quàm in ternariū, deinde in ternarium priusquàm in quaternarium. Aliquando deesse modus existentiæ, sic ut in substantia & accidenti, quandoquidem ens in substantia stat per se, sed in accidenti stat in alio. Aliquando vero stat solum vnitas quidditatis, & sic est in proposito, quia sola vnitas entis, reperitur in Deo & creaturis. Franciscus de marchia (vir non spernandę doctrinę) dicit, vniuoca habere eandem met perfectionem essentialem.

Triplex vniuocatio.

¶Item etiam nota. Quòd triplex est vniuocatio, videlicet methaphysica, logica, & physica, methaphysica vniuocatio est vnitas alicuius primę intentionis abstrahibilis per intelle

ctum à pluribus ex natura rei. Vniuocatio Logica est vnitas realitatis primæ vel secundæ intentionis conceptæ sub intentione logica, scilicet generis, vel speciei. Vniuocatio Physica ẽ vnitas naturæ, minor vnitate numerali, & maior alijs vnitatibus. Ex quo patet quód vnitas generica est æquiuoca, licet sit vniuoca logicæ, & metaphysicæ: vnitas transcendens est vniuoca logicæ & methaphysicę.

Caput. xvj.

¶ De quibusdam ad cognitionem denominatiuorum spectantibus.

PRo intellectu definitionis denominatiuorum quam subsequenter ponit Aristoteles, pręmittenda est differentia quam ponũt Dialectici conformiter ad communem vsum & modum loquendi inter terminos concretiuos siue concreta, & terminos abstractiuos siue abstracta. Terminus cõcretiuus siue cõcretũ, dicitur vocabulum quod de subiecto aliquo per semetipsum accidentaliter pręDicatur. Huiusmodi sunt nomina aut verba, quę a Grãmaticis adiectiua appellantur: vt albus, niger, doctus, sedere, currere, &c. Hęc enim de subiectis per semetipsa pręDicantur accidentaliter, dicendo, Petrus est albus, niger, studet, currit. Dictũ est autẽ de pręDicatione accidentali, quonia proprie nõ dicitur terminus cõcretiuus ille, qui solũ essentialiter de aliquo pręDicatur. Et homo licet pręDicetur vere de hoc homine & de illo, nõ proprie tamẽ cõcretũ dicitur, licet aliquãdo sic minus proprie dicatur. ¶ Terminus autẽ abstractiuus siue abstractũ dicitur vocabulũ significans aliquã formã accidentalẽ subiecto alicui inexistentem: per semetipsum tamen nõ potest de illo subiecto vere pręDicari, sed tantũ mediante altero termino adiectiuo siue concretiuo: vt albedo, nigredo, sessio, cursus, & huiusmodi infinita. Significãt enim ista nomina formas accidẽtarias inexistẽtes suis subiectis. Attamen non per semetipsa possunt pręDicari de subiectis illis quibus insunt res per ea significatę. Non enim vere quis dixerit, Petrum esse albedinem, aut nigredinẽ, cursum aut sessionem. Sed mediantibus alijs terminis adiectiuis debent ista pręDicari, dicendo, Joannẽ esse albũ vel nigrũ, sedere, vel currere. Inter hęc autẽ abstracta & concreta est quędam conuenientia, & quędam differentia. Siquidem abstractum & suum concretum in principali significato conueniunt, sed in minus principali differunt. Abstractum enim ipsam formam accidentariam nude repręsentat, concretũ vero forma quidẽ illam principaliter significat, non tamen nude ipsam, sed cum ipsa simul subiectum cui inest, quoniam ipsam formã tanquã inexistentem subiecto significet. Exempli gratia, terminus albedo, nihil nisi puram formã accidentariam in suo conceptu repręsentat, album vero, principali-

Quid sit concretum

Quid sit abstractum

Differentia inter cõcreta & abstracta.

ter quidem significat illam formam accidentariam, sed circa subiectũ eam determinat, quod nõ facit terminus albedo, id est, significat formam illam tanquam subiecto inexistentem, neq; minus principaliter ⁊ secũdario ipsum subiectum significat. ¶ Atque hinc procedit, quod terminus abstractiuus per semetipsum vere non possit dici de subiecto, cui tamen res per ipsum significata vere ⁊ realiter inexistit. Nimirum quia tantum formam significat, non etiam subiectum. Nullus autem terminus potest vere prędicari de eo quod in suo conceptu non significat. Terminus autem concretiuus, quia in suo conceptu subiectum significat, tanquam id quod in se formam accidentalem habet, ob hoc recte quoque per semetipsum, ⁊ vere potest prędicari de subiecto. ¶ Atque ex his facile est intelligere rationem huius appellationis, quare videlicet concreta, ⁊ abstracta appellentur. Nimirũ abstracta dicantur, eo quod significent formam nudam ⁊ quasi abstractam a subiecto, ita vt ipsum non simul cum forma significent. Concretum vero dicitur, eo quod subiectum concernat, simulq; subiectũ cum forma repręsentet, ⁊ in suo conceptu velut coniungat atque cõmisceat, nempe vno conceptu suo significans ⁊ formam vt inhęrentem, ⁊ subiectum, vt in se eam continens. Hac etiam ratione videtur a Grammaticis nominata esse adiectiua, verba vel nomina, quod videlicet significent formam accidentariam tanquam adiacentem rei, siue quatenus rei inexistit. ¶ Hęc autem quę diximus sic appellari cõcreta vel adiectiua vocabula. Aristoteles in pręsente definitione vocat paronyma, id est, denominatiua eadẽ vtique ratione, nimirũ quod secundum huiusmodi vocabula debeat fieri denominatio subiectorũ ⁊ quod ipsa denominationem suam, qua subiectum denominant, habent a nomine abstracto, id est, a re per ipsum significata. Forma enim accidentalis in subiecto existens, ipsum semper aliquale denominat, dans ei esse quoddam accidentarium: quę quidem denominatio cum non possit apte vereque fieri per nomen abstractum, necesse est eam fieri per concretum siue denominatiuum. Ut iustitia in Petro existens, ipsum denominat appellariq; facit, non per abstractum nomen iustitiam sed nomine concreto iustum. Petrum nanque habẽtem in se iustitiam, non denominamus iustitiam, sed iustum: Ita eum in quo est actio vel passio, cursus vel sessio denominamus ab huiusmodi formis accidentariis agentem, patientem, currentem, sedentẽ, non actionem, passionem, &c. ¶ Unde pro dictorum clariori notitia, ac post explicandę definitionis faciliori intelligentia, tria hic adinuicem pertinentia, ⁊ velut cohęrentia, sed ab inuicem distincta assignamus, nempe denominans, denominatiuum, ⁊ denominatum. Denominans, appellatur ipsa forma accidentaria, quę subiectum denominat aliquale, vt albedo, cursus ⁊ huiusmodi.

¶ Denominatiuum, dicitur ipsum vocabulum quo mediante fit denominatio, vt iam dictum atque declaratum est.

¶ Denominatum vero dicitur ipsum subiectum, quod a forma denominante secundum vocabulum denominatiuum denominatur aut appellatur tale vel tale. Exempli gratia, Humilitas est denominans,

Cõcreta ⁊ abstracta quare sic appelletur

Quid sit denominans denominatiuum ⁊ denominatũ.

humilis est denominatiuum, homo est denominatum, quia ab humilitate homo denominatur humilis. ¶ Denominans vero & denominatum possunt indifferẽter dici res vel termini. Ipsa nanque forma accidentaria inexistens subiecto realiter, proprie dicitur denominans, vel minus proprie ipse terminus qui formam illam nudã significat, terminus videlicet abstractiuus. Ita subiectum illud in quo realiter est forma, proprie dicitur denominatum, vel minus proprie terminus ipse subiectum significans. ¶ Denominatiuum vero non potest dici nisi ipse terminus, quo mediante fit denominatio, & per quẽ simul denominans forma cum subiecto denominato significatur. His præmissis, ad explicandam Aristotelis definitionem accedamus, quæ talis est.

Caput. vij.

¶ Explanatio definitionis denominatiuorum.

DEnominatiua dicuntur, quæcunque ab aliquo solo differentia casu secundum nomen habent appellationem.

¶ Quam definitionem ita intellige. Denominatiua sunt vocabula, quæ ab aliquo denominante siue abstractiuo vocabulo, aut ab aliquibus abstractis, differunt solo casu, id est, sola finali terminatione, vel transfiguratione, ita vt in principio vocis sint conuenientia: & deinde secundum illud nomen habent appellationem, id est, accidentalem, habent prædicationem, secundum rem per nomen illud abstractũ significatam. Hæc enim accidentalis prædicatio, in proposito appellatur denominatio. Exẽpli gratia, humilis, superbus vocabula hæc sunt denominatiua. Nam a suis abstractis siue denominantibus (quæ sunt humilitas & superbia) differunt sola trãsfiguratione siue terminatione finali, quæ in proposito casus appellatur. In principio nanque conueniunt, neque nisi in finali terminatione est differentia. Deinde appellationem habent secundum illa abstracta, id est accidentalem prædicationem, secundum res per nomina abstracta significatas, quoniam humilis & superbus accidentaliter prædicantur de subiectis, ratione humilitatis & superbiæ, dicendo. Iste est humilis, ille superbus. ¶ Circa quam definitionem aduerte tripliciа distingui solere denominatiua, nempe voce tantum, significatione tantum, voce & significatione simul: in proposito tamen sola definiuntur denominatiua voce, & significatione. ¶ Denominatiuum voce tantum dicitur, quod cum aliquo abstracto habet quidem secundum vocem conuenientiam in principio, & differentiam in terminatione finali, sed nõ conuenit cum eo in significatione, nec habet secundum rem per ipsum significatam denominationem, siue accidentalem prædicationem. Ut pugillator est denominatiuum voce tantum, respectu pugillatoriæ, accipiendo eam, vt significet habitum artis pugillandi:

Definitio denominatiuorum.



„ De nominatiuũ „ voce tan „ tum. „

pugillatorem vero, vt significet naturalem potentiam ad pugillādum. Sic enim licet in principio conueniant, & differant in fine, in significatione tamen non conueniunt: neque habet concretum appellationem secundum rem per abstractum illud significatam. Non enim dicitur quis pugillator secundum illam significationem ab habitu artis, sed a naturali potentia. Ita somnolentus respectu somni est denominatiuum voce tantum, quia non dicitur quis somnolēt⁹ a somno, sed a somnolētia. Sic cursor respectu cursus, est denominatiuum voce tantum: quoniam non dicitur quis cursor a cursu, sed ab habitu & arte quę cursoria dicitur. Ita quoque in alijs dicendum. ¶ Denominatiuum autem significatione tantum dicitur, quod cum aliquo abstracto conuenit in significatione, secundum rem per ipsum significatam habet denominatiuam prędicationem, attamen ab eo non differt sola finali terminatione, verumetiam in principio. Ut dormiens est denominatiuum somni secundum significationem, quoniam a somno animal denominatur dormiens. Sic probus aut sapiens, aut studiosus, est denominatiuum virtutis. Eum enim qui virtutem habet, dicimus probum, aut sapientem, aut studiosum, virtuosum autē nō dicimus, quoniam vox illa Latinis auribus est incognita. Maxime autem in Gręco idiomate nomini ἀρετη quod virtutem significat, nullum proprium concretum inuenitur, sed assignatur illi propter defectum σπουδαῖος, id est, studiosus. ¶ Denominatiuum autem voce & significatione simul dicitur, quod cum aliquo abstracto conuenit in principio & differt in fine, & insuper secundum rem per illud idem nomen significatam habet denominationem, siue vt denominet aliud ipsum, videlicet in quo fuerit res per abstractū significata, vt album respectu albedinis, somnolentus respectu somnolentię. Atque hęc sola denominatiua in definitione Aristotelis intelliguntur definiri. Denominatiua quippe voce tantum excluduntur a diffinitione, per secundam eius particulam, eo quod non habeāt appellationem secundum illud nomen. Denominatiua autem significatione tantum, abijciuntur per partem priorem: videlicet quia non differunt solo casu ab abstracto. Non enim solo casu, idest, sola finali terminatione differunt, quę etiam differunt in principio.

Denomi,, natiua significatione tantum.

Denomi,, natiuũ voce & signi ,, ficatione ,, ,, ,,

¶ Pars argumentatiua.

Primum argumētū. ¶ Argui. sic. Omne diffinibile debet esse vnum, denominatiua non sunt vnum, ergo non sunt diffinibilia: consequentia est in secundo secundę sed antecedens est Scoti, in quarto distinctione prima quęstione secunda.

¶ Secundo sic. Denominatio est nominis datio, sicut album dat nomen suum suo subiecto: vt homini dicendo, homo albus, vel homo est albus. Ex hoc arguitur sic. Illa quorũ vnũ dat nomẽ suum alteri sunt denominatiua, sed humanitas dat nomen suum homini, ergo humanitas & homo sunt denominatiua. Item deitas dat nomen suũ Deo, ergo Deus & deitas sunt denominatiua, quod est falsum. ij. argumẽ.

¶ Tertio sic Gallia & Gallicus sunt denominatiua, & nõ sunt accidentia absoluta, quod requiritur: ergo diffinitio est minus bene assignata. iij. argu.

¶ Nulla denominatiua sunt solo casu differentia, ergo diffinitio nulla.

¶ Sequitur pars responsiua.

¶ Ad primum respondeo, concedendo consequentiam, & distinguo antecedens. Quia si diffinitur quidditatiuè, verum est quòd diffinitum debet esse vnũ: vt homo est animal rationale, vel homo est constitutus ex corpore, & anima rationali: sed quando non est diffinitio quidditatiua sed explicatio rei vel nominis non oportet quòd diffinitum sit vnum tali vnitate methaphysica vel physica: sed sufficit vnus conceptus talis scilicet denominantis, denominatiui, & denominati, vt est, iustitia, iustus, & Petrus. Ad. primũ argumen.

¶ Ad secundum dicitur, quòd duplex est denominatio: vna essentialis & quidditatiua: alia accidentalis & contingens. Primo modo humanitas & deitas possunt dici denominatiua: sed non secundo modo. Et diffinitio intelligitur de denominatiuis secundo modo: vt, albedo, & homo. Ad ij. arg.

¶ Ad tertium dicitur quòd duplex est denominatio in proposito, vna intrinseca, alia extrinseca & accidentalis. Diffinitio intelligitur de prima, & non de secunda. Prima est inter hominẽ & albedinẽ. Secunda inter hominẽ & Galliam. Item intelligitur diffinitio de formis absolutis, & non respectiuis sicut est inter Galliam, & Gallum. Ad. iij. ar.

¶ Ad quartum dicitur. Quòd ibi ponitur singularis pro plurali, Solo casu, idest, Solis casibus, seu cadentijs finalibus. Ad. iiij. ar.

Mouentur dubia.

primum. Primum est. An pugillatoria ars & pugillator sint denominatiua.

ij. Secundum est. An probus vel studiosus & virtus sint denominatiua.

Ad primũ. Ad primum dicitur quód sunt denominatiua secundum vocem tantũ, & pugillator nõ dicitur ab habitu vel arte pugilandi sed ã naturali potentia & sunt denominatiua secundum vocem tantum non secundum significationem.

Ad. ij. Ad secundum dico, Quód homo habens virtutem dicitur ã latinis probus, sapiens, studiosus: virtuosus vero non dicitur quoniam vox illa auribus latinis est incognita & hæc est ratio potissima.

Caput. xviij.

De prędicatione equiuoca, vniuoca, & denominatiua.

Prędicatio equiuoca. Ex prędictis triplex summitur prędicatio, nempe equiuoca, vniuoca, & denominatiua. Prędicatio equiuoca est, in qua equiuocum equiuoce sumptum, prędicatur de aliquo significatorum suorũ. Quę prędicatio a disciplinis reijciatur, tanquam incommoda ad docendum vel discendum propter confusionem indistincti vocabuli.

Prędicatio vniuoca. Prędicatio vniuoca dicitur, in qua prędicatur vniuocũ de aliquo suo significato, idest, vniuocans de vniuocato. Ut homo est animal, equus est animal, iustitia est virtus. superbia est vicium. Et vniuersaliter, omnis prędicatio generis de aliqua specierum, est vniuoca: itẽ speciei de indiuiduis. Adijciunt quoque prędicationem essentialis differentię de specie constituta, & eius indiuiduis.

Prędicatio denominatiua. Prędicatio autẽ denominatiua dicitur, in qua denominatiuum prędicatur de subiecto siue denominato. Ut Petrus est iustus, fortis, bonus, humilis, & cetera. Et vniuersaliter omnis prędicatio accidentalis de suo subiecto, dicitur denominatiua. Adijciunt quoque hi prędicationem proprij de suo subiecto. Ut homo est risibilis. Habet enim etiam proprium secundum rem per abstractum significatam denominationem, id est, accidentalem prędicationem, si accidentalis prędicatio summatur largius. Hactenus ante prędicamentales Aristotelis definitiones tractauimus, nunc ad diuisiones trãseamus.

Caput. ix.

Prima diuisio ante prędicamentalis.

EOrum quæ dicuntur, alia secundum complexionem dicuntur, alia vero sine complexione.

Prima diuisio.

¶ Cuius diuisionis sententia est, terminorum quosdem esse complexos siue compositos ex pluribus, quosdam esse simplices, incomplexos atque incompositos. Terminus incomplexus dicitur, qui ex pluribus dictionibus significatiuis non cõponitur, vt iustus, superbus, homo, equus currere, sedere, & cetera. Terminus autẽ cõplexus dicitur qui ex pluribus dictionibus significatiuis ad inuicẽ recte vnitis cõponitur. Vt homo albus, Petrus & Joannes, Petrus est probus Joannes est doctus, &c. ¶ Signãter dicitur, ex pluribus dictionibus significatiuis, quoniã terminũ cõplexũ nõ facit cõpositio syllabarum aut literarũ, neque etiã dictionũ pluriũ nõ significantiũ, sed tantũ cõpositio plurium significatiuarũ dictionũ. Jmo neque hoc sufficit ad terminum complexum, quod componatur ex partibus, quę extra cõpositionem per se sumptę, sunt significatiuę, sed oportet in illa cõplexione eas habere significationem. Quod dicimus propter nomina quę appellantur figurę compositę, quemadmodum corpus animatũ, vt pro genere accipitur, respublica aliaqꝫ huiusmodi. Hęc enim proprie nõ dicũtur cũ cõplexione, sed sine cõplexione: quoniã licet ex partibus cõponãtur per se & separatim significatiuis, illic tamen in compositione illa nõ significãt. Jn nominibus enim cõpositę figurę partes nihil significãt, sed ex cõpositione partium resultat vna totius nominis significatio. Alioqui si partes accipiantur vt significantes non erit cõpositũ nomẽ, sed oratio appellari debebit. Oportet ergo terminũ cõplexũ ex partibus in ipsa cõplexione significantibus cõponi.

Termini cõplexus

¶ Signanter quoque dictum est, ex partibus recte adinuicem vnitis, quoniã terminũ complexum non facit multarum dictionum etiã significantiũ, sine ordine coaceruatio, nisi adinuicem recte fuerint ordinatę atque cognitę. Nam si dixero sine coniunctione, homo, equus bos, Grammaticus, Logicus, Musicus, complexum nullum terminũ habebo, sed multos incomplexos terminos: quoniam non est ibi debita partium vnio. Non enim secundum aliquam Grammaticam constructionem siue compositionem vniuntur. Cum vero adinuicẽ plures dictiones secundum aliquam grammaticam constructionem bene vniuntur, inde terminus complexus efficitur. Ut pote cũ per cõiunctionẽ adinuicẽ vniuntur, dicendo, homo & equus, Petrus vel Paulus: vel sine coniunctione ex vi alterius regiminis, vtpote adiectiui & substantiui, dicendo, homo iustus: Uel demonstratiui & rei demonstratę, dicendo, iste homo: vel possidentis & rei possessę, dicẽdo domus Petri: vel secundum appositionem coniungendo in eodem casu adinuicem pertinentia, vt animal homo, Uirgo maria: atque ita in ceteris quę apud Grammaticos tractãtur exactius. Quemadmodum enim non facit ędificium vnum, multorum lignorum & lapidum aceruus nisi fuerint partes adinuicem debito ordine compositę: ita.

non facit complexum terminum multarum dictionum congeries nisi debito ordine adinuicem fuerit counite.

Caput. x.

¶ De triplici complexo & triplici incomplexo.

Complexum voce tantũ

Complexum significatione tantum

Complexum voce, & significatione.

Incõplexum

SOlent autem ad pleniorẽ huius diuisionis notitiam triplex distinguere complexum, & triplex item incomplexum: nẽpe cõplexum voce tantum, complexum significatione tantum, complexum voce & significatione simul: atque item in complexum voce tantum, significatione tantum, voce simul & significatione. ¶ Complexum voce tantum dicitur, quod secundum apparentiam vocabuli ex pluribus componitur dictionibus significatiuis, quę tamen secundum veritatem in illa compositione significatiuę non sunt, sed vnam simplicẽ significationem totum habet. Huiusmodi sunt nomina & verba figurę compositę, de quibus iam supradiximus. ¶ Complexum significatione tantum dicitur, quod secundum vocem non habet partes significatiuas ex quibus componatur, in mente tamen plures habet conceptus adinuicem coniunctos, & significationem habet compositam. Ut cum dico, curro, subintellecto pronomine, secundum vocem quidẽ, hoc incõplexũ est, in mente tamen respondet conceptus pronominis & verbi ego curro. Ita putant nonnulli de verbis impersonalibus passiuis, legitur, docetur, curritur. Uidentur enim significatione esse complexa, quoniam legitur tantumdem valet, ac si dicas, lectio fit, curritur, fit cursus, docetur, fit doctrinatio. Similiter sentiunt de illis verbis quę vocantur exemptę actionis pluit, ningit, tonat, grandinat, &c. ¶ Complexum autem voce & significatione est, quod & in voce & in mente plures habet dictiones significatiuas adinuicem compositas, vt homo iustus, vir bonus, Deus viuit. Et d hoc principaliter fit sermo. ¶ Per contrarium vero facile est definire incomplexũ voce tantum, significatione tantum, voce & significatione simul. Incõplexum enim voce tantum est, quod secundum vocem non componitur ex partibus significãtibus, attamen in mente est compositio, & conceptus respondet compositus. Incomplexum autem significatione tantum est, quod secundum vocem est compositum ex pluribus dictionibus, sed in mente non est compositio, tantumq; simplex conceptus toti vocabulo respondet in animo. Estq; omne complexum voce tantum, incomplexum significatiõ[illegible]tum, quemadmodum omne complexum significatione tantum, est incomplexũ voce tãtum, & econtrario. Incomplexo autem voce & significatione simul omnino ex aduerso opponitur complexum voce & significatione simul. Ipsum est, quod neque secundum vocẽ ex pluribus dictionibus cõponitur significatiuis, neque etiam secundum rem & significationem. Et hoc propriissime incomplexum dicitur. Nihilominus etiam proprie incomplexum dicitur, quod est incomplexum significatione tantum, & complexum voce. In proposito namque complexionem maxime reputamus

me reputamus secundum significationem, ita vt vbi significatio inuenitur composita, proprie dicamus complexionem: incomplexionē vero, vbi fuerit significatio simplex, & conceptus incompositus. ¶ Cōducit autem hęc diuisio ad distinguendum complexa ab incomplexis propter ordinem prędicamentorum: quoniam (vt maxima habet dialectica) nullum complexum in prędicamento aliquo locum habet, intelligendo de complexione secundum significationem. Nam secundum vocem incomplexio nihil impedit.



Caput .xi.

¶ Secunda diuisio antepredicamentalis.

EOrum quę sunt, alia de subiecto quodam dicuntur, in subiecto vero nullo sunt, alia in subiecto quidem sunt, de subiecto vero nullo dicuntur, alia de subiecto quodam dicūtur, & sunt in subiecto, alia vero neque in subiecto sunt, neq; de subiecto dicuntur. Secūda diuisio.

¶ Pro cuius diuisionis intellectu explicandum est, quid in proposito sit, esse in subiecto & dici de subiecto. Possumus autem ista, vel rebus applicare, vel vocibus, sicut & alibi admonuimus, quę rebus conueniunt, ea & vocabulis suo modo aptari: atque e contrario, quę de vocibus dicuntur, suo modo rebus applicari. ¶ Loquendo de vocibus, dici de subiecto est prędicari essentialiter de aliquo: esse autem in subiecto, est prędicari de aliquo accidentaliter. Vt animal dicitur de homine, tanquam de essentiali subieto, & album dicitur de homine accidentaliter, tanquam de subiecto accidentali. ¶ De rebus autem loquendo, dici de subiecto est essentialiter esse in aliquo, vel mediāte vocabulo de aliquo essentialiter prędicari. Esse vero in subiecto est accidentaliter esse in aliquo, tanquam in subiecto accidentali, vel mediante vocabulo accidentaliter de aliquo prędicari. Dici de subiecto & esse in subiecto quid sit.
Sic natura generica animalis dicitur de homine, & ipsa albedo est in homine. ¶ Ex quo patet, aliter accipi subiectum, cum dicitur prędicari de subiecto: aliter, cum dicitur esse in subiecto. Illic enī subiectum intelligitur essentiale, tanquam sui partem essentialem, si de rebus loquamur. Vel vocabulū quod essentiali prędicatione alicui prędicabili subijcitur, vt est species respectu generis, indiuiduū respectu suę speciei, & constituta species respectu constituentis differentię. De quibus in pręcedenti prędicabilium libro plenius est determinatū. Cum autem dicitur esse in subiecto, intelligitur subiectum accidentale, cui videlicet aliquid inhęret accidentaliter: si de rebus loquamur, vel vocabulum quod subijcitur alicui prędicato in prędicatione accidentaria. Hoc pręmisso ita est intelligenda diuisio. ¶ Eorum quę sunt, id est, inter omnia quę subsistunt in rerū natura, hęc est quadruplex differentia, vt aliqua dicantur de subiecto aliquo essentialiter, de nullo autem accidentaliter. Alia sint in subiecto aliquo accidentaliter, & accidentaliter prędicantur de eo essentialiter tamen de nullo Exponitur diuisio.

subiecto possint prędicari. Aliæ prędicentur de aliquo essentialiter, & de aliquo alio (nunquā autē de eodē) accidentaliter. Ultima neque essentialiter de aliquo prędicentur, neque item accidentaliter de aliquo. Hęc autē diuisio quadrimembris omnia cōplectitur, quę inueniuntur in rerum natura subsistentia. Omne enim quod est creatum, vel est substantia, vel accidens: & rursum, omnis substantia vel vniuersalis & cōmunis est, vel particularis. Sic item accidens vel est vniuersale vel singulare: ex quorū adinuicē compositione: ista consurgit quadrimembris diuisio.

Primum membrum

¶ Sub primo nanque membro cōprehēduntur omnes substantię vniuersales, omnes videlicet naturę generice & specificę prędicamenti substantię, quę omnes dicuntur de subiectis, quoniam essentialiter insunt speciebus & indiuiduis sibi subiectis, sed nulla illarum potest esse in subiecto, quoniam nulla substātialis natura generica vel specifica, potest alicui subiecto inesse accidentaliter, aut de aliquo accidentaliter prędicari. Nihil enim potest dici accidentaliter homo, vel animal vel substantia. Sub hoc mēbro cōprehendi etiam videntur, naturę differentiales, quę species constituunt. Nam & ipsę essentialiter insunt speciebus, quas componunt, & nulli insunt mere accidentaliter, secundū eum modū, quē paulo post dicemus in definitione Aristotelis, qua definit ipse quid sit esse in subiecto. Nihil enim potest assignari, quod sit accidentaliter rationale, aut sensibile: sed quicquid tale est, essentialiter tale est.

Secundū membrum

¶ Sub secundo membro cōprehenduntur accidētia singularia, vt hęc albedo, ista humilitas, atq; ita in cęteris. Hęc enim in subiecto aliquo sunt accidentaliter, & de eo prędicantur accidētaliter mediātibus suis denominatiuis. De nullo autem essentialiter valent prędicari, neque essentialiter vlli inesse.

Tertium membrum

Sub tertio membro cōtinentur omnia accidentia vniuersalia, vt albedo in generali, virtus, scientia, & similia. Hęc enim cōmunia accidentia, & subiecta habent in quibus accidentaliter inhęrēt, & insuper singularia accidentia habent, quibus insunt essentialiter, sicut natura specifica accidentalis est in omnibus suis indiuiduis, id est, singularibus accidētibus illius naturę. Vel etiam accidentia vniuersalia inferiora habent quibus insunt, vt natura generica accidentalis est in naturis specificis sibi subiectis, vt natura coloris est in natura albedinis, & natura albedinis, in hac atq; illa albedine, & in singulis indiuiduis. Sub hoc membro propria communia simul comprehendi solent, vt risibile, flebile, sicut propria particularia ad membrū secundum reducuntur. Sunt enim propria accidentibus similia, vt differentię generi & speciei.

Quartum membrum

Quartum vero membrum habet substantias particulares, siue indiuidua prędicamenti substantię. Que neque de subiecto aliquo dici possunt essentialiter, cum nihil habeāt se inferius de quo possent prędicari. Neque in vllo subiecto possunt inesse accidentaliter, cū ęque repugnet substantię, esse in aliquo accidentaliter, atque accidenti repugnat, ex sua natura per se subsistere. Ad hunc autem modum enerrata diuisione ac rebus applicata facile est eandem & vocibus suo modo accommodare.

¶ Figura ad oculum demonstrans singulorum membrorum prędictę diuisionis conuenientiam aut differentiam.

Substantia vniuersalis Dicit de subiec & nō est in subi

Partim conueniunt, quia vtrunq; de subiecto dicitur.

Accidens vniuersale Dicit de subiec. & est in subiect




Substantia singularis. Neque dicit de sub. neq; est in subiecto.

Partim conueniunt quia nuetrum de subiecto dicitur.

Accidens singulare. Est in subiecto, & nō dicit de subiec.

FIGVRA BOETII.



¶ Inter substantiam & accidens, item vniuersale & particulare, ponit asystaton, quoniam simul neq; eunt consistere aut conuenire. Inter substantiam autem & vniuersale non ponit asystaton: quoniam simul constant, item in aliis.

Caput. xij.

¶ Definitio esse in subiecto posita ab Aristotele.

Quid autẽ sit esse in subiecto, & quę sit natura eorum quę sunt in subiecto, plenius definit Aristoteles, in hunc modum.

In subiecto esse dico, quod cum in aliquo sit, non sicut quędam pars, impossibile est sine eo esse in quo est.

Esse in subiecto definitio.

¶ Cuius definitionis hic est sensus, Illud ẽ in subiecto, quod existẽs in aliquo non per modum partis, neque integralis, neque essentialis, sic ipsi tamen inhęret & sic in illo sustentatur cui inest, vt separatim extra ipsum subiectum non possit subsistere, sed quam diu est, in subiecto debet sustentari. ¶ Quę definitio pulchre explicat naturam accidentis, ipsumq; ab essentialibus distinguit. Modum enim describit quo accidens suo inhęret subiecto, longe differentem a modo, quo essentialis natura inest illi, cuius est. Natura enim essentialis, id est, generica & specifica, atque etiam differentialis, inest rei in qua est sicut pars ipsius essentialis, nimirum ipsam componẽs & constituẽs essentialiter, quemadmodum in priori libro ostendimus naturam genericam esse in speciebus subiectis, specificam in indiuiduis, & differentialem in specie constituta ac subiectis indiuiduis. Accidens vero, dicit Aristoteles esse in subiecto, non sicut partem aliquam.

¶ Quod tamen ita supplendo exponunt, vt id quod in subiecto est secundum propositum loquendi morem, debeat esse in aliquo, non sicut pars ipsius subiecti, neque etiam alterius vnius quod simul cũ ipso constitueret atque componeret, ita vt id quod dicitur in aliquo vt in subiecto esse, non solum non possit ipsum cõstituere: sed neque cum ipso aliquid vere & substantialiter vnum possit constituere. Quemadmodum iustitia existens in anima, nec est animę pars, nec cum anima aliquid vnum componit. Similiter nec color cum corpore, cui vt subiecto inest. Ex accidẽte quippe & subiecto nihil proprie vnum constat, sed aggregatione tantum sunt vnum. ¶ Hoc autem ita supplendo exponitur, propter formas substantiales, quę non dicuntur esse in materia tanquam in subiecto, cum non sint formę accidentales, sed omnino substantiales. Attamen definitio tota iam posita illis conueniret, si non supplementum illud adijceretur. Sunt quippe formę substantiales in materia non sicut eius quędam partes, est quoque impossibile eas esse sine materia vel extra eam, loquẽdo de omnibus formis substantialibus, sola anima rationali excepta. Verum per adiectionem supplementi illius aperte excluduntur, quoniam sunt formę in materia, tanquam partes eius, quod simul cum ipsa cõponunt atq; constituunt. Siquidem forma cum materia rem naturalem componit quod vere & proprijssime quid vnum est. Et verbi gratia, anima rationalis cum corpore humano constituunt hominẽ, anima equi cum materia constituunt equũ, anima vegetatiua arboris

cum materia, in qua est, componit arborem. atque ita in reliquis iuxta quod plenius tractauimus, in libris de consideratione rerum naturalium, lib. primo qui inscribitur de materia & forma. Quãuis itaq; forma substantialis non sit in materia, tanquam pars eius, nõ tamen est in ea, vt in suo subiecto, eo quod sit pars eius compositi, quod simul cum ipsa componit, id est, quia simul cum ipsa aliquid vere vnũ constituit. ¶ Similiter dicunt & de differentiali natura respectu naturę genericę quam diuidit, & contrahit ad certam speciem componendam, iuxta modum in priori libro determinatum, in capite do differẽtia, Sic enim videtur se habere natura differentialis ad genericã naturam, quam contrahit in constituendo certam speciem cum ea, quẽadmodum se habet forma substantialis respectu materię in componẽdo cum ipsa vnum aliquod suppositum indiuiduale. Unde sicut non admittitur forma esse in materia, vt in subiecto: ita neque videtur cõcedendum, differentiam esse in genere, vt in subiecto. Posset tamen ei definitio dicta recte applicari, nisi adderetur supplementum illud Est enim natura differentialis in generica, quam diuidit & contrahit. non sicut pars aliqua ipsius: cum manifestum sit, genus non componi ex differentijs suis diuisiuis, sed tantum constitutiuis. Per prędictum autem supplementum fit, vt ei definitio non possit applicari: quoniam licet ipsa sit in generica natura non vt pars aliqua ipsius. est tamen in ea vt pars eius quod simul cum ipsa componit, nempe speciei quam simul cum ipsa constituit, facitq; cum ea quid vere vnũ nempe specificam naturam. Sic enim in libro pręcedenti declarauimus, naturam genericam, aduenìente natura differentiali, pariter cõstituere specificam naturam. ¶ Quod autem pro secunda definitionis parte subiungit Aristoteles, dicens, Impossibile est ipsum esse sine eo in quo est, partim facit ad declarandã naturã eius quod est in subiecto. quemadmodum Porphyrius in libro prędicabilium definiendo accidens, dixit semper ipsum in subiecto subsistere, id est, non posse separatim extra subiectum esse: sed debere quandiu est, suo subiecto inhęrere. Cui astipulatur, quod ait in Physicis Aristoteles. Accidentis esse, est inesse: quoniã videlicet sicut de natura substantię est per se subsistere, vt nõ possit alteri inhęrere: ita est de natura accidentis, in subiecto aliquo hęrere, atque ab illo portari & sustẽtari. Loquimur in his naturalibus, secundũ naturalẽ tantũ potentiam, secũdum quam philosophorũ dicta (quę rationi innituntur non fidei) semper sunt exponenda. Fide enim edocti scimus, authori naturę deo non esse impossibile omne verbum, vt possit ipse accidẽs quod in subiecto est, & de subiecto hoc transfundere idẽ numero in aliud, & prorsus extra omne subiectum constituere: quemadmodum de speciebus in Sacramento altaris apparentibus, credunt omnes qui pie & recte credunt, iuxta normã orthodoxę fidei. ¶ Partim quoque addita est particula illa, propter excludẽda ea quę secundũ alios modos essendi in, ab eo de quo nos loquimur diuersos, sunt in aliquo. Quẽadmodum videlicet vinũ in vase est, tãquam locatum in loco, & annulus est in manu, tanquã circundans & ornans eum, item res tẽporales sunt:

in tempore quo mensurantur. Hęc autem non sic sunt in illis, vt in subiectis. Neq; tamē per priorē particulā definitionis excludūtur, quoniam locatum est in loco non vt pars quędam eius, similiter annulus in digito, & res temporalis in tempore. Per posteriorem ergo hanc particulam excluduntur, quoniam possibile est illa esse sine his, in quibus ita sunt. Potest enim vinū esse sine vase, & annulus sine digito, & res potest esse elapso hoc tēpore in quo nūc est, & quo nunc mensuratur. ¶ Pro cuius rei pleniori intellectu, operępretiū fuerit hic paucis annotare octo modos essendi in aliquo quos in physicis suis Aristoteles enumerat. Primo enim dicitur aliquid esse in alio, vt pars integralis in toto integrali, vt manus hominis in hoīe. Secundo, totū est in omnibus suis partibus, id est, in eis & ex eis consistit, quia ex ipsis est compositū. Tertio, species dicitur esse in genere, id est, sub genere: quoniam genus sua communitate ambit, & intra se cōplectitur omnes suas species. Quarto genus est in suis speciebus, tanquā pars earū essentialis. Quinto, forma substantialis est in materia quā informat, & accidēs in subiecto suo. Inter quę tamen est hęc distinctio (vt supra latius declaratum est) quod forma facit cum materia quid vnum, non autem accidens cum subiecto. Sexto, dicitur effectus esse in causa, secundum virtutem & efficaciam, vt in sole dicitur esse calor. Septimo, dicitur esse rex in regno, secundum authoritatem, scilicet potestatem, & imperium. Octauo modo dicitur locatum esse in loco, vel contentum in continente. Hęc ita paucis dicta sufficiant, pro intellectu ante prędicamentalium diuisionum: quarum quę sit vtilitas, in subsequentibus fit manifestum.

Octo modi essendi in aliquo.

Caput. xiii.

¶ De prima regula anteprędicamentali.

Post tres definitiones & duas diuisiones, duas adhuc regulas ante prędicamentorū tractatum pręmittit, quarū prior hęc est.

Quando alterum de altero prædicatur vt de subiecto, quęcunq; de eo quod prædicatur dicuntur, omnia etiam de subiecto dicuntur.

Prima regula.

¶ Huius regulę sensus est, Quando alterum de altero prędicatur essentialiter, quicquid de illo prius prędicato essentialiter vt de subiecto potest prędicare, omne illud necessario debet etiā de primo subiecto prędicari. Vt, verbi gratia, animal de homine prędicatur essentialiter, dicendo, homo est animal. De animali vero prędicatur essentialiter corpus animatum, dicendo, animal est corpus animatum. Propter hoc & corpus animatum de homine primo subiecto, debet vere atque essentialiter prędicari, dicendo, homo est corpus animatum. ¶ Signanter dictum est, quando alterum de altero prędicatur essentialiter vt de subiecto, ac deinde iterum repetitur, essentialiter

dicendo, quęcunque de eo quod prędicatur essentialiter dicuntur: quoniam non nisi in prędicationibus essentialibus habet hęc regula certam veritatem. Id quod manifesto probatur exemplo, illic etiam ubi prior prędicatio essentialis erit. Homo nanque essentialiter de Ioāne prędicatur, dicēdo, Ioannes est hō. De hoīe vero prędicatur (sed accidentaliter non essentialiter) humilis, bonus, sanctus, dicendo, homo quidam est sanctus & iustus & bonus. Hinc tamen non licebit inferre, prędicata illa dici de primo subiecto, nempe Ioanne, qui forsitan totus est improbus. ¶ Quanquam autem hoc in loco regulam istam constituens Aristoteles non intenderit argumentationum formam describere, eo quod hic non sit argumentationum locus, sed tractatus vocum simplicium, certum est tamen, ex vigore & virtute eius validas sumi posse argumentationes, easq; sub duplici forma. Prius quidem (per propositiones, quas vocant neoterici de actu signato) ad hunc modum, Homo prędicatur de Ioanne, & animal prędicatur de homine, consequens igitur est, animal prędicari de Ioanne, ubique intellige essentialiter. Secundo (Per propositiones quas appellant de actu exercito) ad hunc modum, Ioannes est homo, & homo est animal, est igitur Ioannes animal. Intellige itē ubiq; essentialiter. Sic in accidentibus, humilitas est virtus, virtus est habitus, humilitas ergo est habitus. ¶ Non est tamen bona hęc argumentandi forma, sed ratione tantum materię valent istę iam factę argumentationes: quoniam videlicet ex materia conficiuntur certa, nempe prędicationum essentialium: ubi si alia acciperetur materia, prędicationum videlicet accidentalium, seruata penitus eadem argumentandi forma, male concluderet argumentatio, quemadmodum est supra exemplo monstratum. Si vero modum hunc argumentandi volumus ad bonam formā redigere, ita ut ipsa forma argumentādi valeat, quacunque accepta materia, utpote tam in accidentalibus quam in essentialibus prędicationibus, nihil opus est nisi secundam prędicationem universalem recipere: ita videlicet ut terminus ille, qui in prima prędicatione prędicatur de altero, in secūda ubi subiicitur, cū universali signo sumatur. Sic enim erit bona & infallibilis argumentandi formula ad hunc modum Ioannes est homo, omnis autem homo est animal, est ergo & Ioannes animal. In accidentalibus prędicationibus similiter argumentare, Ioannes est homo, omnis autē homo est iustus ac probus, est ergo Ioannes iustus ac probus. Hāc formā argumentandi nemo calumniari potest. Non enim poterit simili forma argumētandi retenta, ulla argumētatio mala inueniri, in qua possit antecedēs dari verū sine consequēte. Hoc etiam seruato, quod si prima propositio fuerit particularis, inferetur conclusio similis. Nam si prima propositione existēte particulari, conclusio inferretur universalis, mala esset forma, tametsi forsitan interdū ratione materię valeret argumentatio. Ut si quis ita argumentaretur, Animal est homo, & omnis homo est rationalis, igitur omne animal est rationale, nihil valet forma eiusmodi, quoniam manifestū est illic antecedens esse verū, cōsequente existente falso, quod in bona argu-

mentationem fieri non potest. Argumentationes autem quę ex vi huius regulę formãtur a disputantibus, interdum ab ipsa regula solent appellari argumentationes primę regulę ante prędicamentalis vel per primam regulam ante prędicamentalem factę, eo q̃ suam bonitatem summant ex vi huius regulę secundum debitum modum intellectę iuxta quod supra expositum est. Interdum appellantur argumentationes a primo ad vltimũ, eo q̃ in cõclusione tandem fiat reditus ad coniungendum vltimum prędicatum eius propositionis, quę in antecedente fuit vltima, cum subiecto primę propositionis. Fitq; frequenter hęc argumentatio multiplex, ita vt vna in se multas concludat. Exẽpli gratia, cũ ita argumentor, Joannes est hõ, homo est animal, animal est corpus animatum, corpus animatũ est corpus, corpus autem est substantia, igitur Joannes est substantia. Uel secundum formam bonam, hoc modo, Joannes est probus, omnis probus credit in Deum, omnis credens in Deum est gratus Deo, omnis gratus est filius regni, igitur Joannes est filius regni. Huiusmodi autem argumentationes proprie appellantur a primo ad vltimum, in quibus sic per multas prędicationes fit transitus. ¶ Omnes autem huiusmodi argumentationes, etiam quę sunt ex nõ essentialibus prędicationibus, ex vi regulę huius accipiunt robur, si ita intelligatur, Quęcunque de eo quod prędicatur dicuntur, vniuersaliter, si ita tantum ad dicuntur addatur vniuersaliter. Manifestum tamen est Aristotelem non esse loquutum nisi de essentialibus propositionibus, neq; a proposito hic tradere voluisse vllam argumentandi formam. Quare hęc tanquam a proposito nostro extranea, omittamus prosequi longius, inq; syllogismorum librum (vbi proprius est eorum locus) plenius tractandę argumentationum formę seruentur. Pauca tamen hę quę iam dicta sunt, hoc in loco breuiter tractare voluimus, ne multis disputatoribus celebrem hunc argumentandi modum, qui secundum regulam istam summitur, prorsus non attigisse videremur.

Caput. xiiii.

Secunda regula ante prędicamentalis.

Diuersorum generum, & non subalternatim positorum, diuersæ sunt specie & differentiæ. Subalternorum verô generum nihil prohibet easdem esse differentias.

Ubi primo notandum est, in exemplaribus vulgatis hanc regulam corrupte legi. Sic enim passim legitur. Diuersę sunt species & differentię, vt & coniunctio copulet inter species & differentiam, tanquam inter duos nominatiuos. Ex originali autem Gręco textu manifesta inuenitur corruptio. Sic enim habet, Tõ etero genon cę mi ypalilla tetagmenon, etera to di cę ę diaphorę. Hoc est, Diuersorum generum & non sibi inuicem positorum, diuersę specie, vel secundum speciem sunt etiam differentię. Atque ita legit Boeti- Secunda regula.

tam in Commentariis, q̃ in textu interposito. In textu enim sic legit, Deuersorum generum ⁊ non subalternatim positorum, diuersę sunt specie differentię. In Commentarijs autem sic legit, Diuersę sunt secundum speciem, ⁊c. Commentator quoque Auerrois, locum istum exponens sic ait, Genera diuersa ⁊ non subiecta vel ordinata, alia sub alijs, differentias habent diuersas in specie. Arbitror autem hanc corruptionem literę factam esse a non intelligentibus, quibus mirandum videbatur, dicere, differentias specie diuersas. Quanquã non est in hoc difficultas permagna. Dicimus enim differentias diuersas secundum speciem, quę species diuersas constituunt, sicut differentias diuersas genere, quę constituunt deuersa genera. ¶ Habet autem hęc regula Aristotelica duas partes. Prior est, Diuersorum generum, ⁊ non subalternatim positorũ, id est, quorum neutrum ponitur sub altero, esse etiam diuersas differẽtias. Id declarat exẽplo in animali ⁊ scientia, quę manifestum est genera esse non subalternatĩ posita, quoniam nec animal sub scientia, nec sub animali scientia ponitur. Habent autem differentias diuersas. Animal enim habet differẽtias: per quas diuiditur, gressibile, volatile, bipes, aquatile. Volatile namque sub animali, constituit auem, aquatile piscem, sicut reptile serpentem: ⁊ ob hoc quod sic sub eodem genere diuersas species constituunt, recte dicuntur differentię secundum speciem diuersę. Scientia vero non illas easdem habet differentias. Non enim scientia diuiditur in gressibilem, volatilem, aquatilem, aut bipedẽ, sed potius in sermocinalem, rationalem, ⁊ moralem. Ita in eodem prędicamento substantię corpus animatum, ⁊ corpus inanimatum, duo genera non subalternatim posita habent diuersas differentias, per quas diuiduntur. Nam corpus animatum diuiditur per sensibile ⁊ insensibile, corpus inanimatum vero, diuiditur in cęleste ⁊ elementare.

¶ Loquitur autem Aristoteles, in hac parte priori d̃ differentijs diuisiuis, id quod ex ipsius declaratione exẽplari facile patet. Loquẽdo enim de differentijs constitutiuis superioribus, sic generum etiã non subalternatim positorum eędem possent assignari differentię. vt verbi gratia, animal ⁊ plãta genera sunt nõ subalternatim posita: quoniam nec animal sub planta ponitur, nec econtrario plãta sub animali, sed sub eodem genere corpus animatũ ex ęquo sunt posita, vt species proximę. Habent tamen easdem aliquas differentias superiores cõstitutiuas, sibi cõmunes, nempe animatum ⁊ corporeum. ¶ Verumtamen de constitutiuis proprijs generum differẽtijs loquendo, id foret impossibile, vt duo genera non subalternata, easdem haberent differentias, vel eandem differentiam, constituentem vtrumque genus. Proximas enim ⁊ proprias generum diuersorum constitutiuas differentias, oportet diuersas esse, quemadmodum in prędicabilium libro plenissime tractatum est. ¶ Secunda pars regulę ita habet, Subalternorum generum nihil prohibet easdem esse differentias. Ubi primo notandum, genera subalterna hic accipi pro subalternatim positis. Simpliciter enim genera subalterna, vt in libro prędicabilium definita sunt, differunt a subalternatim positis

cum possint assignari subalterna genera, quę non sunt subalternatim posita. Ut verbi gratia, animal & planta sunt genera subalterna, quemadmodum ex prędicabilibus liquet, non sunt tamē hic subalternatim posita, quoniam neutrum ponitur sub altero. Horum ergo generum subalternorum siue subalternatim positorum, nihil prohibet (inquit Aristoteles) easdem esse differentias. ¶ Quod ita declarat, quoniam superiora semper de inferioribus prędicantur: atque ob hoc, quęcunque erunt differentię prędicati, easdem & inferiori subiecto conuenire secundum prędicationem, iuxta priorem regulam. Quando alterum de altero &c. In qua parte, dum ita loquitur. Nihil prohibet easdem esse differentias, indicat, non omnes necessario differentias easdem esse eorum quę subalternata sunt, posse tamē aliquas esse easdē. Utque ita sese res habet. Nam auis & animal genera sunt subalterna, quę aliquas differentias habent easdem, sed non omnes. Gressibile namque, volatile, aequatile, reptibile, bipes, omnes sunt differentię animalis, auis autem tantum vna harum differentia, nempe volatile quę auis est constitutiua. ¶ Non igitur omnes differentię in his subalternatis generibus sunt eędem. Aliquę tamen eędem inueniuntur. Primū illa quę est animalis diuisiua & auis cōstitutiua, est vtriusque differentia, licet diuerso modo illius nempe diuisiua, & huius constitutiua. Deinde, ea quę immediate constituit animal, nempe sensibile, aliquo modo vtriusque est differentia. Sicut enim est animalis immediate constitutiua, sic auis, quod sub animali ponitur, est constitutiua mediate: & de aue essentialiter vtique prędicatur, sicut de animali. Ita & de omnibus alijs differentijs superioribus dicendum. Nulla enim differentia constitutiua, neque mediata, neq; immediata alicui generi conuenit, quę non simul omnibus etiam conueniat, sub ipso positis. ¶ Ac de his quidem cōstitutiuis differentijs intelligere se posteriorem istam partem monstrat Aristoteles, cum declarando subiungit. Superiora de inferioribus prędicantur. Quare quęcunque fuerint prędicati differentię, erunt eędem & subiecti. In diuisiuis nanq; id manifestam haberet falsitatem. Quamuis enim animal de homine prędicatur vt de subiecto non tamen quęcunq; sunt diuisiuę prędicati, eędem erunt & subiecti. Generum itaque subalternatim positorum, nihil prohibet esse easdem differentias, sed non necesse est omnes esse easdem. His ergo de antepredicamentis vtcunq; tractatis, & qualicunque claritate elucidatis, ad pręcipuum prędicamentorum tractatū alacres transeamus, illo prius admonito, ne istā nostram inante prędicamentis hisce qualemcunque prolixitatē, quasi superuacaneam, aut superstitiosam lector morosus ęgre accipiat. Solet enim nimia in fundamentalibus initijs quęsita breuitas, ita se vlcisci, vt postmodum in pręcipuo negocio, vel obscuritate confundat omnia, vel moram duplo tardiorem adducat. Ac proinde hanc nostram in initijs, inq; pręparamētis pręcipui negocij morā, aliquāto longiorē, in subsequētibus magno lucro nobis futurā speramus.

Caput. xv.

¶ De enumeratione decem prędicamentorum.

Incipiens Aristoteles de prædicamentis tractatum primo diuisionē cōstituit, in qua prædicamēta singula enumerat. Ea est hęc.

Diuisio prędicamentalis

Eorum quę sec undum nullam complexionem dicuntur, singulum aut substantiam significat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut adaliquid, aut vbi, aut quando, aut situm esse, aut habere, aut ~~facere~~ agere, aut pati.

¶ Ubi dum pro diuiso constituit ea quę dicuntur, manifeste indicat de vocibus se loqui, sicut et in eo quod sequitur, singulum aut substātiam significat &c. Uocabuli quippe est significare, sicut rei est significari. Dat quoque exempla singulorum membrorum per ordinem. Est autem substantia (inquit) vt homo, equus: quantitas, vt bicubitū tricubitum: qualitas, vt album grammaticum: ad aliquid, vt duplum, dimidium: vbi, vt in foro esse, vel in lycio: quando, vt heri fuisse: aut cras fore: situm esse, vt sedere, iacere: habere, vt calciatum esse, vel armatum: facere, vt secare, vrere: pati, vt secari, vri. ¶ Enumerātur autem hęc decem genera, maxime quantum ad accidentia, vel in concreto, vel in abstracto. In abstracto sic, quantitas, qualitas, adaliquid siue relatio, vbi siue in loco existentia, quando siue in tempore existētia, situs, habitus, actio, passio. In concreto vero sic enumerantur. Quantum, quale, ad aliquid siue relatiuum, vbi siue in loco esse, quādo siue in tempore esse, situm esse, habere, agere, pati. Est autem hęc diuisio siue potius enumeratio decem primorum generum sufficiens, quoniam neque superfluit neq; deficit vllum membrum. Nec enim aliud genus poterit inueniri, quod his decē primis adijciatur, neque ex enumeratis aliquod recte subtrahi poterit.

Lectio præsens diuiditur in partem textualem, atq; declaratiuam, in partem argumentatiuam & argumentorum solutiuam.

¶ Prima pars patet in textu & commento authoris exceptis paucis.

Primum notādum.

¶ Quorum primum est, quòd ly dicuntur, potest capi dupliciter. Dicuntur, id est, subiciuntur, vel prędicantur formaliter, sic videtur competere vocibus & terminis significatiuis alio modo potest capi. Dicuntur, id est, intelliguntur vel cōcipiūtur ab intellectu, in coordinatione prædicamentali, vel in esse propositionali & sic potest competere tam terminis quam rebus, significatis, tenendo quòd res ponuntur in prędicamento tanquàm signata, & termini tanquàm signa rerum significatarum.

Secundum quod notandum est, quódly significat substantiam &c. potest capi dupliciter: Vno modo pro actu signato (vt patet in litera & sic utdicit auctor, quód significare est vocabuli, & significari rei) alio modo potest capi pro actu exercito ly significat & sic significat substantia in sensus est, est substantia, et est quantitas, et est qualitas &c. ij notand.

Tertiũ quod notandũ est circa materiam predicamentorũ, q̃ sufficientia eorum sic habetur (vt ait Franciscus de mayronis doctor illuminatus) Omne ens finitum vel est substantia, vel accidens: & sic habemus primum prædicamentum, quod est substantia. Secundo omne accidens vel est absolutum, vel respectiuum: si accidens illud est absolutum, est quantitas, vel qualitas, & sic habemus tria prędicamenta. Si verò est respectiuum, vel est intrinsecum adueniens, vel extrinsecum adueniens, Intrinsecum adueniens, est quod necessarió ponitur positis extremis. vt Paternitas, & similitudo, & sic dicitur ad aliquid, vel relatio & sic habetur quartum prædicamentum si vero sit extrinsecum adueniens est id quod non necessariô ponitur, positis extremis: vt. Actio & Passio. Sic vel dicit caussalitatem & sic habetur actio, vel dicit passionem & sic habetur passio: & sic habentur sex prædicamenta. Vel dicit mensuram permanentem & sic habetur vbi, quod est relatio rei locatę ad locum & è contra, Vel dicit mensuram successiuam & sic habetur, quando quod est relatio rei temporalis ad ipsum tempus, & è contra. Vel dicit ordinem partium ad partes loci, & sic habetur situs vel Positio. Vel dicit ordinem totius & sic habetur habitus. iij. notãdũ.

Pars argumentatiua.

Primũ. ar.

Arguitur sic. Nullũ est diuisum illius diuisionis, ergo diuisio prædicamentorum est insufficiens, Sequela est bona, & antecedens probo. Quia si aliquid esset, vel esset substantia, vel accidens non substantia, nec accidens, ergo nullum: cum omne quod est sit substãtia, vel accidens. Primam partem probo quia si diuisum esset substantia, omnia prædicamenta essent

substantia. Secunda patet similiter, quia si diuisum esset accidens, omnia prædicamenta essent accidentia & si daretur tertium scilicet Eus, iam non sunt decem, sed vndecim prædicamenta.

ij. argumẽ. ¶ Secundo sic. Aut est per se notum decem esse prædicamenta, aut demonstrabile: non primum, quia non cognoscitur cognitis terminis: non secundum, quia hæc propositio non est necessaria, Decem sunt prædicamenta: ergo gratis asserit decem esse prædicamenta.

iij. argumẽ ¶ Tertio sic. Aut diuisio ista datur de primis intentionibus, vel de secundis. Si de primis non est logicæ speculationis. Si de secundis, nulla talis est substantia vel accidens. Si de ipsis copulatim sumptis, nullum ens per accidens est diuisum alicuius bonæ diuisionis.

Pars responsiua.

Ad pri. ar. ¶ Ad primum, quando arguis, Nullum est diuisum &c. Nego antecedens. Et ad probationem dico, quod neq; est substantia de se, sed bene permissiué, nec etiam est accidens de per se, sed bene permissiue, sic ut superius est in suis inferioribus permissiué, & potẽtialiter. Et ad tertium nego sequelam, Quod si sit ens sint vndecim prædicamenta: quia diuisum includitur essentialiter in membris diuidentibus, vel saltem realiter vt pote, si animal diuidatur in hominẽ & equum non est dabile vnum animal distinctum ab homine & equo. Et si quæratur quod est diuisum illius diuisionis, potest respondcri dupliciter. Primo quod illa magis dicitur enumeratio, quam diuisio, & sic nõ est necesse asignari diuisum, & hoc videtur habere Titelmanus in commento suo. Secundo potest responderi, quòd diuisum illius diuisionis circumloquitur nobis per hoc complexum, est dicibile incomplexum finitũ, & limitatũ.

Ad. ij. ref. ¶ Ad secundum respondetur. Quod non est per se notum ex proprijs terminis decem esse prædicamenta, neq; videtur q; hæc propositio, Decem sunt prędicamenta, sit demonstrabilis:

sed siue sit demonstrabilis, siue nõ, satis est q̄ sit principiũ sup positionis positum à philosopho, & amplexatũ ab omnib⁹.

¶ Ad tertium respondetur. Quod diuisio illa proprie est de pri mis intentionibus, & sic de per se consideratur ab artifice rea li, & à logico de peraccidens. Ad.iij.

¶ Item potest dari ista diuisio de secundis intẽtionibus, & sic consideratur à logico de perse.

¶ Et ad illud. Nulla talis secunda intentio est substantia nec accidens, concedo essentialiter, & realiter, sed bene secũda in tentio est substantia, vel accidens fundamentaliter vel deno minatiuè, eóq̄ secundæ intentiones prædicantur de primis: vt Homo est species, animal est genus, & è contra, denomina tiuè, & accidentaliter, & etiam fundãtur, & terminãtur in pri mis intentionibus.

¶ Dubia.

¶ Sed dubitatur, an absolutũ q̄ est commune substantiæ, quã titati, & qualitati sit genus.

¶ Dubitatur secundo, an respectiuum q̄ est commune septem prædicamentis ceteris, sit genus.

¶ Ad hæc dubia dicitur breuiter, q̄ non sunt genera ratio est, quia omne genus est trahibile ad suas species per differẽtias formales per modos intrinsecos: sed absolutum, respectiuum. & etiam ens non contrahatur, nisi per modos intrinsecos, & modus intrinsecus, non dicit realitatem distinctam ab illo cu ius est modus.

Caput. xvj.
De substantia in speciali.

Inter omnia prędicamenta, merito primum obtinet locum sub stantia: quoniam cętera omnia sunt accidentium prędicamenta. Substantia autem, accidente est dignior, vtpote quę ipsum debeat substentare, & quia accidentia omnia propter substantias sunt, ad eas videlicet ornandas atque perficiendas. Inter substantias autem di stinguit Aristoteles, quasdam vocans primas substantias alias autẽ secundas. Primas substantias (vt figuraliter dicamus) appellat sub stantias indiuiduas siue singulares, id est, indiuidua prędicamẽti sub stantię, Joannem, Petrum, hunc equum, illum asinum. Secundas au tem substantias appellat, substantias communes siue vniuersales, id est, genera & species prędicamenti sustantię: vt homo, equus, asinus, animal, & huiusmodi, sunt secundę substantię.

¶ Definitio autem siue descriptio, quam Aristoteles assignat primę substantię, hęc est.

Definitio primę substantię.

Substantia quæ propriè, principaliter, & maximè dicitur, est, quæ neq; de subiecto dicitur, neque in subiecto est.

¶ Quę definitio siue descriptio, duas in se includit. Prior in periphrasi, quę ponitur a parte definiti, innuitur, nempe ista. Prima substantia est, quę proprie, principaliter, ⁊ maxime substantia dicitur. Posterior hęc est, Prima substantia est, quę neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est. In priore explicatur ratio nominis, quare videlicet substantia singularis dicatur prima substantia. In posteriore ex iis quę prius dicta sunt notificatur, quę appellandę sunt primę substantię. Quantum itaque ad priorem illam descriptionem, sciendum est, tres illas particulas, proprie, principaliter, ⁊ maxime, accipi posse pro eodem, vt ad maiorem rei declarationem tria illa vocabula adinuicem sic dicantur coniuncta. Nam id frequenter iis qui aliquid intellectu difficile explicare laborant, euenire solet, vt ita per coniunctionem copulatiuam plura vocabula adinuicem cōnectat, vt quod vno minus sufficienter, aut non satis lucide potest explicari, saltem per plura dicatur lucidius. Secundum hanc ergo sententiam proprie substare, aut substantiā esse, nihil est aliud, quā substare principaliter, ⁊ hoc iterum nihil est aliud quam substare maxime. Quare autem primę substantię dicātur maxime substare, aut esse maxime substantię ratio est, quia plus omnibus sunt subiectę, ⁊ plus omnibus substant. Quę autem magis sunt subiectę aut amplius substant, merito magis substantię dicuntur: ⁊ quę maxime sunt subiectę, merito maxime substantię dicuntur. Quod autem primę substantię plus omnibus substāt aut subiectę sunt, ita declaratur: quoniam omnia vel in ipsis sunt, vel de ipsis dicuntur. Omnia quippe accidentia tam communia, quam singularia, singularibus substantiis insunt, vt in subiectis. Omnes vero substantię vniuersales, de primis substātiis essentialiter ⁊ subiectis prędicantur. Sunt igitur primę substantię, ⁊ subiectę omnibus accidentibus accidentaliter, ⁊ subiectę omnibus secundis substantiis essentialiter. De accidentibus singularibus id est manifestū ad oculum: quoniam omnis calor est in aliquo corpore, omnis item magnitudo omnis qualitas, in aliqua singulari debet esse substantia, vt in subiecto. De accidentibus vniuersalibus, ex consequenti idem patet: quoniam accidentia vniuersalia sunt in singularibus accidentibus essentialiter. Sicut ergo accidentia singularia sunt in substantiis primis accidentaliter, ita ⁊ accidentia communia, quę non possunt non esse vbi sunt singularia. De substantiis quoque vniuersalibus manifestum est, quomodo eis sunt primę essentialiter subiectę: quoniam de primis substantiis secundę prędicantur essentialiter, vt ex libro prędicabilium notum relinquitur. Merito

ergo

ergo substantię singulares peculiariter veniūt appellandę primę substantię, eo quod maxime substēt, & maxime subiectę sint. ¶ Seuerinus autem Boetius, tres illas suprapositas particulas, proprie principaliter, & maxime, subtili consideratione distinguit. Proprie nanque substantias ait dici substantias singulares, eo quod sensui primum subiectę sint, & proprie atque immediate cognoscantur per sensum: ac deinde ex ipsis pręcognitis acquiritur cognitio vniuersalium substantiarum. Quemadmodum videlicet sensui primum proponitur & offertur Joannes, Petrus, Paulus, hic equus, ille equus ac, deinde ex his elicitur cognitio vniuersalis, hominis & equi: ex quibus deinde elicitur cognitio animalis, atque ita semper ascendendo in superiora, de quo modo cognoscendi per abstractionem vniuersalia ex singularibus, suo loco plene determinauimus, in libris de cōsideratione rerum naturalium, lib. vndecimo, de intellectu, cap. vndecimo, & duodecimo. ¶ Principaliter vero substantias appellari dicit, eo qđ omne accidens prius in sit substantię singulari, quam vniuersali, vt quasi secundo loco in vniuersale veniat. Exempli gratia, color quilibet primum & immediate est in hoc aut illo homine, & secundario est in homine. Sic & per prędicationem, prius dicitur hic homo esse albus aut doctus, ac posterius, quasi ex consequenti, dicitur homo esse albus aut doctus, nimirū quia hic vel iste homo est albus aut doctus. Iccirco enim de substantia vniuersali dicitur accidēs quia de prima aliqua secūdā illā icludēte dicitur. Recte igitur (inquit) quod prius subiectum est, principaliter substātia dicitur. ¶ Maxime antē substantiā appellari dicit, eadē ratione quā supra nos assignauimus: nimirū quia maxime subiecta est reb⁹ alijs quoniā omnia aut de primis substantijs dicuntur, aut in ipsis sunt, vt iam ante declarauimus.



Caput. xvij.

¶ De secundis substantijs.

SEcundas substantias ita definit Aristoteles.

Secundæ substantię dicūtur species in quibus illæ quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt: hæ quidem & harum specierum genera. Definitio secundarū substātiarū

¶ Cuius definitionis hic est sensus: Secundę substantię dicuntur species illę, in quibus insunt. id est, sub quibus cōtinentur essentialiter illę quę dicūtur principaliter substantię, id est, substantię singulares: & non solum species earum immediatę. sed etiam genera illarum specierum. Ut homo & equus sunt secundę substantię: quoniam sunt species in quibus sunt, & sub quibus continentur essentialiter primę substantię. In homine enim vel sub homine, essentialiter cōtinentur hic homo, ille homo, & cętera omnia indiuidua hominis. Sic in equo vel sub equo sunt, iste equus, ille equus & cętera omnia equi singula-

ria. Capitur autem hic, esse in, secundū eū modū, quo inferius esse dicitur in suo superiori: vtputa indiuiduum in sua specie, ⁊ species in suo genere. Ne vero putem⁹ solas species specialissimas proximas indiuiduis esse secundas substantias, adiungit: hę quidem, ⁊ harū specierum genera. Qua adiectione indicat, omnes substantias vniuersales dici secundas substantias: quoniam omnes substantię vniuersales quę non sunt species specialissimę, sunt genera aliquarum specierū, quas sub se, siue in se comprehendunt. ¶ Quare autem istę dicantur secundę substantię, facile quiuis potest intelligere, contraria nimirū ratione ad eam quę de primis substantijs est reddita. Secundę enim substantię merito dici debent, quibus alię sunt priores substātię. Dici quoque possunt substantię minus proprie, minus principaliter, ⁊ minus substantię, comparatione ad primas substantias, iuxta suprapositam Boetij declarationem. Minus proprie quidē, eo quod posterius cognitioni hominis subijciantur, vtpote quarum cognitio non nisi ex primis substantijs possit elici. Minus principaliter vero quoniam accidentia eis posterius insunt, prius autem indiuiduis. Simpliciter autem dicuntur minus substantię, quoniam non tantum subiectę sunt, quantum primę. Primę siquidem substantię omnibus subijciuntur quibus secundę fuerint subiectę, ⁊ pręterea ipsis subijciuntur secundis: propter quod nemo dubitat primas esse magis ⁊ maxime subiectas.

Ex dictis infer(tur) corolari(um) s. q(uod) non existentibus primis substantiis impossibile est aliquid aliorum esse

Caput. xviij.

¶ Ponuntur quędam regulę ad cognoscendum, inter secundas substantias, quę sint magis substantię.

Quanquam autem genera omnia ⁊ species prędicamenti substantię dicantur communi nomine secundę substantię, sunt tamen inter eas alię alijs magis substantię, quędam autē ęqualiter substantię dicuntur. Pro cuius rei intellectu, notandę sunt duę regulę, quas ponit ⁊ declarat Aristoteles. Prior hęc est.

Regula de secundis substantijs

Secundarum substantiarum, species magis est substantia quam genus.

¶ Cuius sensus est, inter secundas substātias magis proprie, magis principaliter, ⁊ simpliciter, magis substantias dici species, quam ipsarum genera. Ut homo ⁊ equus, magis sunt substantię, quam animal item pomus ⁊ pirus, magis sunt substantię, quam arbor aut planta. ¶ Declaratur hęc regula dupliciter. Primo sic, Illud quod est magis propinquū primę substantię, merito debet dici magis substantia, quā quod est magis elōgatū ab ea: quoniā in vnoquoque genere, id quod magis appropinquat maxime tali, est magis tale, quam id quod longius ab est. Species autē viciniores sunt primis substātijs, quā ipsarū genera. Recte ergo magis substantię sunt dicendę. ¶ Secundo idē declaratur. Primę substantię dicuntur maxime substātię, eo quod ma

sime sint subiectę,nempe omnibus accidentibus,& omnibus secũdis substantijs.Cum ergo species sint magis subiectę quam sua genera, vtpote quia subiectę sint omnibus quibus genera subijciuntur,ac prę terea ipsis generibus,consequens est,species dici magis substantias quam sua genera. Sicut enim se habent primę substantie ad secundas substãtias,ita species ad omnia genera suprapofita. ¶Quomodo autem supra ex Boetio declaratum est de prima substantia,dici eã proprie substantia,& principaliter,& maxime:sic per ordinẽ distincte tria ista accõmodando speciei in cõparatione ad genus declarari potest, speciẽ magis proprie,magis principaliter,& simpliciter magis substãtur dici,quã suũ genus.Magis proprie,quoniã propinquius obijcitur sensui species quã gen⁹,id est,vicinior est cognitio speciei cognitioni primę substantię ex qua immediate elicitur,quã cognitio generis quę ex speciebus diuersis elicitur.Magis item principaliter,quoniam prius accidẽs venit in speciẽ,quã in genus. Sicut enim prius dicimus hunc hominẽ esse doctũ,ac posterius hominẽ doctum esse, ita prius dicimus hominem esse doctum quam animal.Simpliciter quoq; magis substantia dicitur species quam genus,quoniam omnibus substat species quibus genus,ac pręterea ipsi generi: qua parte genus in substãdo excedit. ¶In predicta autẽ regula,cum de specie loquimur,non solum species specialissimas intelligimus,sed generaliter omnes species subijcibiles,in cõparatione ad sua genera. Quẽadmodum enim homo est magis substantia quam animal, sic animal est magis substantia qua corpus animatum,corpus animatũ vero est magis substantia quam corpus:& genus substantia,cum sit generalissimum,est minus substantia quam corpus. Quemadmodũ enim infima predicamenti substantię,nempe indiuidua dicuntur primę substantię:ita per oppositum,supremum genus dici debet vltima substãtia,quoniam minime subiacet aut substat.Nam solis subiacet accidẽtibus,nulli autem substantię:cętera omnia genera & species & indiuidua sub ipso posita,subiecta sunt etiam substantijs,quędam quidem omnibus vniuersalibus, vt indiuidua,quędam pluribus,vt species, quędam paucioribus,vt superiora & generalissimo viciniora genera.Sicut enim secundę substantię,quanto viciniores sunt primę,tanto dicuntur magis substantię,ita quanto viciniores sunt generalissimo,tanto sunt minus substantię, tanto minus proprie & minus principaliter substantię dicuntur.

¶Posterior regula quam ponit Aristoteles de secundis substantijs hęc est.

Specierum quæ non sunt genera,vna non est magis subsiãtia quâm alia. Altera regula.

¶Hoc est species specialissimę quę solũ species sunt & non etiã genera,sunt ęqualiter substãtię,nõ alia magis alia.Cui⁹ ratio est,quonia illarum alia non est magis subiecta quam alia , neq; illarum alia est ppinquior primę substãtię,quã alia.Omnes enim species specialissimę sunt ęque propinquę suis indiuiduis:proximę nimirum & im-

mediatę. Quomodo ergo primarum substantiarum nulla dicitur magis sustantia quam altera: sed omnes simpliciter primę dicũtur, quoniam ęque omnes subiectę sunt omnibus quę de ipsis dicuntur, vel quę in ipsis sunt, ita species earum proximę ęqualiter omnes substãtię sunt dicendę. Secus vero dicendũ est, de speciebus illis quę sunt etiam genera, siue de speciebus subalternis. Illarum namque alia potest esse alia magis substantia vel minus. Ut animal est magis substantia, quam corpus, & corpus magis quam substantia.

¶ Hæc lectio diuiditur in partem textualem, atq; declaratiuam, argumentatiuam, & argumentorum solutiuã.

¶ Prima in duas: videlicet, in partem diuisiuam & diffinitiuam.

¶ Diuisiua est hæc. Substãtia alia vniuersalis: vt homo, alia particularis, vt Sortes.

¶ Secunda cõtinet duas diffinitiones, (vt patet in textu) quę satis luculenter expositæ sunt ab authore.

¶ Tertia lectio diuitur in partem diffinitiuam & regulatiuam.

¶ Pars diffinitiua exponit quid sint secundæ substantiæ.

¶ Pars regulatiua declarat, quæ substantiæ sunt æqualiter substantiæ, & quæ non ęqualiter sunt substantiæ. Sed quia hæc clarissimè exponuntur ab authore cuius vestigia sequimur, aggrediamur partem argumentatiuam.

Pri. argu. ¶ Et primo arguitur sic. Superius est prius suo inferiori, sed secunda substantia est superior ad primam: ergo secunda substantia est prima, & similiter genus: ergo indiuiduum, vel indiuidua respectu suorum superiorum debent dici secũdæ substantiæ, non primæ.

ij. argumẽ. ¶ Secundo sic. Quod conuenit propriè conuenit soli: sed esse substantiam non conuenit solis indiuiduis, ergo indiuidua non sunt primæ substantiæ. Antecedens patet: quia propriũ conuenit soli: sed minorem probo quia tam speciebus, quàm generibus prædicamenti substantiæ conuenit esse substantia ergo non solum primę substantię.

iij. argumẽ ¶ Tertio mensura est prior mensurato, sed genus substantiæ est mensura omnium quæ ponuntur in prædicamento: ergo genus substantiæ est prius primis substantijs.

¶Quarto sic. Illud est magis tale quod est tale per essentiam, quàm illud quod est per participationem tale. Patet sed participatione vnius speciei plures homines sunt vnus homo (sicut ait philosophus): ergo à simili participatione substantiæ plures substantiæ sunt vna substantia: ergo superior est magis substantia, quàm inferius nam ab ea dicitur substantia. iiij.argu.

¶Quinto sic. Substantia non est genus ad substantias materiales, & immateriales, ergo frustra ponitur: substantia est genus generalissimum. Antecedens probo, quia (vt ait philosophus quarto methaphysicæ) corruptibile & incorruptibile differunt plusquam genere. v.argumẽ.

¶Sexto arguitur Sic. Aliqua substantia est, quæ neq; est prima, neq; secunda ergo diuisio non euacuat diuisum. Sequela est bona, & antecedens probo Deus est substantia, & neq; est prima, neq; secunda, (vt notum est) item forma substantiæ, materia substãtiæ, differentię substantiales sũt substantiæ, vt, corporeum, & incorporeum, & tamen non sunt primę neq; secũdæ: ergo intentum. Non primæ quia non sunt indiuidua. Nõ secundæ, quia nec species neq; genera. vj.argumẽ.

¶Confirmatur, Quia, vel diuiditur substãtia generalissima vel non generalissima. Non secundum: (vt notum est) neq; primum, quia substantia, et generalissima est membrum contentum sub substantia communi. Confir.

Pars responsiua.

¶Ad primum respondetur, quod superiora sunt priora secundum naturam sicut pars est prior suo toto in essendo, sed inferiora sunt priora in substando, quia ratio indiuidui, primo conuenit Sorti quã homini & animali: vel dicatur quod proprie non dicit prioritatem, sed conditionem, vel proprietatem aliquam, vt patet in textu. Ad p:i. ar.

¶Ad secundum dicitur, quod esse suppositum, vel substare ac- Ad.ij. arg.

cidentibus, ita cōuenit indiuiduis quod nullo modo superiori, nisi supponitetur in primis substantiis, vel dicendum, quód talis proprietas per prius conuenit indiuiduis, & per posterius suis vniuersalibus.

Ad.iij.arg ¶ Ad tertium dicitur, quód ipsum genus substantiæ est principalius à substando, secundum rationem diffinitiuam substantiæ, quæ est genus, non prout substantia accipitur pro supposito.

Ad.iiij.ar. ¶ Ad quartum dico, quód verum est: tamen hic dicitur magis substantia vel minus substantia vna quam altera suo modo propter rationes positas in commento.

Ad.v.arg. ¶ Ad quintū nego antecedens. Et ad probationē dico, quod duplex est genus vt in proposito sufficit: videlicet, Physicum & logicum. Physicum est aliqua qualitas sensibilis, receptibilis in pluribus subiectis, vt pote color, & sic omnia receptiua coloris, sunt eiusdem generis physici, vt planta, lapis, homo, equus, &c. Et sic, corruptibile, & in corrupribile differūt plus quā genere, scilicet physico. Quia incorruptibile, vt Deus, anima rationalis, angelus, non sunt susceptibiles alicuius coloris. Angelus, & homo differunt in genere substantiæ: hoc est, in genere methaphysico vel logico licet angelus sit incorruptibilis & homo corruptibilis.

Duplex genus. Genº physicū quid.

Ad.vj.arg ¶ Ad sextum concedo quód aliqua est substantia non prædicamentalis putā deus, quę nec est prima, nec secunda substantia prædicamentalis nō scilicet quæ, ponitur directe in prædicamento vel nec indirecte.

Deus non est prima nec secūda substantia.

Ad confir. ¶ Ad confirmationem dico, quod incorporeum potest capi dupliciter videlicet pro differentia substantiæ, & sic nec est prima, nec secunda, substantia. Secundo, potest capi vt est prædicamentum, & sic est secunda substantia cūm sic genus. Similiter materia, & forma, & differentię substantiæ, nec sunt primæ, nec secundę substantiæ cum non ponātur directæ in prædicamento.

Incorporeū capitur dupliciter

Ad confir. ¶ Ad vltimam cōfirmationem dico, quod nec diuiditur substantia non generalissima, nec generalissima, cum sit membrū illius diuisionis: sed diuiditur substantia in vniuersum primæ vel secundæ intentionis.

Sequuntur quædam dubia circa materiã substãtię prædicamentalis.

Primum. An diuisio substantiæ in primam, & secũdam detur de terminis vel de rebus? Primum

Secundum. An genus physicum sit genus logicum, & si substantia sit per se corporea, vel incorporea? Secũdum.

Tertium. Vtrum substantia sit terminus primæ intentionis, vel secundæ intentionis? Tertium.

Quartum. Cur diffinitur prima substantia in numero singulari, & secunda in numero plurali? Quartum.

Quintum. An deus vel aliquid dictum de Deo ponatur in prædicamento? Quintum

Ad primum dicitur à quibusdam, quód illa diuisio datur de rebus, & non de terminis. Secundo dicitur quód actus signatus summitur pro actu exercito, id est, quando dicitur eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur, aut significat substantiam id est, est substantia. Significat quantitatem, id est, est quantitas. Ex quo infertur quód res secundũ esse cognitum earum ponuntur primo in prædicamento, & termini secundario tanquam signa. Quia nullus terminus ponitur in prædicamento cuius significatum nõ ponitur in prędicamẽto vt, ly Chimera. Item isti termini Quantitas, Qualitas, Relatio, non ponuntur in prædicamẽto substantię, quia significata eorum non sunt in prædicamento substantiæ. Ad pri. du.

Ad secundum dico. Quód genus physicum est genus logicum: vt color sed non oportet quód omne genus logicum sit physicum: patet de substantia spirituali finita, sub qua continetur angelus, & anima rationalis quę nõ recipiunt transmutationes physicas. Ad.ij.dub. Gen° physi cũ est gen° logicũ non contra.

Ad tertium dico. Quód substantia potest esse terminus primæ intentionis, & sic significat aliquam naturã cõmunicabilẽ oĩbus finitis substãtijs, in recta linea prędicamẽtali positis, vt sunt, corpus, homo, Sortes, & intermedia. Est etiam dicibilis de differentijs, et passionibus substantiarum: vt, Rationale est substantia. Sensibile est substantia. Et sic illa diuisio Ad.iij.du.

substantiæ in primam & secundam est quasi diuisio subiecti in accidentia. Accidit nempe substantiæ quod sit prima, vel secunda.

Prima substantia dicitur tripliciter. ¶ Sed pro declaratione huius termini prima substantia nota, quod tripliciter dicitur aliqua substantia prima.

¶ Primo, quia primo existit, vel quia existentia est de essentia eius, & sic solus deus est prima substantia.

¶ Secun. dicitur prima substãtia, ab eo q̃ non cõuertitur cõsequẽtia subsistẽdi ẽcõtra, et sic genera, species, sunt primæ substantiæ. Non enim sequitur, corpus animatũ est, ergo animal est licet bene ẽ contra animal est, ergo corpus animatum est.

¶ Tertio dicitur prima substantia, quia primo subijcitur accidentibus, & sic sola indiuidua dicuntur primæ substantię potest etiam dici substantia terminus secũdę intentionis, et sic significat secundam intentionem de significato formali attributo substantiæ cõmuni, & generalissimæ vel alicui contento sub substãtia & tunc illa diuisio substantiæ in primã & secũdam, est diuisio generis in suas species: & hæ prædicationes sunt accidentales, et denominatiuæ, vt Petrus est prima substantia, homo est secunda: in quibus secunda intentio concretiuè designata prædicatur de prima.

Ad. iiij. dubium. ¶ Ad quartum dico, quod Philosophus diffiniuit secundas substãtias in numero plurali, ad de notandum diuersitatem illarũ, quia alię sũt species specialissimæ, aliæ subalternę, aliæ generalissimæ. Sed diffiniuit primam substãtiam in numero singulari, quia omnis prima substantia est indiuiduum.

Ad. v. dub. ¶ Ad quintũ dico, q̃ neq; Deus est in prędicamento, neq; aliquid dictũ de Deo ponitur in prædicamento: non Deus, quia est infinitus, & transcedens limites prædicamentorum; non dictum de Deo propter eãdem rationem vel quia omnia quæ sunt in Deo sunt idem realiter cum eo. Et si quis arguat, sapiẽtia, bonitas dicuntur de Deo, & tamen ponuntur in prædicamento: ergo responsio nulla. Respondetur, quod sapientia, bonitas, necessitas, & perfectio simpliciter dictæ, quæ dicuntur de Deo non sunt in prædicamento.

¶ Secundo dico q̃ trascendentia, vt trascendentia, vt ens, res

vnum verum, bonum, aliquid, non ponuntur in prædicamento. Tertio dico, q similitudo æqualitas, paternitas, filiatio, spiratio actiua & passiua, quæ prædicantur de Deo in prædicamento non reponuntur.

Transcendentia non ponuntur in prædicamento.

¶ Vltimo, q sapientia, bonitas, necessitas, potentia, paternitas, filiatio, & huiusmodi, vt sunt in nobis ponũtur in prædicamento.

Caput. xix.

¶ De conditionibus, siue de communitatibus, & proprietatibus substantię

AD pleniorem substantiarum cognitionem, ponit Aristoteles quasdam conditiones substantiarum. Ex quibus earum natura perfectius cognosci poterit: id tamen quod vltimo loco, ponit solum appellat proprium, cętera autem non omnino propria audet appellare. Tametsi enim in prędicabilibus distinxerimꝰ proprij quatuor modos, solus tamẽ quartus modus vere & perfecte proprij meretur appellationẽ. Unde quia nulla earum conditionum, quas hic positurus est Aristoteles, conuenit substantię conuertibiliter, id est, omni & soli substantię, & semper (sed aliqua tantum soli, & non omni, alia omni sed non soli) eo excepto quod vltimo loco ponendum est, idcirco hoc solum audet substantię proprium nominare. Cętera autẽ dicit substantijs conuenire, vel inesse, vel communia esse, non autem dicit ea substantię propria.

¶ Prima igitur proprietas hęc est.

Commune est omni substantiæ in subiecto non esse.

¶ Id manifeste probatur per inductionem: quoniam omnis substãtia prima est vel secunda. Sed neque prima, neque secunda substantia vlla in subiecto potest esse, igitur commune est omni substãtię, in subiecto non esse. Quod autem prima substantia non sit in subiecto, manifestum est, quoniam hic homo & hic equus in nulla re existunt vt in subiecto: sed ipsa potius sunt accidentium subiecta. Quid autem sit, esse in subiecto, ex ijs quę dicta sunt in secunda diuisione ante prędicamentali, notum relinquitur. ¶ De secunda autem substantia, forsitã magis videri possit, quod in subiecto aliquo sit, eo q̃ d primis substãtijs prędicetur. Secundum veritatem tamen, non amplius secunda substantia quam prima, alicui subiecto potest inesse. Licet enim secũda substantia prędicetur de prima, id fit essentialiter, tanquam de subiecto essentiali. Unde non consequitur, secundam substantiam in prima esse accidentaliter, vt in subiecto accidentali. Propter quod supra dictum est, secundas substantias contineri sub membro illo

Prima proprietas substantię.

Quędam dicuntur de subiecto, & non sunt in subiecto. ¶ Pręterea nullum vniuersale potest esse in aliquo subiecto, nisi secundum aliquod suum singulare insit eidem. Et exempli gratia, albedo est in subiecto ratione huius albedinis singularis, quę est in subiecto eodē, & si nulla albedo singularis in subiecto fuerit, neq; poterit vere dici, albedinem esse in subiecto. Si igitur secunda substantia posset esse in subiecto, consequens esset & primam substantiam in subiecto posse existere, quod est sensui repugnans, ac prorsus impossibile. Est igitur omni substantię commune, in subiecto non esse. ¶ Uerum istud licet communiter omni conueniat substantię, non tamen meretur dici proprium quarto modo ipsi substantię, eo quod non soli conueniat substantię. Nam & differentijs substantialibus conuenit, quę in nullo sunt subiecto. Nam si in aliquo essent, vt in subiecto, id maxime videretur de constituta specie siue genere. Sed de his id minime verum est, quoniam de his vt de subiectis essentialibus dicūtur. Quēadmodum enim secundę substantię, genera & species, de primis dicūtur, vt de subiectis essentialibus: sic & differentię constitutiuę de generibus & speciebus constitutis, atque omnibus eorum indiuiduis dicuntur, vt de subiectis, prędicatione vtique essentiali. Differētię autem substantiales, non sunt substantię, sed substantiarum tantum differentię. Primę enim substantię esse non possunt, quoniam illę secūdis substant, quod non faciunt, differentię. Secūdę quoq; non sunt substantię, quoniam illę supra primas ponuntur, tanquam species earū vel genera, vt ex definitione secundarum substantiarum est manifestū, quod substantialibus differentijs non conuenit.

¶ Præsens lectio diuiditur in partem textualem, atq; declaratiuam, argumentatiuam, & solutiuam.

¶ Prima, commune est omni substantiæ, in subiecto non esse quam probo.

¶ Primo inductiuè de primis & secundis substantijs.

¶ Secundo ratione.

¶ Tertio syllogismo. Vide textum, & commentum eius.

¶ Secundo ponitur talis propositio. Nō est proprium substantiæ, non esse in subiecto, patet quia conuenit differentijs substantię, ergo non soli substantię.

¶ Sequitur pars argumentatiua.

Primo. ar. ¶ Primo sic. Forma sustantialis est substantia, & tamen est in subiecto putâ in materia, ergo non omni substantiæ est cōmune nō esse in subiecto, & similiter potest dici q̄ materia est in

forma, & totũ in suis partibus substantialibus & è contra.
¶ Secun. sic. Corp⁹ diuiditur per animatũ & inanimatũ sed animatũ est in corpore, tãquã in subiecto, ergo illa ppositio falsa ii. argumẽ.
¶ Tertio argu. sic. Differentiæ substãtiæ sunt substãtiæ, ergo frustra dicitur non propriũ esse substantię, nõ esse in subiecto post quàm nulli accidenti conuenit, & conuenit omni substantiæ. iij. argumẽ
¶ Confirmatur, Quia istud quod est nõ esse in subiecto nõ solum conuenit substantijs sed etiam differentijs eorũ, & etiam proprijs. Hæc enim videtur identica prædicatio, risibile est homo, ergo conuenit vni, & soli, & semper. Confirma.
¶ Quarto sic. Terminus scriptus est substantia, tamẽ est in subiecto, ergo non cõuenit omni substantiæ nõ esse in subiecto. iiij. argu.

¶ Pars responsiua.

¶ Ad primum. Forma est in materia &c. Respõdeo, q̃ hic accipitur subiectũ pro vltimatè cõstituto in genere, vt est animal homo vel Sortes, & nõ pro forma sola, vel materia sola & ad confirmationem de partibus in toto, & è contra, concedo q̃ partes sunt in suo toto & è contra, sed non vt accidens in subiecto de quo intelligitur propositio Philosophi. Ad primũ argumentũ
¶ Ad secundum dico q̃ animatum, vt est differentia corporis non est directe in prędicamento. Vt autem est genus ponitur directe in prædicamento, & sumptum primo modo est sicut forma in materia, sed non sicut accidens in subiecto composito ex materia & forma substantiali. Ad secundum argu.
¶ Ad tertium dico, q̃ licet differentię substantiæ reductiuè sint substantiæ, non tamen sunt substantiæ, vt in proposito sumitur, pro quo notandum est, q̃ substantia vno modo diuiditur in substantiam quæ nec est prima nec secũda, alio modo in substantiam primam vel secundã, & sic differentiæ substantiæ, proprie non sunt substantiæ, cum nõ sint primæ substantiæ, nec secũdæ: alio modo diuiditur cõtra accidens, & sic cõmune est omni substãtiæ in subiecto nõ esse, siue sit prima, siue secũda, siue nec prima nec secũda. Et isto modo cõcedo, q̃ non esse in subiecto est propriũ substantię, quarto modo sed quando philosophus dicit q̃ non est proprium substantiæ, sumit substantiam pro eo solũ, q̃ ponitur in recta linea prædicamentali. Vt sunt Ad. iij. arg

genera, Species, & Indiuidua: de quo Boetius inquit substantiam diuidi in materiam, & formã, & totum compositum: & hic agitur de composito, & non de alijs, & per hoc patet solutio ad confirmationem.

Ad confir.

Ad quar.

¶ Ad quartum terminus scriptus est substãtia, & tamen est in subiecto, &c. Respondetur q scriptura potest capi dupliciter, scilicet pro formali significato q est qualitas & sic est in subiecto. Alio modo potest capi pro materiali: & sic est substantia: & sic nullo modo est in subiecto tanquã accidens. Pro quo nota, q esse in subiecto realiter est inhærere alicui, sicut albedo inhæret parieti. Sed esse in subiecto logicaliter est prædicari de nominatiuè, vt, Sortes est albus, & si quæratur, an isti termini, homo animal, prędicentur nomine, & ratione, respõdetur q sic, quia prędicari nomine, est verè, & affirmateuè: & prædicari ratione est prædicari essentialiter: sicut in ista, Sortes est homo, Sortes est rationalis, vtraq; est vera & essentialis prędicatio. Sed cõtra, Isti termini sunt in subiecto, sed nihil horũ quæ sunt in subiecto prædicatur nomine & ratione (vt ait philosophus in textu) ergo respõsio nulla respõdeo q isti termini pro formali significato, & primè intentionaliter capti bene sunt in subiecto, sed non logicaliter, quia esse in subiecto logicaliter (vt dictum est) est prædicari accidentaliter, & denominatiuè. Sed ly homo, & ly animal & cæteri termini prædicamenti substantię, solum prædicantur essentialiter de suis inferioribus: ergo isto modo non dicuntur esse in subiecto.

Esse in subiecto realiter quid.

Obiecto.

Solutio.

Caput.xx.

¶ Secunda communitas siue proprietas substantię.

INest secundis substãntijs & differentijs vniuoce prędicari.

Secunda proprietas substantię.

¶ Hoc est, substantijs & differentijs substantialibus hoc est commune; vt omnes prędicationes quę ab ipsis egrediuntur, sint prędicationes vniuocę: intelligendo de prędicationibus ordinatis.

Quod declarat Aristoteles, primum a prędicatione excludit primam substantiam, dicens, A principali, id est, singulari substantia nullam exire prędicationem, eo q nihil habeat sibi subiectum, neq; essentialiter, vt manifestum est: neque accidentaliter, quoniam in subiecto nullo est, vt ex pręcedenti conditione liquet.

Maxima Aristotelica.

¶ Debet autem hoc intelligi de prędicatione ordinata, qua secundũ verum ordinem aliquid, vel in subiecto, vel de subiecto dicatur. Nã prędicatione quam identicam appellant, nihil prohibet primam substãtiam prędicari. Et cum dico, Joannes est Joannes, vel hic homo est Joannes. Sic itẽ prędicatione inordinata dicitur, homo est Joãnes. ¶ Hoc igitur supposito, quod a prima substantia nulla exeat prędicatio, facile est ostẽdere, omnes prędicationes ordinatas, que egrediuntur a substantiis atq; differentiis substantialibus, esse vniuocas. Omnes enim prędicationes quę a secundis substantiis egrediũtur, sunt speciei de indiuiduo, vel generis de specie aut indiuiduo. Quę autem a differentiis substantialibus summuntur, vel sunt differentię de genere cõstituto, aut subiectis eius speciebus & indiuiduis vel de specie cõstituta, aut eius indiuiduis. Omnes autem hę prędicationes sunt vniuocę, quemadmodum planissime liquet ex iis quę supra in ante prędicamentis sunt dicta de prędicatione vniuoca. Certum est ergo, omnes prędicationes que a substantiis aut earum differentiis sumuntur esse vniuocas. ¶ Loquimur semper de ordinatis prędicationibus (Inordinatas enim philosophi non dignas reputant prędicationis nomine.) Secundum inordinatam nãque prędicãtionem non prędicantur vniuoce secundę substantię, neque differentię. Nam si dixeris, animal esse hominem, aut rationale esse hominem, prędicationes istę vniuocę non sunt: sed si conuertas prędicationes illas, vt fiant ordinatę, inuenies simul & vniuocas, dicendo homo est rationalis, homo est animal.

Caput. xxi.

¶ Tertia proprietas siue communitas substantię.

OMnis substantia videtur hoc aliquid significare.

¶ Posuerat Aristoteles duas conditiones substantię, quę ideo propria dici non poterant, quod non soli substantię, sed etiam differẽtiis conuenirent. Nunc aliam ponit conditionem, quę ob hoc non recte dicitur substantię proprium, quia secundum veritatem non omni substantię conuenit tametsi prima facie aliquo modo id videatur. Ait ergo, omni quidem substantię hoc esse commune, vt videatur hoc aliquid significare, attamen secundum veritatem non omnem substantiam hoc aliquid significare. De prima enim substantia fatetur, secũdum veritatem eam significare hoc aliquid, id est, aliquam particularem, singularem, & indiuiduam substantiam. Et vocabulum Joannes hoc aliquid, id est, hunc hominẽ significat: & hic equus significat hoc aliquid, equum particularem. ¶ De secunda autem substantia ait, videri eam significare hoc aliquid, secundum appellationis figuram, id est, propter modum denominandi primas substantias, & appellandi per secundas substantias. Et quia Joannem & Petrum dicimus esse Tertia proprietas substantię.

hominem & animal, sicq; nominibus secundarum substantiarum appellamus primas substantias, hinc videntur secundum apparentiã externam secundę illę substantię significare hoc aliquid, id est, singularem & indiuiduam substantiam. Uerum non ita rem habere asserit sed potius ipsas quale quid significare, id est, substantiam communẽ, siue naturam communem substantialem. ¶ Quod est intelligendum de primario & magis principali significato. ¶ Secundę enim substantię primario & magis principaliter significat quale quid: hoc est vniuersalem substantiam siue naturam aliquam substantialem multis cõmunem, in qua videlicet conueniunt multa indiuidua aut plures species: minus principaliter vero & quasi secundario significant hoc aliquid, id est, substantiam singularem: illa scilicet indiuidua aut illas species, quę in illa natura communi primario significatu conueniunt. Significãt enim secundę substantię naturam illam communẽ, tanquã essentialiter inexistentem aliquibus: atq; ita secundario etiam illa significant, quibus vt inexistens natura communis significatur. Exempli gratia, vocabulum homo secunda substantia significat primario naturam humanam, id est, naturam omnibus particularibus, hominibus essentialiter, communem, quam dicimus humanitatem: quia tamen non absolute ac nude naturam ipsam significat terminus homo, sed etiam significat vt essentialiter inexistentem aliquibus, ob hoc secundario dicuntur omnia illa quę in natura humana conueniunt, significare, omnes videlicet indiuiduos homines. Sic animal, primario naturam omnibus animalibus communem significat, secundario autem, omnia animalia. ¶ Quod autem secundę istę substantię, homo animal, & similes, non significant solam vniuersalem substantiam, id est nude ipsam communem naturam, dupliciter ostenditur, ex comparatione duorum horum terminorum, homo & humanitas ad inuicem. Primum namque manifestum est, duas istas dictiones differre in significando. Non videtur autem assignanda differentia alia, nisi quod vocabulum humanitas nude ipsam humanam naturam significat: homo autem significat ipsam naturam principaliter atq; primario, sed simul secundaria significatione omnia in illa natura communicantia: id quod etiam explicando vocem monstratur, quoniam homo tantundem valet, atq; humanam naturam participans. Deinde ipsa prędicatio significationẽ arguit. Nam quia terminus homo, de singularibus substantijs prędicatur, dicendo. Joannes est homo, Petrus est homo consequens est, etiam singulares substantias per ipsum significari. Absurdum nanque foret, prędicari aliquid de eo quod non aliquo modo significet. ¶ His itaque declarat Aristoteles, quod a principio proposuit, secundas substantias non significare hoc aliquid.
Intellige principaliter sicut primę substantię principaliter hoc aliquid significant, sed primario significare qualequid, id est, naturã cõmunem substantialem, quam tamen ita significant, vt eam circa substantiam determinent, id est, tanquam particularibus substantijs inexistentem significent, Unde consequitur, secundario & minus principaliter, etiam secundas substantias significare, hoc aliquid siue substã

tiam singularem. ¶ Ex quo etiam patet intellectus eius, quod subiungit de hac determinatione Aristoteles dicens, Plus autem sive plurimum in genere, quam in specie determinatio fit. Dicens enim animal, plura complectitur, quam dicens hominem. Quo verbo significatur, genus substantialem illam naturam quam significat genericam, circa plura determinare, quam species naturam suam specificam determinet, hoc est (ut nostro more dicamus) genus plura secundario significare, quam ipsius speciem. Quod ita euidentissime monstratur, quoniam species suam quam significat specificam naturam tantum determinat circa sua individua, significando naturam illam communem, ut omnibus singularibus inexistentem, et omnia illa singularia individua secundario significando, ut in specifica ipsa natura essentialiter communicantia. Genus vero, genericam naturam quam significat, determinat, non solum circa individua unius speciei, sed circa plures species, et omnia earum individua. Animal enim non solum singularia omnia unius speciei, sed omnia singularia omnium suarum specierum secundario significat, ut participantia animalis naturam: et ipsam naturam illam genericam principaliter significat, ut omnibus communem sive communicabilem.



Caput. xiij.

¶ Quarta proprietas sive communitas substantie.

Inest etiam substantiis, nihil esse contrarium.

¶ Hoc est, substantiis convenit, non esse alicui contrarium, neque contrarium ullum habere. Id patet, tam in primis quam in secundis substantiis. Neque enim hic homo, vel hic equus aliquid habere contrarium, neque etiam homo vel equus. Convenit proinde hec conditio omnibus substantiis. ¶ Quod si quis obiciat, ignem et aquam sibi inuicem contrariari, eo quod ignis sit calidus et siccus, aqua frigida, et humida. Respondetur, ignem et aquam per se non contrariari, sed tantum per accidens. Illa autem dicuntur per se contraria, que ex sua propria natura adinuicem contraria sunt, ut albedo et nigredo calor, et frigus, humor et siccitas. Illa autem per accidens, que non ex sua natura contrariantur, sed tantum ratione accidentium contrariorum sibi inexistentium. Sic ignis et aqua, quia qualitates in se contrarias retinent, nempe calorem et frigus, siccitatem et humorem, idcirco per accidens contraria dici possunt, quemadmodum etiam homines duo contrarias habentes opiniones, contrariari dicuntur per accidens, ratione earum que in eis sunt contrariarum opinionum. Per se autem nequaquam huiusmodi contrariantur. ¶ Convenit igitur omni substantie, non esse ulli contrarium, neque ullum habere contrarium. Uerum non soli substantie convenit. Nam et quantitates contrarium non habent, ut duo tria, nihil habent contrarium, neque bicubitum, tricubitum. Neque hoc igitur potest dici substantie proprium secundum quartum modum, sed tantum iuxta modum secundum.

Quarta proprietas substantie.

Lecti[o] præsens diuiditur in partem textualem, & declaratiuam, argumentatiuam, & solutiuam.

¶ Prima continet duas partes principales.

¶ Prima, inest secundis substantijs, & differentijs vniuoce prędicari.

¶ Secunda, omnis substantia videtur hoc aliquid significare.

¶ Sententia primę declaratur in textu, & etiam secundæ satis bene.

¶ Sequitur pars argumentatiua.

Primum argumen. ¶ Primo arguitur sic. Nulla substantia est terminus, ergo nulla significat hoc aliquid, vel qualequid: Sequela videtur bona, & antecedens probo. Omnis terminus, vel est vocalis vel mentalis vel scriptus, substantia non est huiusmodi, &c.

ij. argumẽ. ¶ Secundo argui. sic. Omni secunda substãtia prædicatur de prima, ergo Petrus est secunda substantia. Ioannes est substãtia secunda. &c.

iij. argu. ¶ Tertio sic. Omnis substantia significat qualequid, sed qualequid est trascendens: ergo significatum eius non est in prædicamento, & ex consequenti nec iste terminus substantia.

¶ Sequitur pars responsiua.

Ad primũ argumen. Ad primum, distinguo maiorem, vel sumendo terminum pro formali significato, id est, respectu rationis, & sic conceditur, vel pro materiali & sic negatur terminus omnis scriptus, saltem pro materiali dicitur esse substantia. Secundo dicitur, ꝙ licet non sit terminus & ex consequẽti nõ significet terminus substantiæ, significat si est singularis hoc aliquid, & si est communis qualequid, & sic capitur in textu, vt videtur. Tertio potest dici ꝙ ibi capitur actus signatus pro exercito, significat hoc aliquid, id est, est hoc aliquid, significat qualequid, id est, est qualequid.

Ad. ij. arg. ¶ Negatur consequentia. Non enim sequitur, formaliter actus

actus exercitus ex actu signato, nō valet, secūda substātia prædicatur de prima, ergo Petrus est secunda substantia, valet tamen ergo Petrus est homo. Ad.iij.arg

¶ Ad tertium secunda substantia significat quale quid, ergo &c. distinguo. Ly qualequid quando sumitur transcendenter, & sic negatur quòd substantia significet qualequid, vel limitatè pro natura communi pluribus differentibus specie, & sic concedo quod significet qualequid, sed nego quòd non ponatur in prædicamento.

¶ Sequuntur dubia.

¶ Primum, cur indiuiduum accidentis, vt hæc albedo non significat hoc aliquid, sicut indiuiduum substantiæ?

¶ Secundum, vtrum hæc anima, & hoc corpus mortuum significent hoc aliquid?

¶ Tertium, cur dicit philosophus, quod genera & species circa primam substantiam significant qualitatem, cum qualitas distinguatur a substantia? Ad pri. du.

¶ Ad primum dicitur, quòd philosophus solum intendit hic rationem suppositi quod non reperitur nisi in prædicamento substantiæ: et cum albedo sit qualitas non significat hoc aliquid. Ad.ij.dub.

¶ Ad secundum respondetur quód non, quia sunt communicabilia, anima vt forma, corpus vero vt pars. Sed suppositum nec primo nec secundo modo est communicabile. Ad.iij.du.

¶ Ad tertium dicitur, quòd tam genus quam species dicūtur formæ essentiales, in existentes essentialiter, in suis inferiorib' cōcretiue: vt hō, animal: sed non humanitas, nec animalitas.

Caput.xxiij.

¶ Quinta communitas vel proprietas substantię.

Videtur substantia non suscipere magis, aut minus. Quīta proprietas substantię.

¶ Hoc est, nullus terminus substātiu:lis potest prędicari cū aduerbio magis & minus, neque vlla substātia realis, aut res substantialis potest suscipere intentionem vel remissioné. Et Joannes non dicitur

magis homo quam Petrus, neque iste equus magis equus quam ille, neq; homo est magis animal quam brutũ, atque ita in cęteris. Natura enim substãtialis si specifica fuerit, ex ęquo participatur, non secundũ plus & min⁹ omnibus indiuiduis. Generica vero ex ęquo omnibus speciebus ac earũ indiuiduis. Ac proinde, non possunt termini naturas illas siue genericas, siue specificas significantes, prędicari de speciebus vel de indiuiduis, secundũ magis vel minus. Eadẽ ratione, facta cõparatione ad seipsum nõ potest dici Joannes magis homo nũc quam ante, quoniã non potest natura substantialis, secundũ plus & minus, pro diuersis tẽporibus cõmunicari speciei, vel indiuiduo. In qualitatibus autẽ inuenitur prędicatio secundũ magis & minus, siue cõparando adinuicem diuersa, siue idẽ ad seipsum secũdũ diuersa tempora. Ut Joannes est magis albus, vel magis doctus vel magis iustus Petro. Imo idẽ homo nunc est magis, aut minus doctus vel iust⁹, quã ante fuerat. ¶ Quod si quis obijciat ex his quę prędicta sunt, Audite sunt primę substantię dici, magis substãtię quã secundę, ac rursus inter has dictę sunt species magis esse substantię quam genera. Uidetur ergo substãtia suscipere magis & minus. Hoc ita dissoluit Aristoteles, non negans vnam substantiam magis dici substantiam quam alteram, quemadmodum dictum est primam substantiam esse magis substantiam quam secundam, sed vnum quodq; dicit secũdum hoc ipsum quod est, non dici magis & minus. Ut si sit quid est homo, ipsum non est magis homo altero, neque seipso. Sic id quod animal est vel corpus, nõ est magis animal, vel magis corp⁹. Hoc est, genera & species prędicamenti substantię non pręducari de sibi subiectis indiuiduis aut speciebus, secundum magis & minus.

¶ Ad pleniorem autem & clariorem huius difficultatis dissolutionẽ, solent distinguere duplicem significationem huius vocabuli substantia. Dicunt enim substantiam dici, vel a substando, vel a subsistendo. Substantia vt a substando dicitur, relatiuum esse videtur. Dicitur enim aliquid hoc modo substantia, in respectu vel comparatione ad alterum, vt primę substantię dicuntur substantię, in respectu ad secundas quibus substant, & in respectu ad accidentia, quibus item substãt. Secundę quoq; substantię, similiter dicuntur substantię, respectu superiorum generum & accidentium, vt supra declaratum est. Ita accipitur substantia, cũ diuiditur in primã & secundã. In hac autẽ significatione non est terminus iste, substantia generalissimum genus pręędicamenti substantię. Cum enim relationẽ significet, qui fieri potest, vt supra ponatur terminis absolutam naturam absque omni relatione significantibus? Cuiusmodi sunt omnes termini pręedicamẽti substantię. ¶ Substantia vero vt dicitur a subsistendo, relatiue non dicitur, sed absolute sine relatione & cõparatione ad alterum. Quemadmodum enim id quod dicitur homo, aut animal, aut corpus, ita dicitur non per relationem ad aliud vel alia, sed omnino absolute, videlicet quia naturam hominis, animalis aut corporis participat, ita & substantia hoc modo aliquid dicitur absolute, sine comparatione ad aliud, eo quod naturam substantialitatis participet. Atq; hoc modo

acceptum vocabulum ſubſtantia, genus eſt generaliſſimum ſupra omnia genera, ⁊ ſpecies prędicamenti ſubſtantię, neque vllo modo dicitur ſecundum magis ⁊ minus, ſicut nec cętera genera ſubiecta. Nihil enim eſt magis ſubſtantia altero, quoniã quęcunque naturam ſubſtãtialitatis habent, eandem ex ęquo participant, ſicut ⁊ de cęteris generibus ſupra dictum eſt. Hanc autem diſtinctionem propoſito applicantes, pro diſſolutione propoſiti argumenti, clare dicimus, quamquam terminus ille ſubſtantia, vt a ſubſtando deducitur, ſecundũ magis ⁊ minus prędicetur, dicendo vnam ſubſtantiam eſſe magis ſubſtantiam quam alteram, non tamen hinc conſequitur, vllam ſubſtantiam dici ſecundum magis ⁊ minus. Nam ſubſtantiam a ſubſtando non eſt terminus ſubſtantialis, ſed relatiuus. Vult autem ſupropoſita conditio ſiue proprietas, nullum terminum prędicamenti ſubſtantię prędicari ſecundum magis ⁊ minus, id eſt, cum aduerbijs eiuſmodi magis minus, vel nullam ſubſtantiam ſuſcipere huiuſmodi prędicationem, ſecundum aliquod prędicatũ ſibi eſſentialiter conueniens. Hoc enim eſt quod dicit Ariſtoteles, vnaquamque ſubſtantiam ſecundum hoc ipſum quod eſt non dici magis aut minus. Quomodo autem hacte nus omnium conditionum prędictarũ nulla inuenta eſt proprie conuenire ſubſtantię, ſic neque iſta. Quamuis enim omni ſubſtantię conueniat, non tamen ſoli. Conuenit enim ⁊ quantitati: vt bicubitum nõ dicitur, alio magis bicubitum, neque linea vna dicitur magis linea quam altera. Ac proinde proprium dici poteſt ſecundo modo, quarto modo non poteſt.



¶Quinta proprietas eſt, ſubſtantia non ſuſcipit magis, & minus.

¶Licet textus ſit luculenter expoſitus, pro maiori tamen claritate aliqua ſunt notanda.

¶Primum, Quid ſit ſuſcipere magis & minus.

¶Secundum. Quæ ſunt illa quæ non ſuſcipiunt magis & minus, & per oppoſitum quæ reſcipiunt magis & minus.

¶Tertium, An quantitas ſuſcipiat magis, & minus?

¶Quartum, Quomodo ly ſubſtantia vno modo eſt terminus relatiuus, & ſic ſuſcipit magis, & minus, & non eſt prędicamẽti ſubſtantia, ſed relationis alio modo eſt terminus abſolutus, & ſic non ſuſcipit magis, & minus ſubſtantia videlicet nec ipſe terminus dicitur ſecundum magis nec minus, vt patet, & cætera.

¶Sequitur pars argumentatiua.

pri. argu. ❡Primũ, Substantia suscipit magis, & minus ergo dicta philosophi nulla: quod probo, primo sic. Vna aqua habet plures partes quam alia, & aqua est substantia, ergo substantia suscipit magis & minus.

ij. argumē. ❡Secundo sic, Sint duo ignes, vnus duorum pedum, & alter vnius: conprimantur partes primi ad quantitatem secundi, tunc in eodem loco, & situ, primus ignis suscipit magis scilicet qualitates bipedales in bipedali spacio.

iij. argumē ❡Tertio sic, Anima suscipit magis, & minus: & anima est substantia, ergo substantia suscipit magis, & minus. Maiorē probo, per articulum Parisiensem, inquit enim. Dicere animam Christi non esse perfectiorem in naturalibus anima Iudæ, error.

iiij. argu. ❡Quarto. Omnis substantia, vel saltem aliqua: videtur generari successiuè, ergo acquirit partem post partem: ergo acquisitis omnibus partibus, erit intentior substantia quàm primũ non habens illas partes seu gradus.

v. argumē. ❡Quinto sic, Vna substantia est perfectior alia: ergo intentioris perfectionis, antecedens patet de angelo respectu animæ rationalis.

Pars responsiua.

Ad. pri. ar. ❡Ad primum, vna aqua habent plures partes &c. concedo extensiuè: sed non intensiuè

Ad. ij. arg. ❡Ad secundum, sunt duo ignes &c. admitto casum, & concedo quòd illæ partes possunt comprimi ad similē quantitatē pedalis ignis, sed non recipiūt in eodē loco & situ: quia aliàs esset penetratio formarum substantialiũ, quòd est impossibile cum informarent, eandē materiā. Aliqui tamē dicunt, quòd non est inconueniēs duas formas mixtorum se penetrare, sicut & formæ qualitatum se penetrant.

Ad. iij. ar. ❡Anima suscipit magis & minus. Nego antecedēs vna enim anima, non est magis anima quam alia, & ad probationē dico, quod articulus Parisiensis intelligitur de accidentibus na

turalibus spiritualibus: sicut est ingeniositas, præspicacitas intelligendi, de quibus est dubium, an vna anima sit perfectior alia, sed nõ est dubium, quin aĩa christi fuerit perfectior, in accidẽtibus acquisitis, & gratuitis, videlicet, gratia, & gloria.

¶ Ad quartum. Substantia generatur successiuè, &c. Nego antecedẽs: & dico, quòd licet in fine augmẽti indiuidui habebit plures partes quãtitatiuas, nõ tamẽ entitatiuas substantiales. Ad.iiij.arg.

¶ Ad quintum. Vna substantia est perfectior alia &c. concedo, ergo intentior substantia, nego sequelam, & consequens non enim angelus est magis substantia quàm anima neq; homo quàm lapis, sed bene perfectior substãtia est angelus quã anima, quæ perfectio habetur non à substantia, sed à differẽtia constituente naturam angelicam: similiter homo est perfectior substantia quã lapis, quæ quidẽ perfectio nõ à substantia, sed à differẽtia cõstituẽte naturã hominis habetur, quẽadmodũ hõ dicitur perfectissimus animaliũ, nõ quòd sit magis animal quã brutũ, quia animal æquè primo inest bruto, & homini, sed perfectio ista sumitur à rationali differentia quæ est pars essentialis hominis. Ad.v.arg.

Caput.xxiiij.

¶ De sexta proprietate substantię, quę singulariter dici meretur proprietas.

Quę hactenus posite sunt conditiones substantię, potius communitates dicende sunt, quam proprietates. Quod autem nunc dicendum est, id proprie videtur substantię conuenire. Ait ergo Aristoteles.

Maximè autẽ propriũ videtur esse substantiæ, cũ vnum & idem numero sit contrariorum susceptibile esse. Sexta proprietas substantię.

Conuenit enim hoc omni substãtię, quemadmodum per inductionem potest ostendi ad oculum. Uidemus nanque vnum eundemq; hominem, nunc calorem in se habere, nunc frigus: nunc bonum esse & probum, postea malum & improbum: modo albũ, postea nigrũ: nũc huius opinionis, postmodũ contrarie: modo velle aliquid, modo idẽ nolle. Sic in omnibus corporibus consideratione facta ad contrarias qualitates, videbimus easdem numero substantias cõtrariorũ esse susceptibiles. In substantijs autem incorporeis, oportet considerare qualitates contrarias spirituales, quę ad corpus non attinent. Item & angeli contrariorum sunt susceptiui, quoniam contrariarum

opinionum, aut volitionum sunt susceptibiles. Possunt enim modo nolle quod antea volebat, ꝛ ecõtrario. Possunt mutari ex sua natura secundũ odiũ ꝛ amorẽ, prosequutionem ꝛ fugam, tristitiam ꝛ gaudiũ, aliaqꝫ huiusmodi, quę omnia sunt contraria. Notandum vero quod nõ dicũtur substãtię suscipere cõtraria, sed susceptibiles esse cõtrariorum: quoniam non potest fieri, vt substãtia vna ꝛ eadem numero actu simul contraria suscipiat. Hoc enim naturę contrariorum repugnat, simul eidem inesse: sed temporis successione substantię dicuntur esse contrariorum susceptiuę, ita vt vno migrante possit substantia eadem manẽs acquirere alterum. Quemadmodum abcedente calore, venit frigus in corpus, ꝛ econtrario: ęgritudine pulsa, introducitur sanitas, ꝛ ecõtrario. Notandũ quoque non hic dici quod substantia quęlibet sit contrariorum quorumlibet susceptibilis, sed tantum aliquorum contrariorum. Non enim necesse est, vnam eãdemqꝫ substantiam omnium cõtrariorum esse susceptibilẽ: satis autẽ fuerit, si aliqua possit suscipere cõtraria. Siquidem arbor ista vna ꝛ eadem nõ potest omnia cõtraria suscipere. Nõ enim est susceptibilis gaudij ꝛ tristitię, odij ꝛ amoris contrariatum opinionum, volitionum, ꝛ nolitionum, aliorumqꝫ huiusmodi. Quorundam autem contrariorum esse susceptibilis. Quanquam ꝛ vniuersaliter intelligi potest, quamlibet substantiam quorumlibet contrariorũ esse susceptibilẽ ad hunc sensum, vt quoties substantia quęlibet ex contrarijs duobus, alterũ susceperit, possit etiã alterum contrarium eadem numero in se suscipere. Et, verbi gratia, si quid susceptiuum est albedinis, est idipsum nigredinis quoque susceptiuum: si quid capax est huius opinionis, est ꝛ cõtrarię capax: si quid amoris ꝛ odij, atque item in cęteris. Contraria nanque ex sua ratione fieri habent circa idem subiectum, seqꝫ pellunt mutuo. ¶ Excipiuntur si quę sint qualitates a natura determinatę aliquibus substantijs: vt igni est naturaliter deputata caliditas ꝛ siccitas ꝛ leuitas. Propter quod ignis licet habeat in se istas qualitates, contrariorum tamen non videtur susceptibilis. Verũ hic proprie loquẽdo, non vere dicimus, ignem esse susceptiuum caloris: siccitatis ꝛ leuitatis. Potius nanque ignis dicẽdus est habere naturaliter deputata illa quam suscipere. Suscipitur enim in aliquo, quod ipsi est extraneum, ꝛ a natura ei non est deputatum, quemadmodum annotauit ꝛ Boetius. Atqꝫ ita simpliciter adhuc remanet veritas generalis dicti illius substantiã esse susceptibilẽ quorumlibet cõtrariorum, ita vt si alterum quorumlibet suscipiat, possit ꝛ reliquum suscipere. ¶ Ita ergo probatum est, omni substantię prędictam conditionem conuenire. Nunc autem ꝛ quomodo soli conueniat substantię, declaremus. Patebit autẽ hoc per singula accidentia discurrendo. Non enim poterit inueniri color aliquis, qui vnus ꝛ idẽ numero dicatur, nunc albus, nũc niger: neqꝫ aliquis habitus numero idẽ potest dici nunc bonus, nunc malus: neque aliqua eadem actio numero, bona esse potest ꝛ mala, ꝛ ita in reliquis, non poterit inueniri aliquod accidentium, quod contraria possit idem numero suscipere. Conuenit igitur soli substantię, esse contrariorum susceptibilem.

Caput.xxv.
Proponitur ꝛ soluitur obiectio de opinione ꝛ oratione.

VErum aduersus hanc proprietatem, Aristoteles obiectionem ponit, de oratione vocali vel opinione mentali, quę eadem numero manẽs, susceptiua videtur veritatis ꝛ falsitatis, cũ dicatur modo vera, modo falsa. Exempli gratia, hęc oratio, Joannes dormit modo vera est, vere dormiente Joanne, Poterit autem eadem fieri falsa, si expergiscatur Joannes a somno, manebit tamen oratio vna ꝛ eadem numero. Eadem igitur oratio vna ꝛ eadem numero, vera esse potest ac falsa successu temporis, ac proinde contrariorum est susceptibilis, cum verum ꝛ falsum videantur esse contraria. Quod si admittatur, consequens est, nõ soli substantię id esse proprium quod dictũ est. ¶ Propter hanc obiectionem dissoluẽdam, Aristoteles proprietatem suprapositam supplet in hunc modum, Proprium est substantię, cum sit vna ꝛ eadem numero, cum sui mutatione esse susceptibilẽ contrariorum. Per adiectionem autem hanc, cum sui mutatione, excludit obiectionem, dicens, orationem aut opinionem licet eadẽ numero possit esse vera ꝛ falsa, non tamen per hoc fieri circa eam aliquam mutationem. Quod enim hęc propositio nunc vera dicitur nunc falsa, id non fit per aliquam mutationem circa ipsam propositionem, sed per mutationẽ rei significatę. Dicitur enim propositio vera, ex eo quod ita sit in re quomodo ipsa significat. Falsa vero, ex eo quod aliter sit in re quam ipsa significat. Ex sola igitur mutatione circa rem significatam, propositio paulo ante vera fit falsa, ꝛ ecõtrario. Et ex hoc quod ipse homo Petrus mutatur a statione in sessionem, propositio ista, Petrus sedet, ex falsa efficitur vera, absque sui reali aliqua mutatione. Potest vero ꝛ aliter responderi propositę obiectioni, simpliciter negando quod assumitur, nempe opinionem vel orationem eandem suscipere contraria. Nec valet probatio, Eadem oratio vel opinio modo vera est, modo falsa, eadẽ numero manens, igitur contrariorum est susceptibilis. Mala siquidem est ista illatio, laborãs defectu duplici. Primum enim verũ ꝛ falsum proprie nõ videtur cõtraria, cum contrarietas proprie dicta (vt posterius dicetur) in solis inueniatur qualitatibus. Veritas autem ꝛ falsitas non videntur esse qualitates, sed potius ad aliquid sunt vel relationes. Dicitur enim veritas exequatio, ꝛ correspõdẽtia rei significatę ad ꝑpositionẽ significantem, quod videtur ad relationem magis quã ad qualitatem spectare, cum sit qualitas omnis, quid absolutum non consistens in relatione vnius ad alterum. ¶ Deinde, etiam si veritas ꝛ falsitas contraria essent, non tamen oratio eadem ex hoc quod modo vera est, modo falsa dicenda esset suscipere contraria. Ipsa namque oratio non suscipit in se veritatem ꝛ falsitatem, cũ veritas (vt iã dictũ est) nõ sit in oratione vera. Si enim veritas ꝛ falsitas susciperẽtur in ipsa oratione vera, iã nec Aristotelis valeret solutio, qua dicit orationem eandem dici modo veram, modo falsam, absque sui muta

maxima

quid quid suscipit vnũ contrarium suscipit et alterũ

opposita mutuo se expellunt

tione. Prorsus enim cum sui mutatione id fieret, si vere in ipsa susciperetur veritas & falsitas. ¶ Amplius autem adversus supradictã proprietatem obijcitur, de materia prima, & quãtitate corporea, quę suscipiunt in se contrarias qualitates non tamen sunt substãtię. Propter hanc obiectioné, recentiores vt per omnia conuertibilé faciant hanc proprietatem, ita eam complent, Maxime proprium est substãtię esse susceptibilem contrariorum: tanquam completum & vltimatũ subiectum. Prius adijciunt, ne proprietas cõueniat ipsi materię primę, quę proprie loquendo non est substantia, sed tantum substantię pars. Materia nanque est contrariorum susceptibilis, quoniam omnia accidentia corporalia suscipiuntur in corporali materia, quéadmodum in Physicis nostris declarauimus. Verum ipsa non est subiectum completum, quoniam pars tantum est altera compositi. Substantia autem est subiectũ cõpletum atque perfectum. Alterũ adijciũt propter quantitatem, quę (iuxta quorundam probabilem opinioné) immediate in se suscipit corporeas qualitates, vt colorem dicunt suscipi in superficie, figuras idem subiectari in superficie aut corpulentia. Iuxta quorum opinionem necesse est fateri, etiam quantitatem esse contrariarum qualitatum susceptibilem. Verum ipsa nõ est subiectum earum vltimarum, quoniam vlterius sunt in ipsa substantia, mediante quantitate. Sed harum rerum determinatio, a Dialectica consideratione est aliena, magisq; Physicę cõuenit: quamobrem ista tetigisse contenti, explicato vtcunque substãtię prędicaméto, ad quãtitatem recto cursu pergamus.

¶ De sexta proprietate substantiæ.

¶ Præsens lectio diuiditur in tres partes.
¶ Prima est textualis, cũ sua expositione, vt claret.
¶ Secunda dicitur argumentatiua.
¶ Tertia vero responsiua.
¶ Prima patet, secunda sequitur.

¶ Pars argumentatiua.

Pri. arg. ¶ Primo sic. Aiunt theologi, quantitatem esse subiectum qualitatum, vt patet in eucharistia.

Confir. ¶ Confirmatur per paripatheticos dicẽtes, superficiẽ esse subiectum immediatum qualitatum eius, nimirum conuenit colorati & decolorati.

ij. argumẽ. ¶ Secundo arguitur sic. Secundum tenentes voluntatem &

intellectum non esse substantiam, intellectus tam angelicus quàm humanus, similiter voluntas angelica & humana sunt susceptibiles contrariorum scilicet opinionum volutionum vt patet intuentibus.

¶ Tertio arguitur sic. Eadem albedo est susceptiua similitudinis & dissimilitudinis, sed albedo non est substantia, ergo esse susceptiuum contrariorum non est proprium substantiæ. iij. argumẽ

¶ Confir. In eadẽ quantitate vna numero fundantur æqualitas & inæqualitas, ergo non est propriũ substãtiæ quarto modo Confirma.

¶ Quarto arguitur sic. Multum, & paucũ rescipiuntur in eodem numero: & magnum, & paruũ in eodem corpore, igitur non est proprium substantiæ esse susceptiuum contrariorum. iiij. argu.

¶ Quinto eadem oratio est susceptiua contrariorum putà veritatis, & falsitatis. Item eadem prima materia. v. argumẽ.

¶ Pars responsiua.

Ad primum cõceditur q superficies, & quæuis alia quãtitas est subiectum immediatum qualitatum sed mediatum & principale est substantia, & si fiat instantia de Eucharistia dicitur q id fit super naturaliter nos vero loquimur naturaliter tantum. Ad primũ argumentũ.

¶ Ad secundum respondetur concedendo q intellectus & voluntas sunt susceptibiles contrariorum & ob id illa opinio conuincitur esse falsa sunt, enim substantiæ & nõ accidẽtia. Ad. ij. arg.

¶ Ad tertium. De similitudine & dissimilitudine æqualitate, & inæqualitate: multo, & pauco: paruo, & magno, dico q philosophus intendit hic tractare de contrarietate absoluta, & non de respectiua quemadmodum sunt similitudo, &c. Ad. iij. & iiij. argu.

Caput. xxvj.

¶ De prædicamento quantitatis.

Post prædicamentum substantiæ, proximo loco subsequitur prædicamentum quantitatis, quod maior sit conuenientia, & similitudo substantiæ cum quantitate q̃ cum qualitate. Sicut enim substantia non suscipit magis & minus, nihil q3 habet contrarium, sic & de quantitate, paulo post declarauit. Item iusta quorundam probabilem sententiam qualitates corporales suscipiuntur in substantia.

mediante quantitate, ita vt quantitas sit subiectum immediatum qualitatum, atque hac consideratione videtur quantitas assimilari ex aliqua parte substantiæ, quoniam modo quodam substat, tametsi nõ vltimatum & per se consistens subiectum, quoniam & ipsum est in alio nẽpe in substantia. ¶ Tractans autem de quantitate Aristoteles, ipsius non ponit definitionem, quoniam generalissimum genus proprie definiri non potest, vt pote quod aliud supra se genus non habeat per quod posset definiri, aut differentiam aliquam constituentem Posset tamen aliquo modo describi per suum concretũ, hoc modo.

Definitio quãtitatis

¶ Quantitas est, secundum quam aliquid dicitur quantum.

¶ Ut pote longum, latum, profundum, multum, paucum, magnum, paruum, diuturnum, vel breuis durationis. ¶ Incipit autem Aristoteles tractatum quantitatis, ponens duas eius diuisiones. Quarum prior hęc est.

Diuisio quãtitatis.

¶ Quantitatis aliud continuum, aliud discretum.

¶ Hoc est, quantitatum, alia est continua, alia discreta. Quę diuisio duas species immediate sub quantitate positas assignat: nempe quãtitatem continuam, & quantitatem discretam, quarum definitiones siue descriptionis ex Aristotelis declaratione colliguntur.

Caput. xxvij.
¶ De quantitate continua, & primo ponitur definitio eius.

Definitio quãtitatis continuę.

Quantitas continua est, cuius partes copulantur ad aliquem terminum communem.

¶ Ut partes lineę copulantur ad punctum. Dicitur autem in proposito terminus communis aliquarum partiũ, quod est principiũ vnius & finis alterius. Ad quarum difinitionum intelligentiam notandum est, quod quantitatis continuę secundum propriam enumerationem sunt quatuor species, nempe linea, superficies, corpus, siue (ad distinctionem a corpore prędicamenti substantię) corpulentia & tempus. Nam de loco quam velut quintã speciem prioribus cõnumerare videtur Aristoteles, cõmunior est sententia, non esse a superficie speciẽ distinctam, sed tantum secundum connotatũ ab ea differre, quatenus videlicet supra significationem superficiei locus connotat vel vltra significat, alicuius rei intra se continentiam. Siquidem locus dicitur superficies continens aliquid, nempe rem locatam.
¶ Priores autem quatuor species sunt distinctę sub quantitate continua, vt species sub eodẽ immediato genere cõtentę, Linea nanque, superficies, corpulentia, & tempus, quantitates sunt, & continuę quã-

titates. Quantitates quidē, quoniā secundum ipsam, res dicuntur quantę, vt pote secundum lineam longę, secundum superficiem latę, secūdum corpulentiam crassę aut profundę, secundum tēpus diuturnę. Cōtinuę autem dicuntur, quoniam singulę earum partes suas habent per aliquem communem terminum adinuicem compositas. Lineę enim partes copulantur per intermedium punctum, qui vnus & idem numero, finit partem vnam, & alteram incipit: atque ideo punctus dicitur terminus communis lineę. Superficiei item partes cōtinuantur per terminum communem, nempe per lineam. Corpulentię vero partes per superficiem continuantur, ipsa tamē nullius alterius quantitatis partes copulat. Ac proinde sicut punctus est communis terminus lineę, sic linea superficiei: sic deinde superficies corporis, corpus vero nullius alterius quantitatis est terminus. ¶ Habet quoqz tempus partes suas continuatas per communem terminū. Pars enim quę precessit iamqz effluxit & ea quę subsequitur quęqz iā incipit, per presens tempus, siue (vt magis proprie loquamur) per presens instās, aut momentū aut indiuisibile temporis continuatur: quod quidē momentum presens, terminus est partis iam elapsę siue preteritę, & initiū partis euestigio absque intermedia distantia subsequētis. ¶ Ex quibus colligi facile possunt singularum suprapositarū specierū qualescunque definitiones: hoc modo, Linea est quantitas continua, cuius partes copulantur per punctū. Superficies est quantitas continua, cuius partes copulantur per lineā. Corpus est quantitas continua, cuius partes copulantur per superficiem. Tempus est, quantitas continua, cuius partes copulantur per presens tēpus, siue instans presens. Sed harū rerū latior deductio atque plenior declaratio, ad physicā magis q̄ ad Dialecticam spectat.

Definitiones lineę superficiei, corporis & temporis.

Caput. xxviij.

¶ De altera specie quantitatis, nempe de quantitate discreta.

Quantitas discreta est, cuius partes non copulantur per aliquem terminum communem, sed abinuicem distinctæ sunt & separatæ.

¶ Sub hac quātitate discreta cōtinetur numerus cū omnibus speciebus suis, vt pote binario, ternario, & ita de alijs. Numeri siquidē partes per nullū terminū communē copulātur. Et partes denarij, quinque, & quinque, nō continuantur adinuicē per aliquid quod esset vnius partis initiū, & terminus alterius, sed abinuicē sunt discretę & segregatę, propter quod etiā discreta quātitas appellatur. ¶ Addit quoque Aristoteles numero orationē dicēs, etiā eā esse quantitatē discretā, eo q partes vocales habeat abinuicē diuersas & discōtinuas. Et cū dico, Joānes, Andreas, currere, partes orationū harū abinuicē sunt discretę & discontinuę. Ideo orationē dicit esse quantitatem discretā ¶ Uerum de hac oratione difficultas est non minima, quid per eam

Definitio quantitatis discretę.

debeat intellegi, Nam si per orationem intelligatur ipsa vox ex partibus pluribus constans, id est, ex pluribus vocibus partialibus, nō videtur hoc modo oratio recte dici quātitas, cū omnes voces, imo omnes soni proprium sibi habeant locum in prędicamento qualitatis, vna cum cęteris obiectis aliorum sensuum, quemadmodum suo dicetur loco. Si autem ista vocalis oratio hic non intelligatur ab Aristotele, difficile videbitur aliquid aliud ad propositum commode assignari. ¶ Huius difficultatis duplex est solutio. Quidam per orationem in proposito intelligunt ipsum numerum, qui subiectatur in partibus orationis vocalis, quo videlicet partes plures vnius dictionis numerātur. Ut in hac oratione dominus, ternaris quo numerantur tres istę voces aut syllabę, do, mi, & nus iuxta hominum sententiā appellatur oratio. Verū hic noua emergit difficultas. Si enim oratio ista non aliud est, quā numerus ille in partibus orationis vocalis subiectatus, quomodo ergo Aristoteles tanquā species diuersas aut genera diuersa sub quantitate discreta ęque immediate iungit numerū & orationē? Sic enim oratio sub numero cōprehenditur, quoniā omnis talis oratio est numero. Quam tamen obiectionem ita soluunt, dicentes, orationem non esse speciem diuersam, vel genus aliud a numero sed ambo vnum esse secundum principale significatum, nec esse differentia, nisi in cōnotato (vt appellant) siue cōsignificato: quemadmodum supra dictum est de superficie & loco, non esse illa diuersa genera vel species diuersas, sed tantum connotato differre. Sic enim dicunt orationem principaliter significare numerum, simul tamen significando numerum, vt est in partibus orationis alicuius subiectatus. Unde hanc dicunt prędicationem identicam. Oratio est numerus, sicut & illa, locus est superficies & e contrario, ęstimatur identica quoniam vtrobique, secundum principale significatū idem significāt subiectum & prędicatum. ¶ Hęc autem solutio tametsi vtcumque satisfaciat, tamen si exacte perpendātur Aristotelis verba, & penitus introspiciantur, videbitur aliud aliquid voluisse per orationē intelligere, nec ita pro eodem ista computasse. Propter quod ab alijs dicitur per orationem in proposito intelligi certam mensuram & quātitatem syllabarum, per quam oratio vocalis secundum syllabas longas vel breues pronunciatur, vt ex singularum syllabarum quantitatibus de quibus ars metrica tractat totius orationis cōsurgat vna mēsura quę quantitas recte dicitur, eo quod orationem mensuret & quantam denominet. Discreta autem quantitas dicitur, eo quod quantitates illę singularum syllabarum, ex quibus conflatur vna quantitas totius orationis vno spiritu prolatę, per nullum terminum communem sunt coniunctę, sicut nec ipsę syllabę vllo communi termino adinuicem cōiunctę sunt. Quam sententiam aperte satis indicare videtur Aristoteles, cum de ea dicait, Quod autem quantitas sit oratio, manifestum est. Mensuratur enim syllaba longa & breui. In quo verbo indicare videtur, istam quantitatem potius accipiendam esse secundum mensuram longitudinis vel breuitatis syllabarum, quā secundum numerum tantum earum.

Caput. xix.

¶ De secunda diuisione quantitatis.

Quantitatis aliud constat partibus habentibus adinuicem positionem, aliud constat ex partibus non habentibus positionem adinuicem. Secūda diuisio quantitatis.

¶ Pro huius diuisionis intellectu, explicādum est primo quid sit partes alicuius habere positionem, ac deinde quę quantitates tales sint aut non sint. Requirit autem (vt Boetius tradit) ista partium adinuicem positio tria. ¶ Primum vt partes ipsę alicubi sint, ita vt possis demonstrare hanc partem in tali loco, et illam in alio, atque ita vnicuique parti suum locum vel suam partem loci designare. Secundum vt partes non sint in fluxo, nec pereant, sed simul permaneant. Tertium, vt partes ad vnuicem coniungantur et couniantur. ¶ Huiusmodi autem quantitates sunt, linea, superficies, et corpus, ac iuxta Aristotelis conumerationem locus. In linea siquidem partes adinuicē positionem habent, quoniam singulę partes certum locum suum obtinēt, et singulis suus locus potest demonstrari, dicēdo: hęc pars linęę est ad dexteram, illa ad sinistram: hęc finem ibi accipit, illa initium. Item partes non fluūt nec pereunt, sed permanent et simul existunt. Adinuicem autem continuantur et copulantur per pūctum, vt supra dictum est. Ita suo modo dicendum de superficie et corpore. ¶ Vbicunque vero horum aliquod defuerit, illic non dicuntur partes habere dispositionem. Vnde tempus quamuis quantitas continua sit, non tamen habet partes eius positionem, defectu duorum priorum requisitorū. Nec enim partes temporis alicubi sitę sunt, vt possit eis suus cuique locus assignari. Deinde neque permanet simul subsistentes sed in continuo fluxu sunt, vt vna adueniente, altera cogatur cedere et vna abeunte, altera debeat succedere, quoniam iuxta illud Poetę, Fugit hora, et hoc quod loquimur, inde est. Recte tamē dicimus eas habere ordinem, videlicet secundum successionem, quoniam vna est prior, altera posterior: vna pręcedens, altera subsequēs. ¶ Numerus quoque non constat ex partibus habentibus positionem defectu primi et tertii: quoniam partes non habent continuationem adinuicem imo neque determinate situm aliquem habēt, vt demonstrari possit, hęc pars numeri hic est, illa illic. Possunt tamen partes eius dici adinuicem habentes ordinem, quoniam binarius est prior ternario, vt ternarius prior est quaternario atque ita in ceteris.

Caput. xx.

¶ De communitatibus, et proprietatibus quantitatis.

¶ Quemadmodum autem substantię secundum suam naturam supra assignauimus certas quasdam conditiones: quas vel cōmunitates, vel proprietates nominauimus, sic et quantitati veniunt assignandę aliquot ipsi ex natura sua competētia, vel communiter cum alijs, vel proprie. Prima conditio quantitatis hęc est.

Prima proprietas quantitatis.

¶ Quantitati nihil est contrarium.

¶ Non est autem hoc quantitati proprium quarto modo. Est enim ei cum substantia commune. Secundo tamen modo proprium dicitur, quoniam omni quantitati conuenit, id quod in singulis est manifestum. Linea enim nõ contrariatur superficiei vel corpori, quoniã simul in eodem sunt linea, superficies, ⁊ corpus. Imo ⁊ in se inuicem existunt, ⁊ a plerisque dicuntur inesse tanquam accidentia. Et verbi gratia, lineam esse dicunt in superficie, tanquam accidens in subiecto, ita superficiem in corpore. Non enim cum veritate dici poterit, lineam esse in superficie, aut superficiem in corpore per modũ partis integralis, quoniam non componitur superficies ex lineis, tanquam ex suis partibus, neque corpus ex superficiebus, sicut nec linea ex pũctis componitur. Sed habet superficies lineam pro termino communi, ad suarum partium continuationem, ⁊ corpus superficiẽ suas partes continuantem. Impossibile est autem contraria eidem simul inesse, ac magis etiam sibiinuicem in esse. ¶ Tempus quoque nulli est cõtrarium. Nam dies ⁊ nox licet videantur quandam habere positionẽ non tamen proprie contraria sunt, sed sunt priuatio ⁊ habitus. Dies quoq; vt nocti opponitur non ipsum tempus significat, sed illuminationem aeris, aut pręsentiam solis supra nostrum hemisphęrium. Neq; hyema ⁊ ęstas per se contria sunt. Per accidens enim videntur aliquo modo contrariari, ratione contrariorum effectuũ, qui vigent tempori hyemis ⁊ tempore ęstatis. Hyeme namque humiditas ⁊ frigiditas, ęstate vero siccitas ⁊ caliditas vigent. Ceterum inter tempus ipsum hyemale ⁊ ęstiuum, nulla est per se contrarietas. Ita enim ⁊ lineam rectam per accidens dicimus cõtrariari linee curuę, quoniã videlicet rectitudo ⁊ curuitas qualitates per se contrarię sunt, a quibus illę duę lineę dicuntur per accidens contrarię, sicut superius in substantia diximus, hominem album nigro contrariari per accidens. ¶ Preterea numerus nullum habet contrarium. Nam duo non contrariantur tribus, neq; tres quatuor, atq; ita in ceteris. Quod ita declaratur, quoniam non videtur maior ratio cõtrarietatis inter binarium ⁊ ternarium, quam inter binarium ⁊ quaternarium aut quinarium. Idem igitur binarius infinita haberet contraria. quod est impossibile, cum determinate vnum vni sit contrarium vt albedo nigredini, virtus vitio, aut vt plurimum vnum duobus, in illis videlicet vbi secundum excessum ⁊ defectum a medio sumitur contrarietas, quemadmodum eadem liberalitas secundum excessum habet contrariam prodigalitatem; secundum deffectum vero auaritiam. Relinquitur itaq; binarium nullum esse contrarium, ac proinde nec vlli numerorum. Par siquidem est de omnibus ratio. Preterea, contrariorum alterum nõ includitur in altero, sed numerus alius alium includit vt pote ternarius binarium: quaternarius ternarium. Nõ igitur possunt numeri esse adinuicem contrarii. Per singula ergo discurrentes ostendimus nulli quantitati quicquam esse contrarium.

¶ Contra hanc autem proprietatem facit obiectionem. Aristoteles de magno ⁊ paruo, multo ⁊ pauco. Ista enim videntur esse cõtraria,

⁊ nihilominus quãtitates. Videntur igitur quantitates sibi inuicem esse contrarię. Cui obiectoni satisfacit dupliciter. Primo, negando quod assumitur, magnum ⁊ paruum esse quantitates. Non enim proprie quantitatem significant magnum ⁊ paruum, multum ⁊ paucum, sed ad aliquid siue relationẽ. Quod ita declarat: Dicimus enim aliquid magnum, aut paruum, secundum comparationem vel relationẽ ad alterum. Ut montem istum dicimus paruum, in comparatione ad alterum maiorem, ⁊ granum milij vel sinapis dicimus magnum in cõparatione ad aliud simile granum minus. Non diceremus autem mõtem paruum, ⁊ milij, aut sinapis granum magnum, si simpliciter ⁊ absolute diceretur magnum ⁊ paruum, ⁊ non magis secundum relationem vel comaparationẽ. Similiter de multis ⁊ paucis declarat: quoniam in ciuitate aliqua magna dicimus esse paucos homines, in vico autem vel pago multos, cũ tamen simpliciter illic plures sint quã hic. Nisi igitur secundum relationem ⁊ cõparationem diceretur multum ⁊ paucum nunquam ita dicerent homines. Nec autem in ciuitate illa magna dicunt homines esse paucos, comparatione facta ad ciuitatem aliam in qua longe plures sunt homines, ⁊ in vico dicunt esse multos comparatione ad vicum alium in quo sunt pauciores. Manifestum est ergo magnum ⁊ paruum, multum ⁊ paucum esse ad aliquid ⁊ secundum comparationem vel rationem dici. ¶ Secundo respondet Aristoteles prędictę obiectioni, negando assumptum alterum de contrarietate magni ⁊ parui, multi ⁊ pauci. Hęc enim adinuicem nõ sunt contraria. Quod primum quidem ex pręcedentibus consequitur, quoniam contrarietas proprie dicta non nisi in qualitatibus inuenitur. Magnũ autem ⁊ paruum non qualitates sunt, sed ad aliquid in quibus nõ inuenitur cotrarietas. Deinde ⁊ ita probatur. Si multum ⁊ paucum, magnum ⁊ paruum essent contraria, consequẽs esset contraria simul de eodem pręedicari. De eodem siquidem monte vere dicitur, hic est mons magnus ⁊ mons paruus. Magnus quidem, comparatione ad montem alium minorem: paruus vero cõparatione ad alium maiorem: Sic demostrata eadem hominum multitudine, vere dicitur. Isti homines multi sunt ⁊ pauci. Multi quidem, respectu pauciorũ: pauci vero, respectu plurium. Simul igitur eidem inerunt contraria, si magnum ⁊ paruum dixerimus esse contraria.

Caput. xxxi.

¶ Secunda proprietas quantitatis.

Quantitas non suscipit magis & minus.

¶ Non est item hoc proprium quarto modo quantitati, quoniam nõ soli quantitati conuenit, quod supra dictum ⁊ declaratum est conuenire etiam substantię. Proprium tamen secũdo modo dicitur. Omni enim quantitati, ⁊ si non soli conuenit. Omnis enim quantitas nõ suscipit magis ⁊ minus. Id in singulis liquet. Linea enim vna nõ est magis linea quam altera neque superficies vna est magis super- Secunda proprietas quãtitatis.

ficis quam altera, neque corpulentia ista est magis corpus vel corpulentia quam altera. Sed neque tempus vnum est magis tempus quã alterum, neque numerus vnus est magis numerus quam alius. Item faciendo comparationem generum ac specierum adinuicem, non dicitur quãtitas continua magis quãtitas quã discreta, vel e cõtrario. Neque linea dicitur esse magis, quãtitas, vel cõtinua quãtitas, quã superficies aut corpus. Neque tempus magis quam numerus. Neque denarius dicitur magis numerus quam binarius, atque ita in singulis. Patet igitur per inductionem, omni quantitati hoc conuenire: vt neque eat magis aut minꝰ suscipere. ¶ Quod si quis obijciat, lineã vnam dici maiorem altera, aut magis longam. Item superficiem dici maiorem vel magis latam, sic ꝛ corpulentiam maiorẽ vel magis spissam, ita tempus dici maius vel magis longum, numerum quoque alium alio dici maiorem vel magis multum. Videntur igitur quantitates istę dici secundum magis ꝛ minus. Soluitur obiectio, per negationem consequentię. Aliud enim est suscipere magis ꝛ minus, sic loquendo per aduerbia: aliud maius ꝛ minus, loquendo per coparatiua nomina. Quantitatem enim non suscipere magis ꝛ minꝰ est, nullum genus aut speciem prędicamenti quantitatis prędicari vere cũ istis aduerbijs se determinantibus. Atque ita res habet. De nulla enim quantitate potes dicere, Hęc est magis quantitas quam illa, aut magis continua vel discreta quã illa, aut magis linea vel superficies, vel tempus quam illa. Neque item in concretis, hoc est magis quantum illo, hoc est magis continuum aut magis discretum illo, hoc est illo magis lineatum vel superficiatum, ꝛ cętera. Cuius ratio est, quoniam realis ipsa quantitatis natura non recipit intensionem vel remissionem. Atque ob hoc nullus terminus prędicamenti quantitatis prędicari potest cum aduerbijs illis quę proprie significant intensionem vel remissionem formę: per ipsum quod determinent, significatę ¶ Cum autem dicitur linea esse maior, aut magis longa, ꝛ alia huiusmodi, manifestum est nullum terminum prędicamenti quantitatis illic prędicari cum aduerbijs magis ꝛ minus, nec vllam ibi intensionẽ vel remissionem significari. Significatur enim tatum excessus vel defectus in extensione secundum longitudinem, aut latitudinem, aut corpulentiam, vel secundum diuturnitatem aut numerum. Sic etiam substantia vna dicitur magis longa quam alia, aut magis alba, vel nigra, non tamen ob hoc dicitur suscipere magis ꝛ minus, vt suo loco declaratum est.



Caput.xxxij.

¶ Tertia proprietas quantitatis.

Tertia proprietas quãtitatis.

MAxime proprium quantitatis est æquale, vel inęquale dici.

¶ Hoc est

¶Hoc est. Quantitati proprie ⁊ quarto modo proprium est, vt secū
dum ipsam aliquid dicatur ęquale vel inęquale. Exempli gratia, secū
dum longitudinē aut latitudinē, aut corpulentiam dicūtur res ęqua
les, aut inęquales, id est, ęque longę, ęque latę, aut ęquę corpulentę
item secundum tempus dicuntur res ęquales duratione, id est, ęque
diuturnę. Secundum numerum dicuntur ęquales multitudine, id est
ęque multę. In omnibus autem his significatur ęqualitas. ¶Non su-
mitur autem ęqualitas vel inęqualitas proprie dicta, nisi secundum
aliquam harum quantitatum. Secundū enim qualitates, vt albedinē
vel nigredinem, non sumitur ęqualitas vel inęqualitas, sed tantum si
militudo ⁊ dissimilitudo. Non enim simpliciter ęquales dicuntur se
cundū albedinem vel nigredinē, scientiam vel virtutem, sed ex his si-
miles dicuntur aut dissimiles. ¶Sumitur autē ęqualitas vel inęqua
litas non eodem modo in quantitatibus cōtinuis ⁊ discretis. In dis
cretis enim, secundum identitatem tantū speciei sumitur ęqualitas,
⁊ econtrario, secundum speciei diuersitatē inęqualitas. Et duo bina
rij ęquales dicūtur, itē duo ternarij, duo quaternarij: ⁊ secundū duos
binarios dicūtur duo homines numero ęquales, duobus equis, qua
tuor homines quatuor equis. Binari⁹ autē ⁊ ternarius sunt inęqua
les, itē binarius ⁊ quaternarius: ⁊ vniuersaliter, binarius omni nu-
mero pręterquam binario est inęqualis. Unde secundum numerum
duo homines trib⁹ aut quatuor dicūtur inęquales. ¶Inter quantita
tes autē cōtinuas, nō ita facile cognoscitur ęqualitas vel inęqualitas.
Nō enim sufficit ad ęqualitatē idētitas speciei. Non enim oēs lineę
dicūtur ęquales, nec omnis superficies, nec omnia corpora. Neque
item inęqualitatē facit diuersitas speciei: quę ad ęqualitatē nec requi
ritur, nec sufficit. Non quidē requiritur quoniā vna linea alteri eius
dem speciei inęqualis esse potest. Nec sufficit, quoniā linea non dici
tur esse inęqualis superficiei. Sciendum itaque est inter quantitates
continuas illas esse ęquales quę sunt eiusdem speciei, ⁊ eiusdem men
surę specialis: illas autē inęquales, quę sunt eiusdem speciei, sed di-
uersarum mensurarum specialium. Ut linea quę mēsuratur longitu-
dine vnius cubiti aut pedis, dicitur ęqualis alteri lineę similiter cu-
bitali aut pedali, ⁊ bipedalis linea alteri bipedali. Itē superficies quę
mensuratur latitudine triū pedū, dicitur alteri superficiei ęque latę
ęqualis: ⁊ corpus profundū sex pedes, dicitur alteri eandē profundi
tatē habēti ęquale secundū profunditatē. At vero linea longitudinis
pedalis, inęqualis est alteri lineę habēti bipedalē longitudinē, ⁊ su-
perficies latitudinis triū pedū, est inęqualis habēti latitudinem qua
tuor pedū, ⁊ ita in cęteris. Sic tēpus qd vnius horę duratione men
suratur, dicitur ęquale alteri quod mensuratur duratione ęquali. Tē
pus autē vnius horę ⁊ tēpus duarū horarū, dicūtur inęqualia tēpo-
ra. Modus itaque mensurādi specialis in eadē specie, facit ęqualita-
tem vel inęqualitatem inter quantitates continuas. ¶Signanter di
cimus, modus mensurandi specialis, quoniam generalis modus mē
surandi, nempe secundum longitudinem aut latitudinem, aut profun
ditatem, aut durationem, in generali, non facit ęqualitatem. Alioqui

omnia tẽpora essent equalia, et omnes lineę equales, et omnes superficies sibi inuicem. Sed secundum speciales modos mensurandi, sumi debet equalitas vel inequalitas. Et pote secundum longitudinẽ tantam vel tantam, secundum latitudinem tantam vel tantam, secundũ



profunditatem tantam vel tantam, secundum durationem tantã vel tantam.

De prædicamento quantitatis.

¶ Visa parte textuali ac expositione eius, sequitur secũda quę dicitur argumentatiua.

¶ Pars argumentatiua.

Primũ ar. ¶ Et primo arguitur sic, nulla propositio incõgrua est vera, nec falsa: sed prior diffinitio quantitatis est propositio incongrua: ergo nec vera, nec falsa. Sequela est bona in Celarẽt, maior probatur, ait enim primo per hi hermenias: verum & falsum præsupponunt congruum. Sed minor probatur, Relatiuum & antecedens cõueniunt in genere sed quantitatis aliud continuum, aliud non, non conueniunt in genere, igitur.

ij. argumẽ. ¶ Secundo arguitur sic. Ex non quantis, non fit quantum sed vnitates sunt nõ quãtæ, quia indiuisibiles, ergo ex eis nõ fit numerus qui est quantus, putà binarius ternarius, &c.

Confir. ¶ Confirmatur, Sequeretur quód idem accidens esset in diuersis subiectis, quod videtur inconueniens.

iij. argumẽ ¶ Tertio sic, Oratio est species qualitatis, ergo nõ quãtitatis.

Confir. ¶ Confirmatur. Omnis oratio vel est mentalis, vel vocalis, vel scripta, sed nulla talis est quantitas, &c.

iiij. argu. ¶ Quarto arg. sic. Nulla linea est sine superficie, nec superficies sine corpore, ergo male dicitur quod linea est lõgitudo sine latitudine, & superficies est lõgitudo & latitudo sine profunditate.

Confir. ¶ Confirmatur, Corpus componitur ex eis: ergo non distinguitur ab eis.

Item, Corpus est species substantiæ, ergo non est species quãtitatis.

¶ Quinto sic, Receptũ recipitur per modum recipientis, vt patet de aqua recepta in vase quadrato, ergo si punctum recipitur in linea, erit longum & linea in superficie erit lata, & superficies in corpore profunda erit, quod est contra naturam istorum. v. argumẽ.

¶ Pars responsiua.

¶ Ad primum. Totum conceditur, & ad probationem minoris dico, quòd ly aliud non refert ly quantitatis, sed ly genus subalternum, & sic non est incõgruitas aliqua cum sit sensus Generum subalternorũ quantitatis aliud continuum aliud discretum. Ad. pri. ar.

¶ Ad secundum, distinguo maiorem, ex nõ quantis tã in actu quàm in potẽtia vt sunt puncta in linea instãtia in tempore, & mutata esse in motu non fit quantum, sed ex numero in sola potentia bene fit quantum puta numerus. Ad. ij. arg.

¶ Ad confirmationem dico, quòd nullum est iñ conueniens illum numerum esse vbi sunt suæ vnitates & hoc naturaliter quantitas videlicet discreta est vbi sunt suę vnitates. Ad confir.

¶ Ad tertium dico, quòd oratio si capiatur pro voce, vel pro sono vocis, vel pro oratione mentali, vocali, vel scripta, vel pro numero literarum vel syllabarum: non est species quantitatis, si tamen summitur pro mensura literarum, & syllabarum qua intrinsecé mensuratur sic est species quantitatis. Et si quis obijciat contra, quia syllaba mensuratur tempore, longo, vel breui, ergo non habet aliam mensurã, respõdeo, quòd duplex est mensura intrinseca, & sic est quantitas syllabæ, extrinseca & sic est tempus. Ad. iij. arg

¶ Ad quartum dicitur, quòd argumentum non currit quia licet accidens non sit sine substantia, nec substantia sine accidente vnum non est aliud, & punctus est in linea & linea in superficie, & superficies in corpore, sicut accidentia in subiecto. Item in diffinitione id ponitur quód est de essentia eius scilicet longitudo in linea: longitudo & latitudo Ad. iiij. ar.

in corpore & cætera.

Ad.v.arg. ¶ Ad quintum, Quòd receptum debet recipi per modum recipientis, concedo si ipsum receptum sit extẽsibile, si verò nõ est extensibile, non oportet: ista enim accidentia sunt in subiecto diuisibili indiuisibiliter.

Pars dubitatiua.

¶ Primum omnium quæritur, an numerus distinguatur à rebus numeratis?

Numerus duplex. ¶ Respondeo, quòd duplex est numerus, scilicet transcendentalis, & prædicamentalis, de primo ponitur talis conclusio. Numerus transcendentalis. Numerus transcendentalis non distinguitur à rebus numeratis. Probatur, Vnitates transcendentales non distinguuntur à rebus quarum sunt vnitates, ergo nec numerus compositus ex eisdem vnitatibus vt dualitas, vel binarius, quæ prædicãtur de duobus angelis non distinguuntur ab illis, realiter licet bene formaliter.

Numerus prędicamẽtalis. ¶ De numero vero prędicamentali, talis ponitur conclusio: nempe probabilis atq; consona rationi. Numerus prędicamẽtalis distinguitur à rebus numeratis, quæ probatur multiplici ratione.

¶ Primo sic, Vnitates ex quibus cõstituitur talis numerus prędicamentalis distinguuntur realiter à rebus numeratis, ergo & numerus compositus ex talibus vnitatibus. Sequela videtur bona, & antecedens probo. Quia illę vnitates sunt accidẽtia, & res numeratæ aliquando substantiæ, ergo intentum.

¶ Secundo probatur sic eadem conclusio: Sensibile, & insensibile sunt opposita, Sed numerus est sensibilis (vt ait Philosophus secundo de anima,) & res numeratæ sunt substantiæ quæ sunt insensibiles, ergo conclusio vera.

¶ Tertio sic, Illa distinguuntur realiter, quorum vnum manet altero non remanente vel saltem potest manere, sed res numerata potest manere absq; tali vnitate, ergo distinguuntur

realiter. Maior est nota & minor probatur, Ponãtur duę guttæ aquæ separatæ, illæ dicuntur duæ quia dualitate prædicamentali continuantur: Iterum & iungantur, iam non erunt duæ tali dualitate, prædicamentali, ergo res numerata abq; tali numero manet.
¶Quarto probatur sic, Indiuisibile distinguitur à diuisibili, sed vnitas est indiuisibilis, & res numerata diuisibilis, ergo distinguuntur realiter.
¶Quinto sic probatur. Accidens distinguitur à substantia, & illæ vnitates imó, & numerus constitutus ex illis vnitatibus est accidens, res vero numeratæ sunt substantiæ, ergo conclusio vera, ália squantitas esset substantia quod est falsum.
¶Item sequeretur quôd videns exercitum decem millium hominum videret decem millia hominum quod est falsum: potest enim cognoscere numerum, vbi & quando non cognoscit res numeratas.

¶Obiectio.

¶Contra ista conclusionem arguitur sic, primo authoritate Commentatoris dicentis, quôd mens facit numerum in subiectum, ergo numerus non distinguitur à rebus numeratis. Primũ ar.
¶Secundo arg. sic. Si numerus distingueretur à rebus numeratis, sequeretur quôd producens vnum continuum puta pomum, vel pirum produceret tot numeros binarios quot erãt entia continua, quod patet, quia producens continuum, producit suam vnitatem, quęcum qualibet alia facit binarium. ij. argumẽ.
¶Confirmatur, quia si sic, posset agens naturale, in quacunq; distantia producere vnitatem illam imó & ipsum numerum: quod videtur falsum quia agens naturale saltem in producendum absolutum effectum requirit determinatam differentiam. Confir.
¶Tertio arguitur sic, Circumscripto à tribus rebus omni eo quod non est, idem ipsis adhuc facit numerum ternarium, ergo numerus non distinguitur à rebus numeratis. iij. argumẽ

Confir. ¶ Confirmatur, Omnibus semotis quæ non sunt ipsæ res numeratę adhuc quilibet numerus dicitur vnus, ergo vnitas est inseparabilis, & similiter numerus, qui componitur ex vnitatibus.

¶ Solutio.

Ad primũ. ¶ Ad primum quando arguis, Mens facit numerum in subiectũ, &c. Respondeo, quód triplex est numerus, putà numerus numeratus, qui est ipsæ res numeratæ, alius est numerus quo numeramus, puta binarius, ternarius, &c. Alius est numerus numerans, qui est ipsa mens numerans res numeratas, & de hoc intelligit commentator, quod mens facit numerum, id est numerat.

Ad.ij. arg. Et ad cõfirmationem ¶ Ad secundum quando arguis, Si numerus distingueretur à rebus numeratis, sequeretur quod producens vnũ continuum, &c. Respondeo, concedo Sequelam & dico, quod non est inconueniens producere tot binarios, quot sunt vnitates, imò dico, quòd producens continuum producit infinitas partes in potẽtia. Smiliter ad cõfirmationem dico, nõ esse inconueniens.

Ad.iij.arg. ¶ Ad tertiũ dico admisso casu possibili Deo q; tunc illæ res essent tres, trinitate transcendentali, & non prædicamentali.

Ad confir. ¶ Ad confirmationem dico, quòd duplex est vnitas materialis & extrinseca, ex qua cum alijs componitur numerus: alia est intrinseca, quã numerus habet ex sua propria natura, quæ dicitur formalis à qua quilibet terminus vocatur vnus. Sed dubium est, an iste numerus distinguãtur à suis vnitatibus ex quibus cõponitur? Ad q; respondetur secundum mentẽ Scoti in tertio, distinctione secũda secũde, questione vnica, quòd sic, quia alias numerus non esset magis vnus quàm acceruus lapidum, quod est falsum, cum sit species acceruus vero lapidum non.

ij. dubium. ¶ Dubitatur secundo, An sint ponenda ista indiuisibilia, vide

licet puncta in linea, lineæ in superficie, superficies in corpore & si distinguantur à se inuicem realiter?
¶Ad secundum respondetur ponendo talem conclusionem. Talia indiuisibilia, sunt ponenda distincta inter se realiter, & etiam à rebus quas mensurant videlicet est linea indiuisibilis secundum latitudinem & profunditatem. Est nimirum superficies indiuisibilis secundum profunditatem, est etiam punctum indiuisibile simpliciter prædicta probantur aucthoritate & ratione. Primo authoritate Eucliuis dicentis. Punctum est cuius pars non est, secundo aucthoritate philosophi. In de cœlo, & mundo dicentis, Corpus est diuisibile tripliciter, videlicet secundum profunditatem, latitudinem atq; longitudinem: superficies dupliciter, videlicet secundum longitudinem & latitudinem, sed est indiuisibilis secundum profunditatem: linea est diuisibilis vno modo tantum, videlicet secundum longitudinem sed indiuisibilis secundum latitudinem, atq; profunditatem, ergo ista indiuisibilia sunt ponēda in substantia corporea. Ad ij. dū.
¶Secundo probatur ratione. Primo sic, Vltimus terminus ea parte qua terminat est indiuisibilis, & probatur, quia aliàs nō esset vltimus terminus, sed punctum terminat lineam, linea superficiem, superficies corpora: ergo tam punctum, quàm linea, quàm superficies sunt indiuisibilia.
¶Secundo sic, Illud quod sphera tangit in plano est aliquid in re, sed sphera tangit indiuisibile in plano. Probo minorem quia illa quæ sunt secundum se vel aliquid sui se tangunt, sunt simul & eiusdem figuræ, ergo sphera tangit planum, tangit ipsum in aliquo eiusdem figuræ. Si figura dici potest.
¶Secunda conclusio, Quantitas distinguitur a substantia, & qualitate realiter, quam sic probo, ait enim philosophus primo physicorum, si substantia, & quantitas sunt, duo sunt quæ sunt, & non vnū est quòd est, ergo distinguūtur realiter. Item idē in loco allegato, si sola substātia esset magnitudo non esset. Idē philosoph⁹ primo posteriorū. Oīs ꝓpō. ē immediata in qua negatur vnū generalissimū de alio, vt substātia nō est Secū. con.

qualitas,& quantitas nō est qualitas & sic de alijs,ergo distin guuntur realiter. Probatur etiam authoritate. August. libro de trinitate ait enim,In vna quaq; substātia corporea aliud est substantia,aliud qualitas,aliud quantitas. Ratione etiā probatur eadem cōclusio. Si enim non distinguerentur,substantia,& qualitas realiter omnis motus ad quātitatem esset motus ad substantiam,& sic augmentatio esset generatio substātialis quod est falsum. Probatur etiam eadē conclusio(authoritate Ecclesiæ catholicæ) in Eucharistia est quātitas & qualitas panis sine substātia eiusdem. Vnde canit ecclesia, Dogma datur Christianis,quód in carnem transit panis, & vinum in sanguinem. Quod non capis quod nō vides animosa firmat fides,præter rerum ordinē. Sub diuersis speciebus sanguis tā tum,& non rebus latent res eximiæ. Et si dicas ibi esset quantitas, qualitas,licet non sit quantitas substantia. Contra tūc sequiretur quòd in eodem corpore essent plures quātitates, & per consequens penetratio dimensionum quód est contra philosophum.

¶Obiectio.

Pri. obie. ¶Contra prædictas conclusiones.

¶Argumentor sic. Nulla puncta sunt ponenda in linea,ergo conclusio prima falsa:consequentia est bona, & antecedens probatur,quia si sic,duo cōtradictoria essent simul vera,quod sic probo. Hæc sunt verę duo puncta sunt sibi inuicem proxima & eadem duo puncta non sunt sibi inuicem proxima : prima pars probatur,quia vbicunq; est linea ibi sunt puncta, ergo sunt sibi inuicem proxima. Secundam partem probo, bene sequitur,puncta sunt sibi inuicem proxima,ergo linea compónitur ex pūctis,quod est falsum:videtur ergo quód talia puncta indiuisibilia non sunt ponenda.

ij. obiectio ¶Secundo arg. sic. Si talia indiuisibilia essent,vel essent substantiæ,vel accidentia,nō primum nec secundum,ergo non sunt ponenda. Minorem probo quoad primam partem quia

si ponerentur essent quantitates vel aliquid quantitatis: non secundum quia omne accidens est in subiecto adequato, sed ista non sunt in subiecto adequato. Maior videtur vera, sed minorē probo: quia si essent in subiecto adequato, vel ipsum subiectum esset diuisibile vel indiuisibile: si primum haberet partem post partem, & sic ipsum accidens indiuisibile diuisibiliter esset in subiecto extenso quod non videtur consonum rationi. Non secundum quia substantia corporea est diuisibilis.

¶Confirmatur ista ratio. Quia omne accidens denominat suum subiectum, sed nihil dicitur punctatum ā puncto, neq; lineatum ā linea, ergo intentum.

¶Tertio sic. Si linea esset diuisibilis in continuas partes superficiei, ad diuisionem superficiei diuideretur linea & vna corrumperetur, & duæ de nouo producerentur terminantes illā superficiem, sed hoc videtur inconueniens, quia quęro ā quo producerentur illæ lineæ nouę. iii. obiectio.

¶Quarto sic. Omnem rem absolutam distinctā ab alia potest Deus pducere sine alia ā qua est distincta realiter, ergo Deus potest producere punctum sine linea & lineam sine puncto. Et iterum lineam sine superficie, & superficiem sine corpore, & ipsum corpus sine superficie: quę omnia videntur obsurda, & falsa, ergo conclusiones supradictæ sunt falsę, & ita non sustentabiles. iiii. obiectio.

¶Obiectionum solutio.

¶Ad primum respondeo negando sequelam. Et ad probationem, nego q; duo puncta sint sibi inuicem proxima: sed inter quæcunq; puncta mediat linea: nunc valet consequentia. Vbicunq; est linea est punctum, ergo puncta sunt sibi inuicē proxima. Neq; etiam valeret, si puncta essent sibi inuicem proxima: quia non distinguerētur ā se inuicem, & cōceditur q; si mille puncta essen simul, non facerēt maius, quia indiuisibile additum in diuisibili non facit maius. Ad primum.

Ad.ij. ¶ Ad secundum quando arguis, vel essent substantiæ, vel accidentia. Respondeo quod sunt accidentia, & sunt in eodem subiecto in quo sunt quantitates, quarum sunt termini, vt punctũ in subiecto lineæ: linea in subiecto superficiei: superficies in subiecto corporis. Nec oportet quod aliquid dicatur puntuatũ à puncto, nec lineatum à linea: postquàm talia vocabula non sunt multum in vsu, & sic patet responsio ad confirmationem.

Ad.iij. ¶ Ad tertium respondeo, quod diuisio non cadit supra indiuisibile, ex ea parte qua indiuisibile est, non enim diuiditur linea secundum latitudinem, neq; profunditatem: sed bene secundum longitudinem, & tunc concedo quod quando diuiditur aliquid corrumpitur & remanēt duo puncta, quæ continuabāt lineā. Similiter si diuidatur superficies, & de nouo generantur duo indiuisibilia. Hoc est duæ lineæ vel potius remanēt vel reducũtur de potentia in actum terminandi.

Ad.iiij. ¶ Ad quartum respondeo, quod illa propositio est vera, quando vnum realiter distinctorum, non depēdet ab alio: sed in proposito linea dependet à punctis, superficies à lineis. Corpus à superficiebus, non tanquàm à partibus suis: sed tanquàm à terminis ipsa continuantibus & terminantibus, & sic Deus non potest facere lineā sine pũctis, neq; superficiem sine lineis, &c.

iij. dubio ¶ Dubitatur tertiũ. An quantitas distinguatur à substantia.

¶ Obiectio.

Prima. ¶ Contra hanc conclusionem arguitur primo sic. Quantitas nihil aliud est quàm res habens partem extra partem, sed quęlibet substantia corporea habet partem extra partem, ergo substantia corporea est quātitas, & sic non distinguitur, &c.

ij. obiecti ¶ Secundo sic. Omnē rem absolutam positiuā realiter distinctā ab alia potest Deus destruere priori remanente, & nō mutata localiter: tunc sic Deus destruat quantitatē substantiæ, putà lineam, superficiem, corpus remanēte ipsa substantia & nō mutata localiter tunc quæritur, an sit in loco, vel ne? si non, er-

go mutata est localiter quód videtur falsum: si sic, ergo est quã ta, cum omne quod est in loco est corporeum, & quantum, & sic non videntur distingui realiter quãtitas & ipsa substantia.

¶ Tertio argu. sic. Si substãtia corporea distingueretur à quãtitate sequeretur q substãtiæ corporeæ possent esse indiuisibiles, sicut angeli, & per cõsequens spirituales, quod sic probo: ablata quantitate ipsa substantia non est parua nec magna ergo nõ habet partes: vltra, non habet partes, ergo est indiuisibilis & spiritualis. iij. obiectio.

¶ Solutio.

¶ Ad primum dicitur, q quantitas habet partem extra partẽ & existentiam localiter, & circunscriptiuè. Sed substantia sine quantitate non habet partem extra partem circunscriptiuè, & localiter, nec est magna nec parua, est tamen in loco determinatè, & diffinitiuè, & fortè habet partẽ extra partẽ entitatiuè. Ad primũ.

¶ Ad secundum dico, q Deus potest illud facere: & quando substantia, esset sine quãtitate mutaretur localiter determinatè, vel deffinitiuè: sed non demensionaliter & circunscriptiuè. Ad. ij.

¶ Ad tertium dicitur, q substantia sine quantitate esset indiuisibilis in partes quantas, sed non in partes substantiales, & entitatiuas, & illæ partes substãtiales nõ esset quãtæ, quia mẽbra vt caput, & brachia, nõ esset magna, nec parua, nec lõga, &c. Ad. iij.

¶ Quarto dubitatur an proprietates quantitis sint sufficiẽter assignatæ. iiij. dubiũ.

¶ Obiectio.

¶ Contra quęstionẽ hanc sic arguo. Contrarietas inest quantitati ergo prima communitas insufficienter asignata est. Consequentia est bona, & añs probo. Paruum, & magnum, multũ & paucũ sunt quantitates hic anumeratæ, à philosopho, tamẽ eis inest contrarietas, ergo intentum. Prima obiectio.

¶ Secũ. argu. sic. Quãtitas suscipit magis, & min⁹: ergo secũda pprietas insufficiẽter asignata est cõsequẽtia est bona & añs

probo. Linea bipedalis videtur magis linea quàm pedalis, & ita vna superficies quàm alia, & vnũ corpus quàm aliud &c.

Confirma. ¶ Confirmatur. Numerus ternarius est magis equalis quater nario quàm binarius: ergo suscipit magis & minus.

iij. obiectio ¶ Tertio arguitur sic. Secundum æqualitatem aliqua dicuntur equalia, & secundum inæqualitatem inæqualia, ergo non secundum quantitatem, antecedens est notum, & sequela est bona ergo intentum.

¶ Confirmatur. Semota quantitate substantiæ dicuntur equales vel inæquales, vt duo angeli eiusdem speciei specialissimę dicuntur æquales in perfectione, & duo angeli alterius & alterius speciei dicuntur inæquales, in perfectione essentiali specifica, duæ substantiæ lapideæ dicuntur æquales siue quantitate, vna substantia lapidea, & altera lignea dicitur inæquales absq; quantitate, imo quòd fortius est duo binarij, & duæ lineę ęquales, dicitur ęquales, & sic quantitates secundum quod sunt quantitates dicerentur ęquales vel inæquales quod est falsum, quia nihil est ratio formalis sui ipsius.

¶ Solutio.

Ad primũ. ¶ Ad primũ quando arguis: Paruo & magno inest contrarietas, &c. Respondetur quod ista paruum & magnum possunt capi dupliciter, vno modo pro respectibus, & sic sunt in prædicamento ad aliquid, & sunt relatiuè opposita, & non contraria, propriè dicta: alio modo sumuntur pro fundamentis excessis, vel excedentibus, & si sunt in prædicamento quantitatis, & non relatiuè opposita, imo omne paruum est magnum, & ecõtra, & omne paucum est multum, & è contra.

Ad confir. ¶ Et ad confirmationem responde o. Quod contrarietas potest capi dupliciter vno modo pro repugnãtia qualitatũ quarum vna propria virtute expellit alterã à subiecto, & sic solũ reperitur hæc cõtrarietas inter qualitates, & isto modo quãtitati nihil est contrariũ, Alio modo capitur large pro repugnãtia aliquarũ formarũ vel differentiarũ non se permittentiũ in eodem subiecto, siue virtute propria, siue non: vt inter

formas essentiales ignis,& aquę inter rationale & irrationale,inter perfectum & imperfectum,inter positiuum,& priuatiuum:& isto modo vel aliquo istorum quantitati inest contrarietas.Intelligitur ergo quantitati nihil esse contrarium, primo modo non secundo.

¶Ad secundũ quando arguis quantitas suscipit magis & minus,nego antecedens.Et ad probationem,concedo q linea bipedalis,est maior quàm pedalis,sed nõ magis linea:& sic vna superficies est maior & minor alia,& vnum corpus maius altero,sed non magis corpus.

¶Et ad confirmationem ternarium est magis æqualis quaternario,concedo ratione fundamẽti,id est quantitatis,que suscipit augmentum,&c,q numerus ternarius sit æqualis quaternario cum sint diuersarum specierum & si non æqualis ergo neq; magis æqualis destructo enim positiuo,necessum est sequi destructionem comparatiui. Vel aliter potest responderi q duplex est quantitas,& ex consequenti duplex æqualitas, vel inæqualitas.Quantitas vna vocatur quantitas molis quę diuiditur in continuum,& discretum.Alia nuncupatur quantitas virtutis,quæ quidem est perfectio intrinseca rei,& sic quælibet res habet suam quantitatem,id est,perfectionẽ propriã, quę non distinguitur ab ipsis rebus realiter. Et sic duplex est æqualitas, vel inæqualitas,vnaquę fundatur in rebus quãtis quantitate molis,& hęc dicitur proprietas quantitatis & ãtali inæqualitate vel æqualitate,quæ suscipit augmẽtũ,& decrementum ratione fundamenti id est quantitatis,qua numerus ternarius dicitur magis æqualis quaternario.Alia est æqualitas,& inæqualitas quæ fundatur in perfectione rei, & quantitate virtutis,& ista æqualitas ,& inęqualitas reperiuntur in omnibus rebus & isto modo ternarius potest dici magis ęqualis quaternario,id est, magis accedens ad perfectionem quaternarij quàm binarius sed teneo q inter quasc unq; species distinctas essentialiter est distantia infinita,id est, incomparabilis & in attingibilis.

¶Ad tertium quando arguis.Secundũ æqualitatem,&c.Respondeo q ly secundum potest capi dupliciter,vno modo,vt

dicit circumstantiam fundamenti & sic secundum quantitatem aliqua dicuntur æqualia, vel inæqualia, cum substantia quanta vel ipsa quantitas sit fundamentum æqualitatis & inæqualitatis. Alio modo capitur ly secūdum, vt dicit circunstantiam principij formalis, & sic non capitur hic, quia principium quo aliqua denominantur inæqualia est inæqualitas. Ad alia quæ sequuntur, in eadem confirmatione iam responsum est, q; sicut duplex est quantitas, ita duplex est æqualitas, & inæqualitas & sic in omnibus rebus, reperitur æqualitas & inæqualitas, quæ super quantitatem virtutis fundantur sed pro declaratione huius materiæ, notantur sequentia. Primum q; philosophus rationem quantitatis circumloquitur multoties per rationem diuisibilitatis in partes quantitatiuas. Vnde multoties ratio circunloquitur per passiones, & communiter assignantur quatuor passiones quantitatis: vna est diuisibilitas in partes quantitatiuas: alia finitum, vel infinitum, tertia æquale, vel inæquale quarta ratio mensuræ.

Nota. ¶Item nota quód illa diuisio quantitatis, aliud continuum, aliud discretum, ponitur in neutro genere, primo, vt intelligatur, q; alia res est continua, & alia discreta, secundo, aliud genus subalternum, aliud discretum: tertio sic, aliud membrum diuisionis est continuum, aliud discretum, quia sicut substantia immediatè diuiditur per corporeum & incorporeum, ita quantitas immediatè diuiditur per continuum & discretum. Item nota, quód situs vel situatio vno modo sumitur vt est ordo partium ad suum totum, & sic est in prædicamento quantitatis, sicut ordo brachiorum, colli, ad totum. Alio modo sumitur, vt est ordo partium ad partes loci, & sic est prædicamentum situs.

Quare diuisio quantitatis datur per genus neutrū

Nota. ¶Notandum est etiam, quód omne longum, breue, latum, strictum, profundū, multum, paucum, magnum, paruum: ponuntur in prędicamento quantitatis. Itē nota quód omnis ęqualitas prędicamentalis fundatur in rebus eiusdem speciei, intelligitur in quantitate discreta, cum sit relatio ęquiparantię, vt inter binarium & binarium, & omnis inæqualitas fundatur in rebus diuersarum specierum saltem accidentaliter, cū

sit relatio disquiparantiæ, vt inter binarium & ternarium. Dubium est ad quem terminum communem terminantur partes corporis spherici cum nullam lineam habeat, ad quam partes illius terminentur.

Caput.xxxiij.

De predicamento ad aliquid.

Post predicamenta substantie & quantitatis, Aristoteles adiungit predicamentum ad aliquid, forsitan ea ratione quod in quantitate relatiuorum quorundam siue ad aliquid fecisset mentionem, nempe multi & pauci, magni & parui, propter quod continua determinatione nunc eorum vult tractatum absoluere. Ponit autem duas ad aliquid definitiones, quarum prior hec est.

Adaliquid talia dicuntur, quæcuuque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud. Prior definitio ad aliquid.

Pro cuius definitionis intellectu, notandum est ad aliquid in proposito idem esse quod relatiuum, siue id quod refertur, aut dicitur in ordine ad aliud. Ut pater dicitur in ordine vel in respectu ad aliquid, nempe ad filium cuius est pater: sicut e contrario dicitur filius in comparatione ad patrem. Sic dicitur dominus in relatione ad seruum, & e contrario. Inter hec autem que relatiue sic dicuntur adinuicem, quedam inueniuntur ex principali suo significato relationem significare, siue habitudinem vnius ad alterum, vt ea que iam posita sunt exempla, dominus & seruus, pater & filius. Principale namque significatum quod hi termini important: est habitudo aliqua, vel eius qui genuit ad eum qui genitus est, aut e contrario: vel eius qui habet imperium siue authoritatem precipiendi ad eum in quē habet imperiū. Et hec vocantur ad aliquid secundum esse, videlicet quia secundum esse suum, id est, secundum principale significatum ita referuntur.



Quedam autem inueniuntur vocabula dici relatiue, que tamen ex principali significato non important relationem, sed absolutum aliquid; vt pote vel substantiam vel qualitatem: quemadmodum Aristoteles exempla ponit de virtute & vitio, habitu & dispositione, cum tamen ista manifestum sit ex principali significato non habere rationē, quoniā ex principali significato representāt qualitates absolutas. Dicūtur tamē aliquo modo relatiue, vt habitus dicitur respectu eius qui eo dispositus, siue (vt ita loquar) habituatus est, & dispositio respectu eius qui ita dispositus est. Uel habitus dicitur respectu eius ad quod homo per habitū illū disponitur: sicut sciētia dicitur ad suū scibile vel scitū.

obiectum scientię, & econtrario scibile vel scitum dicitur in respectu ad scientiam que est de ipso. Sensus quoqȝ dicitur in comparatione ad sensatum vel sensum, & e contrario. ¶ Cum ergo ista non significēt ex pricipali significato relationes vel habitudines aliquas sed meras & absolutas qualitates, manifestum est quod non possint dici ad aliquid secundum esse, id est, secundum principale significatū, sed tantnm secundum dici: eo ꝙ non nisi ex significato minus principali hoc habeant, vt relatiue dicantur. Unde dicunt vocabulum sciētia preter principale significatum, quod est absoluta qualitas, adhuc ex connotato importare quandam relationem siue quandam habitudinem, qua ipsa scientia se habet ad scibile aut scitum, tanquā ad suū obiectum, quod speciali modo respicit: atque ex hac consignificatione dicunt illam procedere relationem, qua dicimus scientiam esse scibilis scientiam, & scibile esse scientia scibile. Sic habitum & dispositionem, preter qualitates absolutas principales dicunt significare quasdam relationes, aut habitudines ipsorum habituum, vel ad ipsos in quibus sunt, vel ad id ad quod habentem disponunt, atque ex huiusmodi connotatis predictam ponunt vocabulorum relationem. Hec autem ad aliquid tantum secundum dici, quamuis non proprie sint ad aliquid, generaliter tamen ad aliquid nuncupantur, & sub priore ista definitione comprehenduntur, quemadmodum ex dclaratione Aristotelis patet. Est enim prior definitio generalis, conueniens tam ad aliquid secundum dici q̄ secundum esse. ¶ Et notandum quod quędam ex predictis adinuicem referuntur secundum casum genetiuum, vt pater dicitur filij pater, & dominus dicitur serui dominus, duplū dimidij duplum, & e contrario. Quędam secundum casum datiuum, vt simile dicitur simili simile, ęquale ęquali ęquale, vicinum vicino vicinū, & huiusmodi. Quędā secundūcasum ablatiuum, vt maius dicitur minore maius, & ecōtrario. Quędā secundū casus diuersos referūtur vt sensus referūtur ad sensibile vel ad sensatū sub casu genitiuo, dicendo, sensus est sensati vel sensibilis sensus. Contra vero, sensatum vel sensibile ad sensum refertur sub casu ablatiuo, dicendo, Sēsatum sensu sensatum: ita scibile vel scitum dicitur scientia scibile vel scitū: e cōtrario autem scientia dicitur scibilis vel sciti scientia. Ita habit⁹ dicitur habituati siue habilis habit⁹, & habituatus vel habilis habitu dicitur habituat⁹. Dispositio quoqȝ dispositi dispositio, dispositum vero dispositione aliqua dispositum. Interdum vero prorsus secundum vim nullius casus fit relatio, sed mediante vi prepositionis additę casui. Ut magnum dicitur non parui magnū, neque paruo magnum, sed mediante prepositione dicitur magnum ad paruum: vbi manifeste vis ipsa cōparationis per prepositionē ad, innuitur. ¶ Propter hunc autem tam varium referendi modum, dicitur in definitione ad aliquid sub disiūctione, Aliorum dicūtur vel quomodolibet aliter ad aliud. Inter quas duas partes sub disiunctione positas, pleriqȝ talem ponunt distinctionem, vt illa intelligant dici aliorum, quę referuntur ad sua correlatiua secundum genitiuum casum, illa vero quomodolibet aliter ad aliud, quę aliter q̄ secundum genitiuū casum

adinuicem

adinuicem referuntur,vt pote vel secūdum datiuū,vel secundū ablatiuum,vel secundum accusatiuum cum præpositione ad. Aliter tamē potest sumi ista differentia,hoc modo,vt illa intelligantur dici alio rum,quęcunque adinuicē referuntur secundum aliquem casum vel aliquos casus. Illa vero quomodolibet aliter ad aliud,quę non secū dum vim alicuius casus referuntur,sed per aliquam pręposi tionem. Vt magnum dicitur ad paruum,& econtrario. ¶ Atque hanc expositionem manifeste indicat Boetius,his verbis, Quid sit(inquit) vel quomodolibet aliter ad aliud expediemus, In relatione per quā dicimus,filius patris filius,nulla coniunctio mixta est,nisi tantum sola casuum vis prędicationis huius membra coniungit. Cum autē dico montem magnum,ad alium referens paruum,ita propono:mons magnus ad montem paruum,& mons paruus ad montem magnum. hic nullorum casuum vis est. Quanquam enim accusatiuus videtur esse permixtus,tamen ille huius relationis vim non tenet,sed prępositio quę ad accusatiuum additur. Cum enim dico,mons magnus ad paruum montem,sola prępositio est,quę vim huius cōtinet relationis. Et si quis dicat,magnus mons paruum montem,nihil significat definitum. Quocirca quamuis accusatiuus casus in hac prędicatione sit,non tamen vim relationis casus tenet,sed prępositio. Atque hoc est quod ait Aristoteles,vel quomodolibet aliter ad aliud: vt quoniam superius secundum casus relationes fieri dixerat:erant autem quędam relationes quę nullis casibus tenerentur, adiecit hoc, vel quomodolibet aliter ad aliud. Ac si diceret, Omnis relatio aut casibus fit,quod per hoc demōstrauit,quod ait, Quęcūque id quod sunt aliorum dicuntur: aut pręter casus, quod hęc sententia docet, vel quomodolibet aliter ad aliud. Hactenus Seuerinus Boetius. In quibus verbis manifeste ille insinuat, qua distinctione partes illas duas intelligat.

¶ De prædicamen. Ad aliquid.

¶ Visa & examinata parte textuali,sequitur secunda pars argumentatiua. Et primo contra diffinitionem ad aliquid.

Pars argumentatiua.

¶ Ad aliquid non est prędicamētū,ergo neq; prædicamētum generalissimū. Tenet consequentia à toto in modo ad suam partem. Antecedens probo, Commune enti & non enti non est prædicamentū:sed ad aliquid est commune enti & nō enti ergo nō est prędicamentū. Maior est nota,& minorē probo. Inter ens & non ens est ad aliquid,id est, relatio rationis,sicut inter albedinem & quātitatem est relatio realis & vtraq; Pri. argu.

Confir. est relatio suo modo, ergo minor vera.

¶ Confirmatur, Quia cōmune enti reali, & enti rationis nō est prædicamentum, sed relatio est communis reali relationi & rationis, ergo, &c.

ij. argumē. ¶ Secundo arg. sic. Ad aliquid nō est vnum genus, ergo neq; genus. Sequela est bona, & antecedens probo. Fundatur in multis generibus, putà in substātia idētitas, in quātitate æqualitas, in qualitate similitudo, ergo non est vnum genus postquàm plurima sunt fundamenta.

Confir. ¶ Cōfirmatur. Si ad aliquid est genus generalissimum, ergo duo sunt quæ sunt genera generalissima, ad aliquid, & nō vnū quod est ad aliquid. Sequelam probo, Omne relatiuū habet suum correlatiuum, sed ad aliquid est relatiuum, ergo habet suum correlatiuum: non superius quia generalissimo nil superius, neq; inferius, quia non haberet adæquatam & mutuā dependentiam, ergo æquale. Vltra æquale, ergo ambo generalissima.

iij. argumē ¶ Tertio arg. sic. Species huius prædicamenti non sunt distinctæ ab alijs, ergo frustra ponitur. Consequentia est bona, & antecedens probo. Statio, et sessio sunt species positionis, & species ad aliquid, (vt ait philosophus:) ergo intentum.

Pri. confir ¶ Confir. Scientia est species qualitatis, & species ad aliquid, ergo non distinguuntur ab speciebus aliorū prædicamētorū.

ij. confir. ¶ Confirmatur iterum, Omnis res potest duci in habitudinē ad aliam, ergo omnis res est ad aliquid: vt, Sortes dicitur ad aliquid in ordine ad Deum, & ad creaturas, aliquādo similis, aliquando dissimilis, aliquando æqualis, aliquando inæqualis, aliquando idem, aliquando diuersus.

iij. confir. ¶ Confirmatur iterum. Relationes non sunt ad aliquid, ergo neque relatiua. Sequela videtur bona, & añs probo. Si enim relatio esset ad aliquid, relatio relatione referretur sed consequens est falsum, ergo & antecedens. Falsitas consequentis patet, quia daretur processus in infinitum.

¶ Sequitur pars responsiua.

Ad pri. ar ¶ Ad primum, Nego antecedēs, & ad probationē dico, quod

relatio quæ est inter ens & non ens, est solum relatio rationis quæ non continetur sub hoc prædicamento, & sic nihil concludit. *Relatio inter ens & non ens.*

¶Et ad confirmationē respondeo quòd relatio communis relationi reali & relationi rationis non est genus generalissimum, cū sit æquiuocū, sed relatio finita actualis, realis, & intrinsecus aduenięns, & distincta realiter à suo fundamento est prædicamentum. *Ad confir.*

¶Ad secundum concedo sequelam, & nego antecedens. Est nempe vnum genus generalissimum, & ad probationem dico, quòd licet habeat plura subiecta partialia, est tamen vnū adæquatum, integrales partes habens, & vnitates requisitas, ad suam propriam naturam specificam, vti binarius dualitatem: ternarius trinitatem, & sic de cæteris. *Ad.ij.*

¶Ad confirmationē, nego sequelam, & dico quòd licet omne relatiuū particulare habeat suum correlatiuum correspōdens: relatiuum quod est generalissimū sicut saluatur in suis inferioribus, ita refertur ad inferiora. Ex quo infertur, quòd non habet correlatiuum commune sibi adæquatum. *Ad confir.*

¶Ad tertium nego antecedens, imò species huius prædicamēti distinguuntur ab speciebus aliorū prædicamentorū, & ad probationē dico, ꝙ philosophus loquitur secundū opinionē Platonis, cuius est prima diffinitio ad aliquid. *Ad.iij.*

¶Ad confirmationem, cōcedo quòd omnis res potest dici in habitudine ad aliam, & quòd non est inconueniens eandem rem poni in diuersis prædicamētis, vt Sortes vt est homo, ponitur in predicamento substantiæ: vt magnus, in prædicamento quantitatis: vt albus, in prædicamento qualitatis: vt pater, in prædicamento ad aliquid: & sic de alijs. *Ad confir. Eadē res ponitur in diuersis prædicamētis.*

¶Ad illud de scientia dico, quòd est relatiuum secundum dici, & non secundum esse. Et licet secundū Platonis diffinitionē ponatur in hoc prædicamento, non tamen secundum diffinitionē datam à philosopho, cum sit qualitas. *Ad.ij.cōfir*

¶Ad vltimam confirmationem relationes non referuntur concedo, sed sunt rationes referendi. Relatiuum, enim est, ꝙ *Ad.iij.con*

refertur ad suum correlatiuum, & terminatur ad fundamẽtum sui correlatiui.

Caput.xxxiiii.
¶ De communitatibus & proprietatibus ad aliquid.

Prima proprietas ad aliquid.

POnit autẽ Aristoteles aliquot conditiones ad aliquid generaliter sumpti, vt sit commune tam iis quę secundum dici, quam quę secundum esse. Quarum quędam rectius cõmunitates, alię proprietates videntur appellandę. Prima hęc est.

Contrarietas inest relationi.

¶ Hoc est inueniuntur nonnulla ad aliquid quę adinuicem contrariãtur. Pro exemplis assignat Aristoteles virtutem & vicium, scientiã & ignorantiã siue (vt appellat Boetius) inscientiam, accipiendo ignorantiã aut inscientiam non vt priuationem significet, sed habitum oppositum scientię, quę solet appellari ignorantia prauę dispositionis, ad distinctionẽ ignorãtię priuationis. Hęc enim ad aliquid sunt secundum dici, & contrarietatem habent. ¶ Veruntamen non in omnibus ad aliquid contrarietas reperitur. Duplum enim non habet contrarium, neque pater item contrarium habet. Si enim aliquid contrarium haberet duplum, maxime videretur illud esse dimidium: & patris contrarium si vllum esset, maxime videretur esse filius. Hęc autẽ non possunt esse cõtraria, quoniã de eodem simul prędicantur. Et idem est duplum & dimidium, comparatione ad diuersa: sic idẽ est pater & filius, respectu diuersorum. Simpliciter autem impossibile est, contraria simul de eodem prędicari. Non sunt igitur ista contraria, ac proinde non omnibus ad aliquid conuenit contrarietas. Imo proprie loquendo, nulli ad aliquid secundum esse cõtrarietas conuenit, vtpote quę solum in qualitatibus inuenitur. Sed neque soli ad aliquid ista contrarietas inest, cum etiam qualitati conueniat. Non ergo proprietas est ad aliquid, sed potius communitas.

Caput.xxxv.
¶ Secunda proprietas ad aliquid.

Secũda proprietas.

VIdentur relatiua magis & minus suscipere.

¶ Exẽpla ponit Aristoteles, simile & dissimile, ęquale & inęquale: quoniã dicitur aliquid magis aut minus simile, & magis aut minus inęquale. Non tamen omnibus ad aliquid hoc conuenit. Nihil enim dicitur magis aut minus duplum altero, neque magis aut minus pater alio. Neque enim si quis centũ habeat liberos, dicetur ob hoc magis pater altero, qui tantum vnã habet prolem de se genitã. Sic qui mil

le habet seruos, non dicitur magis dominus quam habens tantū vnū seruum. Dici quidē potest centum liberos habens, esse pater plurium & mille seruos habens dicetur plurium dominus: non autem magis pater aut magis dominus. Huius ratio est: quoniam habitudo ipsa que per ista ad aliquid principaliter significatur, non potest intendi vel remitti. Intensio siquidem & remissio solis qualitatibus per se cōuenit. ¶ Quod si quis interroget, Quomodo ergo dici possunt simile & dissimile secundū magis & minus. Respōsio est, non per se illa dici secundum magis & minus, id est, non secundum habitudines per ipsa vocabula significatas, quibus non amplius quam alijs habitudinibus conuenit intensio vel remissio, sed ratione qualitatum ipsarū suscipientium intensionem vel remissionem. secundum quas dicuntur res similes aut dissimiles, & in quibus ipse ille habitudines similitudinis & dissimilitudinis fundantur. ¶ Et si iterum fiat questio, quo modo dicatur aliquid magis inequale vel minus: respōdebitur id admodum impropie dici: quoniam magis & minus propie secundum aliquam intentionem vel remissionem dicūtur. Interdum tamē etiā dicuntur propter aliam aliquam rationem minus proprie magis & minus, vt supra diximus magis aut minus substantiam soū propter plura vel pauciora, quibus hoc aut illud substat. Sic modo dicitur magis inequale vel minus, secundum augmentum maius aut minus, siue secundum mensuram maiorem aut minorem ipsius quantitatis secūdum quam dicitur equalitas & inequalitas. Et linea quatuor pedum dicitur esse magis inequalis linee duorum pedum, quam linea trium pedum, propter quantitatis excessum maiorem secundum mēsuram longitudinis. Item tempus sex horarū dicitur magis inequale tempori duarum horarum, quam tempus quatuor horarum, propter excessum longioris durationis. In numeris quoque sex dicuntur magis inequales tribus quam quatuor, eo quod sit super excessus maior ipsorum sex in multitudine quam ipsorum quatuor. Non potest autem istud, quod modo dictum est, proprie dici proprium ad aliquid: cum nec omni conueniat ad aliquid (vt supra dictum est) nec soli. Conuenit enim & qualitatibus que non sunt ad aliquid. Est igitur communitas quedam aut conditio, potius quam proprietas.

Caput. xxvj.

¶ Tertia proprietas ad aliquid.

Omnia relatiua dicuntur ad conuertentia. Tertia proprietas.

Sic enim legendum est per numerum pluralem, ad conuertentia non ad conuertentiam numero singulari, vt manifeste patet ex Greco, vbi loco vocabuli conuertentia dicitur, antistrephonta, quod vocabulum manifeste neutri generis est numeri pluralis, non foeminium singulare. Vocat autē Aristoteles conuertentia, que nos alio

nomine appellamus correlatiua, correlatiuum enim siue conuertens alicuius relatiui dicimus, illud ad quod tale relatiuũ refertur, quod que vicissim refertur ad ipsum. Exempli gratia, dominus est relatiuum, & pro suo correlatiuo aut conuertente habet seruum: quoniam ad seruum refertur dominus, & vicissim ad dominum seruus, dicendo, dominus est serui dominus, & seruus est domini seruus. Ita patris est cõuertens filius, magistri discipulus, dupli dimidium, atque ita in cęteris. Dicunturq; pater & filius adinuicem correlatiua atque conuertentia: item dominus & seruus, duplum & dimidium, scientia & scibile, sensus & sensatũ, & ita in alijs quę supradicta sunt. ¶ Neque refert siue secundũ eundem casum adinuicem referantur, siue secundũ diuersos. In quibusdam enim sic, id est, secundum eundem casum fit conuertentia: vt pater dicitur filij pater, & econuerso, filius patris filius. In alijs autẽ aliter: vt scientia dicitur scibilis scientia, scibile autem dicitur scientia scibile. ¶ Et autem recte fiat ista correlatiuorum mutua relatio (quam conuertentiam nominant) oportet prouidere, vt apte assignetur correlatiuum siue conuertens eius quod proponitur. Nam si in assignando erratum fuerit, nihil mirum erit, si nõ inueniatur mutua relatio debita. Ut exempli gratia, ala, caput, remus, ad aliquid sunt secundum dici, vtpote quę secundum habitudinem partis referantur ad totum. Quibus si quis assignet pro conuertentibus, auem, animal, nauem, non inueniet debitam relationem mutuã siue conuertentiam. Nam ala non dicitur proprie auis ala, quoniam non dicitur ala ipsius auis in quantum auis est: sed in quãtum alata est, eo quod & quorundam aliorum sint alę, quę tamen non sunt aues. Neque vicissim auis refertur secundum conuertentiam ad alam, dicẽdo, auis est alę auis, vel alio quouis casu. Imo etsi secundum aliquẽ casum posset auis ad alam referri, nec si esset propria relatio, cũ possit esse auis quę non habeat alas. Ita qui caput voluerit referre ad animal, non rectum assignat conuertens: quoniam non dicitur caput ipsius animalis secundum quod animal est, cum inueniantur animalia capite carentia. Sic item de remo respectu nauis dicendum. ¶ Si vero recte assignauerimus conuertentia prędictorum ad aliquid, videbimus debitam conuertentiam. Unde alę si quis pro suo conuertẽte assignet alatum, capiti capitatum, remo remitum, inueniet mutuã relationẽ sine vitio. Omnis enim ala dicitur alicuius alati ala, & econtrario, alatum omne ala aliqua alatum dicitur. Sic caput dicitur capitati caput, & remus alicuius remiti, id est, nauis remum habẽtis remus, & econtrario, capitatum omne capite est capitatum, & remitum omne, remo est remitum. Huiusmodi autem vocabula vbi imposita non fuerint, sic a principalibus & primitiuis nominibus quę in vsu



sunt docet Aristoteles effingere. Omnia ergo ad aliquid si debita fiat assignatio, dicuntur ad conuertentis sibi reciproca siue correlatiua. Propter quod ista recte dicitur proprietas ad aliquid.

Caput. xxxvij.

¶ Quarta proprietas ad aliquid.

Videntur ad aliquid esse simul natura.

Quarta ꝓprietas.

¶ Illa autem dicuntur natura esse simul, quę posita se ponunt, ⁊ perẽpta se perimunt, id est, quando ad vnius positionem sequitur positio alterius, ⁊ ad vnius negationem sequitur negatio alterius. Exẽpli gratia, pater ⁊ filius simul sunt natura, quoniam posito patre consequens est filium esse, ⁊ e contrario posito filio consequens est patrẽ esse. Iterum ablato patre aufertur ⁊ filius, atque e contrario. Non potest enim esse pater nisi habeat filium, neque potest esse filius qui non habeat patrem. Non quod homo ille qui modo est pater non possit permanere in esse naturę mortuo filio, aut ecõtrario: quasi homo ille qui modo est filius simul debeat interire cum patre, sed quia non potest homo ille permanere pater sine filio, neque esse potest filius sine patre. ¶ Dicit autem Aristoteles, istud non generaliter omnibus ad aliquid conuenire. Prius enim ⁊ posterius ad inuicem referuntur, quoniam prius dicitur posteriore prius, ⁊ posterius priore posterius. Non sunt tamen simul natura, quoniam posito priore non consequitur posterius esse, neque ecõtrario. Prius enim pręcedit natura, ac posterius natura subsequitur. Quorum autem vnum natura pręcedit, aliud subsequitur, non potest fieri vt illa simul natura esse dicantur. Idem declarat de scibili ⁊ scientia, sensibili ⁊ sensu. Non enim ista sunt simul natura, quoniam non est opus posito scibile poni ⁊ scientiam. Potest enim res esse scibilis, antequam eius habeatur scientia. Sic ⁊ sensibile potest esse sine sensu, vt si nullum esset animal, essent autem cętera omnia corpora, esset tunc quidem sensibile (cum omne corpus sit sensibile) nullus autem esset sensus, quoniam omnis sensus in animali est. ¶ In his igitur ad aliquid quę ita dicũtur secũdum aliquam temporis ampliationem, non inuenitur ista conditio, quemadmodum prius ⁊ posterius cum ampliatione significant ad pręteritum vel futurum tempus, ita scibile ⁊ sensibile cum aliqua ampliatione significant quoniam per possibilitatem vel potentiam explicantur. Valet enim scibile idem quod potens scire, vel aptum natũ sciri, ⁊ sensibile idem quod potens vel aptum natũ sentiri. In illis autem ad aliquid, quę secundum nullam ampliationem dicũtur vel significant, vniuersaliter inuenitur ista proprietas assignata. Quare ⁊ hęc ex parte proprietas recte potest nominari eo quod omni tali ad aliquid, quod nulla ampliatione dicitur, conueniat. ¶ Generaliter quoque soli ad aliquid conuenit esse simul natura si propriissime accipiatur simul natura, supplendo pręd ictam definitionẽ ad hunc modum, Simul natura sunt, quę posita se ponunt ⁊ perempta se perimunt, ⁊ quorum alterum non est causa alterius, neque ambo effectus sunt eiusdem tertij. Prius additur, ad excludendum hominem ⁊ risibile. Hęc enim duo se ponunt ⁊ perimunt, quoniã si homo est, risibile est ⁊ si homo non est, neque risibile erit, atque econtrario. Verum quia natura humanitatis causa est ꝓprietatis, quę dicitur risibilitas, idcirco nõ sun simul natura sed est illa prior ista. Omnis enim causa est natura prior suo effectu. ¶ Secundũ adijcitur ꝓpter duo ista, risibile

& flebile, quę adinuicem se ponunt & perimūt. Si enim est risibile, est & flebile: & si risibile non est, nec flebile erit, nec econtrario. Nec horū duorum alterum est causa alterius. Nec enim a risibilitatis proprietate procedit flebilitas, nec econtrario. Sed quia ambę proprietates ab eadem natura specifica humanitatis procedunt (ad eum modum, quo in libro priori in tractatu de proprio declaratum est) idcirco nō dicūtur simul natura. Atque hoc pacto videbitur soli ad aliquid ista proprietas conuenire ad aliquid sumpto generaliter vt hactenus. Nusquam enim in substantia aut quantitate, aut qualitate inueniri videbitur ista conditio, vt aliqua sint simul natura.



Caput. xxxviii.

¶ Quinta proprietas ad aliquid.

Quinta proprietas.

Siquis definité nouerit vnum relatiuorum, definitè noscet & reliquum.

¶ Hoc est, siquis determinate & certo sciuerit, alicui conuenire alterū relatiuorum, oportet eundem scire determinate & certo cui alterum correlatiuum siue conuertens conueniat. Quod si determinate non nouerit, neq; alterum nosse existimandus est. Exempli gratia. Si determinate dicas te scire, me esse patrem, oportet determinate scias, cuius sim pater, siue quis meus est filius quod si determinate nō nosti, neque determinate nosti me esse patrem. Item, siquis dicat se cognoscere certo & determinate, hunc esse dominum, oportet determinate illum nosse cuius sit dominus, aut quis ei sit seruus. Verū hęc proprietas iuxta Aristotelis declarationem, pręcipue ad aliquid secundum esse videtur applicanda.

Caput. xxxix.

¶ Secunda definitio ad aliquid explicatur.

Posterior definitio ad aliquid talis est.

Secunda definitio ad aliquid.

Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum esse est ad aliud quodammodo se habere.

¶ Quam definitionē ipse Aristoteles in hoc asserit a priore differre quod illa generalior sit, ista specialior. Conuenit enim illa omnibus ad aliquid, etiam ijs quę secundum dici tantū appellantur: ista vero nō nisi ad aliquid secundū esse conuenit, & secundū quosdā etiam specialius, vt solum conueniat ipsis ad aliquid quę proprie huius sunt pędicamenti, quatenus contra sex postrema distinguitur. ¶ Pre-

cuius intellectu notandum est, ꝙ sex vltima pdicamenta, nempe actio, passio, quando, vbi, situs, ꝛ habitus dicuntur esse naturę relatiuę siue respectiuę. Consistunt enim in quadam habitudine ꝛ relatione vnius ad alterum. Et actio est habitudo agentis ad patiens, passio est habitudo patientis ad agens, atque ita in cęteris, quemadmodū suo loco patebit. Atque hinc omnes termini sex vltimorum prędicamentorū vocantur ad aliquid secundum esse, quoniam ex principali significato omnes significant relationem vel habitudinem. Et de his omnibus communiter exponitur ista posterior definitio ad hunc modum. Ad aliquid secundum esse sunt vocabula, quibus hoc ipsum esse est ad aliquid quodā modo se habere, id est, quorū principale significatum est habitudo vel relatio ad aliquam rem. Quod autem hic sub ad aliquid omnia posteriora prędicamenta voluerit comprehendere Aristoteles, satis ex illo videtur confirmari, quod in sequentibus specialem de eis tractatum non faciat, ęstimans, quantum opus est ad pręsens negotium, hic sub ad aliquid satis de eis se dixisse. ¶ Capitur tamen interdum ad aliquid propriissime pro solis terminis huius prędicamenti, quatenus contra alia omnia respectiua siue relatiua prędicamēta distinguitur, secūdum quam acceptionem actio ꝛ passio ꝛ cętera non dicuntur ad aliquid.

Caput. xl.

¶ Ponuntur diuisiones ad aliquid.

Diuisiones ad aliquid.

Solent autē recentiores ad aliquid diuidere, in ad aliquid ęquiparantię ꝛ disquiparantię. Ad aliquid ęquiparantię vocant, quod refertur ad seipsum siue idem nomen. Et simile ad seipsum refertur dicendo, simile est simili simile. Sic ęquale dicitur ęquali ęquale, dissimile dissimili dissimile, inęquale inęquali inęquale, vicinus vicino vicinus, amicus amico amicus, cognatus cognato cognatus, affinis affini affinis, coniunx coniugi coniux, atque ita in in similibus. Ad aliquid vero disquiparantię appellant, quod ad aliud nomen refertur. Et pater non dicitur patris pater, sed filij: dominus dicitur serui dominus, pręceptor discipuli, pręlatus subditi, ꝛ e contrario. ¶ Iterum ad aliquid disquiparantię diuidunt in ad aliquid superpositionis, ꝛ suppositionis. Ad aliquid superpositionis dicitur, quod secundum relationem digniorem dicitur: vt pater, dominus, magister, creator, gubernator, prępositus, dux, princeps, rex, pastor, episcopus, causa, principium, totum, cęteraqꝫ dignitatum ꝛ officiorum nomina. Ad aliquid suppositionis ex opposito dicitur, quod secundum relationem minus dignam dicitur, vt filius, seruus, discipulus, creatura, gubernatum, subditum, miles, effectꝰ, pars. ¶ Referūtur autem ista adinuicem, hoc modo. Pater est filij pater, dominus serui dominus, pręceptor discipuli pręceptor, creator est creaturę creator, gubernator est gubernati gubernator, prępositus est subditi aut subditorum prępositus, dux est militum dux, princeps est principatus sui princeps, rex est regni sui rex, imperator est imperij sui imperator

(capiendo principatum, regnum & imperium pro ipsis omnibus qui subsunt principatui, regimini, imperio) pastor item est curę suę, id est, pascendarum ouium pastor. Episcopus episcopatus sui episcopus, causa dicitur effectus sui causa, & totum in ordine ad partem dicitur totum. Nec difficile est relationes istas conuertere. Filius enim dicitur patris, seruus domini, discipulus pręceptoris, creatura creatoris gubernatum a gubernatore, subditus pręlato, miles ducis, principatus principis, regnum regis, imperium imperatoris, cura pastoris, episcopatus episcopi, capiendo curam & episcopatum, pro iis qui pastori & episcopo cõmissi sunt. Effectus quoque dicitur causę suę effectus, & pars totius pars. Ita quoque in cęteris dicendũ.

Primum argumen. ¶Contra primam proprietatem argu. sic. Relatiua opponũtur relatiuè: ergo non contrariè: sequela est bona, cum sint diuersæ species oppositionis, & antecedens probo. Virtus contrariatur vitio, scientia ignorantiæ, ergo antecedens verum ex quo infertur q; relatiua non opponuntur contrariè q; est oppositum primæ proprietatis.

ij. argumẽ. ¶Contra secundam proprietatem argui. sic. Si relatiua suscipiunt magis & minus, vel hoc esset ratione sui, vel ratione fundamenti, non ratione sui, id est secundum propriam naturam, relatiuorum, quia tunc conueniret omni relatiuo quod est contra philosophum, nec ratione fundamenti, quod probo, quia aliquando relatiuum suscipit magis, vbi fundamentũ remittitur, & aliquando suscipit minus relatiuum, vbi fundamentum suscipit magis. Probatur sint duæ albedines, vna vt tria, alia vt sex augmentetur albedo vt sex, & sit vt septem, iã ista albedo est magis dissimilis primæ quàm antea. Vltra, magis dissimilis: ergo minus similis.

iij. argum. ¶Contra tertiã proprietatẽ sic arguitur. Relatiuũ terminatur ad fundamentũ sui correlatiui, ergo non refertur ad suũ correlatiuũ. Maior est nota, & sequelã probo. Ad id videtur relatiuum referri, & terminari, sed terminatur (vt dictum est) ad fundamentum sui correlatiui, ergo & ad ipsum refertur.

iiij. argu. ¶Cõtra quartã ꝓprietatẽ sic arguo. Relatiua non sunt simul natura, ergo illa ꝓprietas minus bene asignata est, Sequela est bona & antecedẽs ꝓbo. Prius natura, & posterius natura sunt relatiua, & tamẽ prius natura præcedit suũ posterius. Probatur, aliàs nec vnũ esset prius nec aliud posterius si essent simul natura

¶Cōfirmatur, Prius tēpore & posterius tēpore sunt relatiua & tamen non sunt simul natura: probatur vt praecedens. Confir.

¶Sequitur pars responsiua.

¶Ad primum quando arguis, Relatiua &c. Concedo antecedens sequelā & consequens. Et ad probationem dico quòd contrarietas inest relatiuis secundū dici, nō tamē secundū esse de quibus est propositum tractare in hac materia, non autem de relatiuis secundū dici quae nō sunt relatiuē propriè dicta. Ad pri. ar. relatiua secundum di ci non sunt proprie re latiua.
¶Ad secundum respondeo, quòd contingit relatiuum suscipere magis, & minus multipliciter. Ad. ij. arg. Relatiuum multiplici ter suscipit magis & mi nus.
¶Primo, per intentionem & remissionem alicuius qualitatis, vel eius fundamenti, vt si remittatur vel intendatur vna qualitas (putā scientia vel albedo) in ordine ad aliam qualitatem sibi comparabilem.
¶Secundo, per oblationē vnius rei ab aliā, vel eius diminutionem.
¶Tertio ratione additionis.
¶Et nota quòd aliquādo relatiuū suscipit magis quādo eius fundamētū suscipit minus: capitur hic magis & minus, vt valet tantum, sicut magis, vel maius vel minus. Nota.
¶Nota dicunt aliqui, quòd aequale non suscipit magis, nec minus, ratio quia fundatur in indiuisibili à quo si fiat recessus, fieret inaequale, vnde aequalia dicuntur, quorum vnum non excedit alterū, sed inęquale dicitur suscipere magis & minus quia fundatur in quantitate in determinata, à quo si fiat recessus nō oportet quòd resultet aequalitas.
¶Concesso antecedenti nego sequelam. Relatiuum enim refertur ad suum correlatiuum sed terminatur ad fundamentū sui correlatiui: vt pater refertur ad filium & terminatur ad fundamentum filiationis, quia nulla relatio est ratio vltimo terminandi. Ad. iij.
¶Ad quartū, cōcedo quod prius, & posterius sunt relatiua, & nego quod nō sint simul natura, & cū pbas aliās vnū nō esset prius nec aliud posterius. Respondeo negando sequelam est enim Ad. iiij.

vnum prius altero, capiendo prius & posterius pro signi ficatis materialibus, sicut Sortes patet Platonis secundum quod est homo, præcedit Platonem, tamen secundum quod est pater eius sunt simul natura, Et ad illud de tempore responde tur simili modo, vel aliás potest dici quod relatio prioris, & posterioris in tempore est relatio rationis, cum partes tē poris non sint permanentes. Et sic non ponitur in hoc prædi camento.

¶Dubia:

¶Primum dubium. An relatiuum debeat diffiniri per suum correlatiuum, vel per fundamentum illius?

¶Secundum. An omnis relatio sit ponibilis in hoc prædica mento?

¶Tertio. Si relatio realis distinguitur à re, id est, fundamento eius, vt paternitas à Sorte, & similitudo ab albedine?

¶Quartum, an ad multiplicationem concretorum sequatur multiplicatio abstractorum, & è contra?

¶Quintum, an relatio possit fundari in relatione, vel non?

Ad primū. ¶Ad primum respondeo ponendo aliquas propositio nes.

Prima propositio. ¶Prima. Relatiuum non diffinitur per suum correlatiuum. Probatur, quia vnum non est notius alio, ergo non diffinitur per illud. Sequela est bona, & antecedens probatur. Quia om nis diffinitio debet esse notior diffinito.

¶Item diffinitio est prior diffinito, sed correlatiuum non est prius suo relatiuo (cum sint simul natura) ergo vnum nō dif finitur per aliud.

ii. propositio. Per quę debeat relati uū diffiniri. ¶Secunda propositio. Relatiuum diffinitur per fundamentū sui correlatiui quod ponitur in aliquo: vt pater est animal quod genuit aliud animal sibi simile in natura ex semine suo & filius est animal genitum ab alio animali eiusdem natu ræ ex semine suo. Probatur ista conclusio: per illa debet relati uum diffiniri à quibus habet essentialem dependentiam, sed re latio habet dependentiam essentialem à proprio fundamen to suo & à fundamento sui correlatiui, ergo intentum.

Obiectio prima. ¶Sed contra hanc conclusionem, seu propositionē sic arg.

primo authoritate philosophi, Si quis diffinite nouerit vnum relatiuorum, diffinite cognoscet & reliquum, ergo relatiuū diffinitur per suum correlatiuum.

¶ Secundo, authoritate Porphirij. Necesse est (inquit) in vtro rumq; vtrisq; vti rationibus, id est, diffinitionibus. ij. obiectio

¶ Probatur etiam ratione. Illud per quod adæquatè, & conuertibiliter explicatur natura alterius debet poni in sua diffini tione, sed per correlatiuum adæquate, & conuertibiliter explicatur natura relatiui, & è contra (vt patet dicendo, Pater filij pater, & è contra filius patris filius) ergo intentum. iij. obiecti.

¶ Quarto probatur ex vsu communi, dicitur nempe pater est res habens filium, & filius est res habens patrem. iiij. obiectio.

¶ Respondetur ad primam authoritatem, q; illa de rigore est falsa, est enim vna conditionalis cuius antecedens potest esse verum, consequente existente falso: quia potest quis diffinire vnum relatiuum per suum fundamentum. Et per fundamē tum sui correlatiui, dato q; non cognoscat suum correlatiuū vt patet in hac diffinitiōe pater est animal, q; genuit aliud animal sibi simile in natura. Ecce quomodo hic ponitur fundamē tum, vtriusq; scilicet relatiui & correlatiui, tamen non ponitur correlatiuum scilicet filius potest tamen glosari authori tas Philosophi. Quod si quis cognouerit vnum relatiuum, faciliter potest cognoscere suum correlatiuum. Solutio prime obiectionis.

¶ Ad secundam authoritatem dicitur, quòd de rigore est falsa nisi exponatur sic. Quod vult Porphirius, q; relatiuum desiniatur per fundamentum (vt iam dictum est) non tamen per correlatiuū, aliàs esset circulatio in diffinitione relatiuorū, q; est falsum. Et sequeretur q; idem esset prius & notius seipso. Ad secundam obiectionem.

¶ Ad tertiū respondeo. Cōcedēdo maiorem, & negando minorem, natura nempe relatiuorū non explicatur nisi per fundamentum & terminum à quibus essentialiter dependet. Ad. iij. obiectionem.

¶ Ad quartum dico, quòd illæ diffinitiones, non fuunt bonę, id est, quid rei sed magis videtur vna ethymologia, vel diffinitio quid nominis vel explicatio termini, nisi dicas, q; relatiuū capitur ibi pro denominatis seu fundamentis non pro relatiuis seu relationibus. Ad. iiij. obiectionem.

Ad. ij. dub.

¶ Ad secundum dubium respondeo ꝙ non. Pro cuius notitia aduertendum est.

Duplex relatio.

¶ Primo, ꝙ alia est relatio secundum esse, alia secundum dici. Relatio secundum dici non ponitur in hoc prædicamento, quia de significato principali, non significat relationem vt scientia, quæ ponitur in prædicamento quantitatis.

Alia diuisio ad aliquid. Requisita ad relationem realẽ.

¶ Secundo nota, ꝙ alia est relatio rationis alia realis. Relatio rationis non ponitur in hoc prædicamento sed bene aliqua realis quę requirit tria. Primum ꝙ extrema sint realia, secundum, quód sint distincta realiter. Tertium quód talis relatio oriatur ex natura extremorũ, vt paternitas, filiatio similitudo.

Item alia diuisio, ad aliquid. Quę requirũtur ad relationẽ aptitudinalẽ. Ad relationem actual. requisita.

¶ Tertio nota quod alia est ratio aptitudinalis, alia actualis Aptitudinalis requirit extrema in potentia & non in actu: vt risibile sensibile, & ista ponuntur in illo prædicamento cuius sunt aptitudines, sicut risibile in prædicamento substantię ratio, quia sunt idem realiter cum illo cuius sunt aptitudines. Relatio actualis requirit fundamentum & terminum in actu vt paternitas & filiatio.

¶ Quarto nota, quód relatio realis & actualis est duplex, scilicet intrinsecus adueniens & extrinsecus adueniens.

Diuiditur etiam relatio.

¶ Quinto nota. Quód relatio realis vel actualis est duplex alia est distincta à suo fundamento alia non.

Alia diuisio relatiõ.

¶ Prima est illa cuius fundamentum potest esse sine tali relatione, vt paternitas.

¶ Alia est cuius fundamentum non potest esse sine tali relatione, vt creatio passiua, & distinctio quæ est inter paternitatem, & filiationem, pro qua ponitur talis regula.

Regula.

¶ Omnis relatio cuius fundamentum repugnat esse sine termino est idem realiter cum suo fundamento, & ponitur in eodem prædicamento cum suo fundamento.

Sexta diuisio relationis.

¶ Sexto nota, quód alia est relatio æquiparantiæ, alia disquiparantię.

Septima relationis diuisio.

¶ Septimo nota, quód alia est relatio trãscendens, alia prædicamentalis. Prima nõ ponitur in prædicamento, secũda vero sic.

Conditiones relatio

¶ Vltima propositio. Relatio ponibilis in hoc prædicamento debet habere quatuor conditiones.

¶ Prima, Quòd sit realis.
¶ Secunda, Quòd sit finita & limitata.
¶ Tertia, Quòd sit realiter distincta à suo fundamento.
¶ Quarta, Quòd sit intrinsecus aduenien s, & oriatur à natura extremorum.

¶ Ad tertiũ dubium respondeo ponendo talem conclusionē. Omnis relatio prædicamētalis est distincta realiter à suo fundamento, probatur sic. Primo quādocunq; aliquādo sic se habent, q vnum realiter manet altero non remanente, illa distinguũtur realiter. Hæc propositio probatur per philosophũ dicētem, materiā esse distinctam realiter à forma eo q materia manet forma nō manente: sed fundamentũ manet, vel potest manere, non manēte relatione, vt Sortes potest manere distincta paternitate, ergo propositio vera. Nec valet solutio aliquorum dicentium, q paternitas manet, sed nō manet paternitas: ita q; faciunt differentiā inter has duas ꝓpositiones. Paternitas manet, & manet paternitas. Sed hæc solutio est ridiculosa & ex ea sequuntur multa inconuenientia, per talem enim solutionem posset quis dicere q forma ignis nō distinguatur à materia, dicendo, q forma manet, sed non manet forma.

¶ Secundo ꝓbatur eadē conclusio. Si relatio esset eadē realiter cũ suo fundamēto, aliqua idē numero per identitatē includerēt opposita, sed consequens est impossibile. Consequētiam tamē probo, quia in eodē successiuē fundātur relationes formaliter oppositæ, igitur qua ratione vna erit idē realiter cũ suo fundamēto, & alia sibi opposita. Et sit casus q sint duo alba, ambo vt tria, & postea vnũ illorũ fiat vt duo, tunc si similitudo illius albi, quando erat vt tria, & dissimilitudo eiusdem quādo est vt duo sunt realiter idē cum suo fundamēto, iam duæ relationes formaliter oppositæ identificātur cũ suo fundamēto, & respectiuē eiusdē termini q est incōueniēs.

¶ Quarto probatur sic. Impossibile est idem realiter simul, & semel intendi & remitti: sed relatio intenditur quādo fundamentum remittitur, ergo si relatio sit eadem cum suo fundamento idem semel intenderetur & remitteretur. Et sit casus quòd sint duo alba, vnum vt tria alterum vt quatuor, iam ista sunt dissimilia intēdatur fundamentum albi, vt tria quo ad

nis predicamentalis

Ad.iij.dubium.

Refutatio solutionis quorundā.

medietatē gradus, ita q; sit vt tria & dimidium gradum habēs iam fundamentum intenditur, & dissimilitudo remittitur vt patet.

Prima obiectio. ¶ Sed contra istam conclusionem arguitur sic. Si hæc opinio esset vera, sequeretur q; Sortes albus existens Parisius nō posset generari vnum albū Romę, vel alibi, quin aliquid generaretur in Sorte existente Parisius putā similitudo, vel dissimilitudo, sed hoc est falsum, quia vel produceretur illa similitudo immediate à Deo, vel à creatura, non à Deo saltem de necessitate, cum quicquid agat ad extra contingenter agat, neq; à creatura, quia actio creaturæ non est ad tantam distantiam.

ii. obiectio ¶ Secundo arguitur sic. Omnis entitas realis est terminus alicuius productionis realis, sed relatio, non est terminus realis alicuius productionis, ergo non est aliqua entitas realis distincta à suo fundamento, minorē probo. Si paternitas esset terminus alicuius productionis realis, cū productio sit relatio, quæram de illa productione, cuius terminus sit? Et sic procederetur in infinitum.

iij. obiecti. ¶ Tertio arguitur sic. Relatio distinguitur à suo fundamento ergo in eadem re sunt infinitę entitates reales, sed consequens est impossibile. Cōsequentiā probo, quia eadem res est distincta ab infinitis rebus, sed distinctio est relatio, ergo in eadem re sunt infinitæ relationes.

iiij. obiecti ¶ Quarto arguitur sic. Relatio distinguitur à suo fundamēto ergo Sortes potest esse pater Platonis quem nūquàm genuit, & Sortes non esset pater Platonis quem tamen genuit. Primam consequentiam probo, quia si paternitas sit distincta à Sorte qui genuit Platonem, potest separari per potentiam diuinam ab eo, & poni in alio, putà in Ioanne, & tunc Ioannes esset pater Platonis, quem tamen nunquàm genuit, & Sortes non esse pater Platonis quem tamen genuit.

Ad primā obiectio. ¶ Ad primum. Sequeretur q; Sorte albo existente Parisius, & concedo sequelam. Quando quæritur, à quo producūtur illæ entitates, seu similitudines? Dico q; producūtur ab illo, quod produxit fundamentū, vel fundamēta relationis, & hoc nō est inconue

inconueniens,in respectiuis quòd producat illam per tantam distantiam.

¶ Ad secundum respondeo negando minorem,& ad probationem dico,quod non est simile de paternitate, & de productione,quia productio est,qua formaliter producens dicitur producens,& ibi standum est: tamen quando aliquid est tale denominatiué,& aliud est formaliter tale, standum est in illo quod formaliter est tale. Item quando aliquid est medium in aliquo ordine,non oportet tali modo assignare aliud mediũ, quia seipso est medium. Ad.ij.obiectionem.

¶ Ad tertium dico quòd non est inconueniens esse infinitas entitates respectiuas,licet esset inconueniens si essent absolutæ. Ad.iij.obiectionem

¶ Ad quartum respondeo negando sequelã. Item dico quòd stantibus extremis, per nullam potentiam illæ relationes possunt separari à suis fundamentis. Ad.iiij.obiectionem

¶ Et pro clariori notitia prędictorum supponitur quòd decẽ prædicamenta,sunt decem res realiter distinctæ, quarum aliquę sunt absolutæ: vt,substantia,quantitas, & qualitas: aliæ sunt respectiuæ,vt cætera prędicamenta. Ex quo infertur, ꝙ absolutum & respectiuum primo sunt differentiæ rerum, & secundariò terminorum. Ex quo iterum infertur,quòd secundum diuersitatem rerum est diuersitas terminorum. Vnde termini absoluti sunt illi termini, qui prędicantur de seipsis in propositione,causante cõceptum perfectum, secluso obliquo alterius termini: vt homo est homo: homo est animal:nec dicitur,homo est hominis homo. Sed termini connotatiui seu respectiui sunt illi,qui non possunt prędicari de seipsis in propositione causante conceptum perfectum, seu complexum, sine obliquo alteris termini ipsis addito: vt, pater filij pater. Vnde hæc propositio, pater est pater, non causat conceptum perfectum,sed bene illa, pater est filij pater. Termini absoluti. Termini connotati ui seu respectiui.

¶ Ad quartum dubium respondeo ponendo propositiones. Ad.iiij.du

¶ Ad multiplicationem concretorum non sufficit multiplicatio formarum,sed requiritur multiplicatio suppositorũ: vt Pri.prop.

Quid requiratur ad multiplicationem concretorum. licet Sortes habeat plures paternitates quia plurimos filios genuit non tamen est plures patres, sed vnus pater. Similiter dicendum est de habente multos habitus doctrinæ.

ij. propos. ¶ Secunda propositio. Ad multiplicationem concretorum non requiritur multiplicatio formarum, sed sufficit multiplicatio suppositorum, cum vnitate formæ: cum sit casus, quód vna albedo sit in Sorte, & in Platone: in casu isto nō dicerentur Sortes & Plato vnum album, sed plura alba.

Prima obiectio. ¶ Sed contra istam propositionē sic arguo. Habet Sortes plures filios: ergo habet plures paternitates. Sequela est bona. Vltra plures paternitates, ergo est plures patres, Patet quia quæro qua paternitate dicitur pater? certè respondendum est quód quælibet earum est sufficiens eum denominare patrem. Destructa ergo prima, à secunda, vel tertia dicetur pater.

ij. obiectio ¶ Secundo sic. Impossibile est secundum assertionem omniū plura accidentia solum numero differentia esse in eodem sub iecto. Sed paternitates dictæ in casu superiori: sunt plura accidentia, & solum numero differentia, ergo ipse Sortes habet vnicam paternitatem, tametsi habeat plures filios, vel dicendum est quód est plures patres, & plura accidentia solum numero differentia sunt in eodem subiecto, sed consequens est falsum, scilicet vltimum, ergo primū non est concedendum.

Ad primā obetionē. ¶ Respondeo, ad primum patet solutio quomodo ad multiplicationem concretorum: non sequitur multiplicatio formarum.

Ad. ij. obiectionem. ¶ Ad secundum respondeo. Quód impossibile est plura accidentia solum numero differentia esse in eodem subiecto, si sunt accidētia absoluta, vt duę albedines, duæ frigiditates duę naturæ eiusdem speciei specialissimæ, sed possibile est duo accidentia, imò multa accidentia respectiua esse in eodem sub iecto, vt duæ paternitates, vel tres, duæ qualitates, quatuor similitudines, imò infinitæ solum numero differentes.

Ad. v. ou. ¶ Ad quintum respondeo quód sic. Procuius notitia ponuntur aliquæ propositiones.

¶ Prima propositio, Quædam relatio fundatur in absoluto, & terminatur ad absolutum: vt similitudo quæ est interduo alba. j. ppo.

¶ Secunda propositio, Aliqua relatio fundatur in relatione, & terminatur ad relationem: vt, distinctio inter duas similitudines. 2 op os

¶ Tertia propositio, Alia est relatio, quæ fundatur in absoluto & terminatur ad respectiuum: sicut distinctio, quæ est inter Sortem, & suam paternitatem. iij. propo.

¶ Quarta propositio, Alia est relatio quæ fundatur in respectu, & terminatur ad absolutum: vt, distinctio quæ est inter paternitatem & Sortem. iiij. prop.

Caput. xli.

¶ De prędicamento qualitatis.

Qualitatis prędicamentum inter prędicamenta accidentium latissimum est, vtpote quod plurima & admodum diuersa intra suę latitudinis ambitum complectatur atque contineat. Definit autem Aristoteles, siue potius aliquo modo describit & notificat qualitatem, hoc modo.

Qualitas est, secundum quam quales quidam dicuntur. Definitio. qualitatis.

¶ Quod non proprie definitio est, cũ generalissima genera proprias definitiones non habeant. Est tamen descriptio, vel vt minimũ qualiscunque notificatio qualitatis. Neque est quod quisquam obijciat ignotum hic definiri per ęque ignotum, qualitatem scilicet per quale, quę ambo videntur ęque ignota, cum definitio & descriptio omnis debeat fieri per notiora. Non est enim verum, ęque ignotum esse quale, vt qualitatem. Notius enim est quale quã qualitas, sicut album, quam albedo, coloratũ quam color. Id quod manifeste cognoscimus ex plerisque rudibus, qui album quidem sciunt, sed albedo quid sit, non intelligunt: coloratũ item & se videre & nosse dicunt, si autem de colore interrogentur, quid sit, nesciunt. Quoniam ita plerunque sensui est notius concretum quam abstracta qualitas, ob hoc nõ incongrue potest describi, & vtcunque notificari abstractum per concretum. Hic vero maxime, cum qualitas tanquam generalissimum genus, propria definitione non possit notificari. Est ergo qualitas forma accidẽtalis, secundũ quã aliqua substantia dicitur qualis: vt ab

albedine dicimur albi, a scientia docti vel sciẽtes, a virtute probi aut studiosi, a vitio mali vitiosi ⁊ improbi.

Caput. xlij.

¶ De quatuor speciebus qualitatis, ⁊ primum de habitu ⁊ dispositione.

Diuidit autem Aristoteles qualitatẽ prima sui diuisione in quatuor species, quas etiam appellat qualitatis genera: non quod sint supra qualitatẽ (sic enim non esset qualitas generalissimum genus, cum haberet aliud supraueniens genus) sed quia sunt genera sub qualitate posita, habentia nimirum species sub se alias plurimas. Voluit enim specierum istarum latitudinem significare, cum eas nõ solum species, sed etiam genera appellauit qualitatis, id est, sub qualitate. Singulę enim harũ specierum quatuor alias sub se plures comprehendunt, vt in processu patebit: quoniam autẽ propria nomina non sunt imposita quibus genera ista possent designari, idcirco necessitate compulsus ⁊ inopia vocabulorũ, circumlocutione vtitur in illis assignãdis. ¶ Assignat autẽ primo loco, habitum ⁊ dispositionem. Sub quo genere comprehẽdi vult omnes habitus ⁊ dispositiones, ⁊ si quę alia horum naturam retinent, siue cum his naturalem cõuenientiam obtinent. Hoc autem inprimis notandum est, inter habitum ⁊ dispositionem, non esse differentiam essentialem, quasi specie aut genere differãt habitus ⁊ dispositio. Non enim differũt, nisi secundũ magis ⁊ minus, secundũ perfectũ ⁊ imperfectum, secundum firmum ⁊ infirmum, secundũ facile mobile ⁊ difficulter mobile. Dispositio nanque est prõptitudo aliqua vel assuefactio, relicta ex actu aliquo vel actibus pluribus, adhuc tamen infirma ⁊ exigua, ita vt facile perdi possit aut a subiecto dimoueri. Verum postquam eadem illa promptitudo altas radices iecerit, postquam assuefactio illa fuerit bene radicata in subiecto, ita vt non nisi magna difficultate possit perdi aut a subiecto dimoueri, iam habitus dici merebitur. Propter quod habitus iuuenili aut virili conditioni, dispositio puerili apte potest comparari: quemadmodum Seuerinus Boetius ait, dispositionem ab habitu distare eo modo, quo ipse Socrates dum esset paruulus, post vero pubescens a seipso distabat. Unde dispositio imperfectus ⁊ initiatiuus quidam habitus dici potest, ⁊ econtrario habitꝰ quędã perfecta ⁊ cõsummata dispositio. Dispositio enim cũ perficitur, in habitũ euadit quẽadmodum puer cũ perficitur, in virũ tãdẽ euadit. ¶ Exempli gratia, in eo qui a pueritia sobrie semper ⁊ caste vitam duxit, sobrijsq; ⁊ castis actibus sedulo dedit operam, in hoc sobrietatis ⁊ castitatis procul dubio est habitus, quoniã difficulter mobilis est a subiecto illa consuetudo siue promptitudo ex longa assuefactione, id est, per continuam operationẽ actuum taliũ acquisita. Nam ⁊ si forte contingat interdũ incidere in actum aliquem sobrietati aut castitati contrarium, non tamen statim perditur habitus ille castitatis ⁊ sobrietatis, quemadmodum is qui habitum recte scriben

Prima species qualitatis.

di habet, si semel male pingat figuram aliquam, non ex hoc scribendi perdit habitum. In nouello autem Christi tyrunculo, qui nō diu ab ebrietate ⁊ impudicitia conuersus castis ⁊ sobrijs actibus coepit exerceri, necdū vero multum promouit dispositionem quandam dicere possumus illum iam assequutum, habitum non item. Est enim ex actibus illis, quibus iam aliquandiu se exercitauit, relicta nonnulla promptitudo ⁊ assuefactio. Uerum ea tam est adhuc debilis, tam infirma, tam male radicata, vt facile possit perdi, si non continuo aduenientibus similibus actibus roboraretur, ⁊ perficeretur ad acquirendam firmitatem. ¶ Unde sic solent dispositio ⁊ habitus definiri. Dispositio est qualitas insensibilis ex multis actibus vel vnico actu acquisita, sed male radicata ⁊ facile a subiecto mobilis. Habitus vero est qualitas insensibilis ex multis actibus vel actu vnico acquisita, bene radicata, ⁊ difficulter a subiecto mobilis. Ex quibus definitionibus patet, nullum habitum aut dispositionem inesse homini a natura neque vllū habitum ei esse congenitum aut innatum, sed acquiri debere ex actu vel ex actibus. Quemadmodū enim ex impressione pedis in terram, postquā calcatio transiuit, relinquitur signum vestigij sic ex actu etiam vnico, si aliquo modo vehemens ⁊ validus fuerit, relinquitur quasi vestigium, etiam postquam trāsierit actus ille, quędam promptitudo ad actum talem reiterandum, ⁊ facilius meliusqꝫ operandum. Hic incipit tenuis ⁊ admodum exigua dispositio. Deinde pluribus actibus accidentibus, continue roboratur ⁊ augetur illa dispositio, donec tandem euadat in habitum. Quare autem diximus in his definitionibus, ex actibus multis vel ex actu vno: quantum quidē ad dispositionē satis facile potest intelligi ex prędictis, quoniā (vt videtur) etiā ex vno actu, modo alicuius fuerit vehementię, ⁊ cū aliqua attentione perfectus, relinquitur qualiscunque dispositio, quāuis non sit necesse simpliciter ex omni actu relinqui aliquā dispositionem. Quēadmodū enim nō ex omni admotione pedis supra terrā relinquitur vestigiū, vtpote si tantū leuissime pes terrā cōtingat, aut si terra nimium dura fuerit, vt tam facile impressionē nō recipiat; ita non semper ex quolibet actu vnico relinquitur dispositio, quoniam interdum nimis remissus ⁊ debilis est actus, vt nō sufficiat aliquid dispositionis relinquere, aut obstat nimia durities, ⁊ praua dispositio cōtraria in subiecto, vt sic non possit ex actu vnico in contrariū disponi, sed multis opus est actibus, vt quasi vi insculpatur aliquid vestigij ⁊ dispositionis. Admodum tamen frequenter, ex actu vnico relinquitur dispositio, maxime cum alicuius attentionis ⁊ perfectionis fuerit ille actus. ¶ De habitu vero magis mirum videri possit, quare in eius definitione dicatur ex pluribus actibus, vel ex actu vnico. Sed sciendū est, iuxta cōmuniorē sententiā, quosdā habitus ex vnico actu acquiri. Ut sciētia (quę est habitus cōclusionis per demonstrationem acquisitus) gigni potest in hoīe ex vnico actu demōstrationis, quoniā videlicet tam efficax est ille vnicus actus demōstrationis ad scientiam illam in animo generandā vt eiusdē actus

„Dispositio.
„Habitus

iteratione non sit opus ad habitũ talem imprimendum, regulariter tamẽ ad habitũ generationẽ opus est pluribus actibus. ¶ Dictũ est autem de habitu, non quod non possit amoueri a subiecto vel extra subiectum perdi: sed quod difficulter possit moueri. Nullus enim est habitus, siue in corpore, siue in anima, qui nõ aliqua ratione perdi possit, vtpote, vel per grauem aliquam ęgritudinem, aut alium casum consimilem. Quẽadmodũ refert Boetius, quendam summum oratorem ęgritudine febribusq; decoctum, omnem literarum amisisse doctrinam, in aliis autem rebus sanum ac sibi constantem, & in omni re vegetum permansisse, quem aliqui Messalam Coruinum fuisse autumant.



Caput. xliij.

¶ De his quę sub habitu & dispositione continentur.

Diuiditur autem genus istud habitus & dispositio (vt supra tetigimus) in multa inferiora genera & species. Sunt enim quidam habitus animę, quidam habitus corporis. Habitus animę est,

Habitus animę.

qui acquiritur & subiectatur in anima. Qui iterum diuiditur secundũ duas animę partes, in habitum intellectus & voluntatis. Habitus intellectualis est qui subiectatur in intellectu, ipsumq; ad aliquid disponit habilemq; reddit. Huiusmodi sunt, sapientia, intellectus, scientia, prudentia, ars, opinio, fides. Habitus voluntatis est, qui subiectatur in voluntate, vt sunt habitus morales, virtutes atque vitia. ¶ Horum autem singula iterum possunt subdiuidi. Scientia quidem in naturalem quę de rebus naturalibus est: & supernaturalem, quę est de rebus supra naturam, vt sunt Metaphysica & Theologia, quę de spiritalibus intelligentiis & Deo tractant. Virtus autem diuiditur in virtutem Theologicam, cuiusmodi sunt fides, spes, charitas, quę immediate Deum respiciunt: & moralem, quę respicit actus humanos, ad disponendos eos secundum mediocritatem debitam. Sub virtute morali ponuntur iustitia, fortitudo, continentia, sobrietas, castitas, humilitas, &c. Vitium quoque dici potest opposito modo ad virtutem, secũdum quod quędam immediate circa Deum male disponunt hominem. Vt infidelitas, desperatio, odium Dei. quędam vero immediate circa actus humanos indisponunt. vt auaritia, incontinentia, gula, pusillanimitas, &c. Quorum omnium exactior distinctio, non est pręsentis contemplationis. ¶ Habitus autem cor-

Habitus corporis.

poris dicitur, qui subiectatur in corpore, aut aliqua eius parte, ipsumq; vel aliquã partẽ ipsius disponit ad actũ aliquẽ promptius expeditiusq; peragẽdũ. Vt habitus scribẽdi, habitus ludẽdi pila, habitus pugillandi aut currendi, atque ita in cęteris. Manifestum est enim in his omnibus, pręter ipsam artem (quę in anima est, non in corpore) ponendam esse aliquam assuefactionem in mẽbris, quibus isti actus peraguntur, ex similium actuum frequenti iteratione relictam, per quam dispositi sunt ad tales actus prompte exercendum. Vnde siquis

pleue cognoscat regulas omnes, quę ad bene scribendum, pugillandum, aut currendum requiruntur, non habeat autem illam in mēbris assuefactionem, non dicitur talis habere habitum scribendi, pugillandi, aut currendi, & cętera. ¶ Est autem hoc omnibus habitibus commune, quod sicut ex actibus generantur, & introducuntur in subiectum, ita cum iam in subiecto fuerint, vicissim ex sua natura producunt actus cōsimiles. Habitus enim ex sua natura eum, cui inest, operari facit operationes eiusmodi, ex quibus ipse est genitus. Neque solum operari facit, sed etiam prompte operari, & cum delectatione. Nam ita docet in Ethicis Aristoteles, signum esse habitus perfecti: delectabiliter siue cū delectatione operari. ¶ Pręter autem hos habitus ex actibus acquisitos, qui naturales sunt, id est, secundum naturam acquiruntur, ponuntur & alij habitus a Deo infusi supernaturales, quos sua benignitate Deus infundit mentibus & cordibus hominum. Huiusmodi sunt, fides, spes, & charitas, itemq; alia spiritus sancti dona, quę apud Esaiam enumerantur: sapientia, intellectus consilium, fortitudo, scientia, pietas, atque timor Domini. Hęc enim dona quę supra naturę sunt facultatem, per nostrarum operationū exercitium, non possumus nostris viribus acquirere: sed ipse Deus per spiritum suum ea infundit cordibus nostris: quemadmodum de charitate testatur sanctus Apostolus, dicens, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hęc autem omnia quibus anima in ijs quę ad Deum sunt disponitur, fitq; habilis, recte qualitates appellantur, & sub hoc genere constituuntur: Sunt enim habitus & dispositiones. ¶ Solent quoque a nonnullis sub hoc genere constitui, species tam sensibiles, quam intelligibiles, quę habitibus videntur adsimiles: eo quod per ipsas disponatur homo ad operationem sensus vel intellectus, sicut per habitum homo ad actum disponitur. Quid autem sint hę species sensibiles atque intelligibiles, in libris de consideratione rerum naturalium late determinauimus. Rom. v.

Caput. xliiij.

¶ De secunda specie qualitatis.

SEcunda species qualitatis est naturalis potentia vel impotentia. Vbi coniunctio disiunctiua vel (iuxta quod communiter annotari solet) indicat, duo illa, nempe naturalem potentiam & naturalem impotentiam, non idem genus vel eandē speciē esse, quomodo de habitu & dispositione iam diximus, quę ad significandam identitatem, per copulatiuā coniunctionem adinuicem fuerunt coniuncta. Non enim secundum magis & minus, perfectū & imperfectū differūt ista duo, naturalis potentia, & impotentia naturalis, sed differūt secundum essentiam, sicut duo diuersa genera. ¶ Est autem naturalis potentia quędam qualitas congenita, & a naturali complexione indita alicui, per quam ipsum redditur naturaliter potens ad aliquid agendum, vel ad alicui resistendum. Naturalis vero impotentia

Secunda species qualitatis.

» Naturalis potētia.
» Natura-

lis impo tentis.

" est, qualitas congenita, & a naturali complexione indita alicui, per " quam ipsum redditur naturaliter impotens ad aliquid agẽdum, vel " alicui resistendam. Exempli gratia, quidam homines ex naturali complexione sani sunt, vel potius salubres, aut sanatiui, id est, quandã naturalem sanitatem, aut salubritatem habentes, per quam naturaliter potentes sunt ad resistendum iis quę possent corpori malam inducere valetudinem, vt non facile ab aliquo nocumẽto pati possint. Alij vero naturaliter ęgri sunt, aut potius ęgrotatiui siue insalubres: qui naturaliter sunt impotentes ad resistendũ noxijs & aduersis, ita vt facillime patiantur a quibuslibet occurrentibus malis. ¶ In illis salubritas illa vel sanatiuitas naturalis, est naturalis potentia, quę tunc etiã manere in homine potest, quãdo actu laborat ęgritudine. Et cũ ex graui causa quẽpiam in morbũ incidisse contigerit, dicimus nihilominus illũ salubrẽ vel sanatiuũ esse natura. Illa autẽ insalubritas vel ęgrotatiuitas, naturalis impotentia dicitur: quę in homine esse potest, etiã si actu sit sanus, & nulla laboret aduersa valetudine. Ita durũ dicit Aristoteles significare quandã naturalẽ potentiã, qua res dura naturaliter potẽs est ad resistendũ secanti, vt nõ faciliter se patiatur diuidi. Contra vero, molle naturalẽ significat impotẽtiã, per quam res mollis naturaliter impotẽs est ad resistendũ sectioni. Sic in vno est naturalis potentia ambulãdi, currẽdi, pugillãdi, luctãdi in palęstra, cantãdi, saltãdi, hoc aut illud operãdi, qui ad hoc vel illud ex naturali cõplexione est dispositus vt possit. In alio cõtraria est impotẽtia ambulãdi, currẽdi, &c. ¶ Differũt autẽ istę naturales potentię vel impotẽtię ab habitibus & dispositionibus, quod isti acquirũtur per actus & exercitiũ, vel infundũtur supernaturaliter, illę vero neque per actus acquiruntur (quoniã ante omnẽ actum insunt) neque supernaturaliter infunduntur, sed a natura insunt rei. Nõ quidẽ sic a natura, quomodo ea quę rei sunt essentialia, quomodo animal aut rationale dicimus esse de natura hominis, sed quia a naturali complexione rei conueniunt. ¶ Exẽpli gratia, secundũ cõplexionẽ variã bonã vel malã, alij naturaliter salubres sunt, alij insalubres, quidam in stomacho naturalem habent quandam vim bene digerendi cibum, alij naturalem impotentiam ad idem habent. Sic in oculis quorundam, ex complexione est naturalis potentia ad expedite & bene vidẽdum, in alijs est impotentia naturalis vel ad omnino non videndum vt est in cęcis, vel ad male & difficulter videndum vt in alijs cęcutientibus. In oculo quippe cęci, est quędam naturalis impotentia ad videndũ, quę nascitur ex mala complexione existente in oculo cęci, videlicet ex malo contemperamento, quod non tale est illic quale esse deberet, quemadmodum econtrario in oculo bene vidẽtis, illa potentia naturalis ad videndum procedit ex certa & bona complexione naturali, quę est in oculo. Quid enim causę est, quod in oculo est naturalis potentia ad vidẽdũ, & nõ in aure, atque ecõtrario in aure ad audiendũ, & nõ in oculo, nisi cõplexio alia atque alia in oculo, & aure, quę diuersa complexio dat diuersis membris naturales potentias diuersas. ¶ Ista autem quę modo dicta sunt de processione naturalium potentiarũ

& complexione, sunt intelligenda quantum ad naturales potẽtias ipsius corporis, vel quę animę conueniunt in corpore aut secundum corpus. Quod dicimus, propter intellectum & voluntatem, & si quę alię sunt potentię in anima rationali ab illis distinctę. Siquidem istę vires non insunt homini a naturali complexione. Sunt enim vires eminentes supra corpus secundum quas videlicet corpori superemi net anima rationalis quemadmodum plenius declarauimus in libris de consideratione rerum naturalium, potissimum primo & octauo. Solent tamen istę vires dici etiam naturales potentię, & merito videntur cum his connumerandę. Sunt enim istę vires, qualitates innatę & congenitę, nimirum a Deo inditę & insitę animę rationali, licet non a complexione corporis. ¶ Ponuntur itaque in hac specie, omnes potentię & vires naturales, tam animę quam corporis. Per animę autem potentias in proposito intelligimus, vires illas, quę in ipsa immediate & non in aliquo organo corporis subiectantur vt intellectus, voluntas, memoria intellectiua. Hę enim vires in anima rationali immediate, & non in aliquo corporeo organo, subiectãtur. Naturalis potẽtia corporis est, quę subiectatur immediate in corpore, etiam si ab anima procedat. Huiusmodi sunt omnes alię potentię, sensuum, siue interiorum, siue exteriorum. Potest que diuidi ista naturalis potentia corporis, in potentiam vegetatiuam, sensitiuam, & motiuam secundum locum. Potentia vegetatiua consequenter diuiditur in nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam. Atque hę iterum possent subdiuidi, vt ex Physicis patet. Potentia sensitiua diuiditur in sensum interiorẽ & exteriorẽ. Exteriores sensus sunt, visus, auditus, gustus, olfactus, & tactus. Interiores sunt, sensus communis imaginatiua, ęstimatiua, phãtasia, memoratiua. De quibus omnibus specialius pertractare, nõ est pręsentis instituti. Ad physicam nempe considerationem hęc spectant, illic singula singulis, & iustis capitibus a nobis sunt tractata. ¶ In hac autem specie satis rationabiliter videntur constituendę etiam virtutes naturales herbarum ac lapidum quę subiecta sua reddunt naturaliter potentia ad aliquid agendum vel alicui resistendum. Virtutes item cęlestium corporum, vt potę cęlorum, & astrorum occultę vires, quibus in hęc inferiora potentia sunt mirabiliter influere. Videntur enim naturalibus potentijs nõ male connumerari, tametsi qualitates illę quę ex influentijs cęlestibus in corpora inferiora imprimuntur, maiori ratione in sequentẽ speciem videantur reponendę.

Quę in hac specie continentur.

Caput. xlv.

¶ De tertia specie qualitatis.

Tertia species qualitatis ita nominatur, passio & passibilis qualitatis. Est autẽ inter passionem & passibilem qualitatem similis fere differentia, qualis inter habitũ & dispositionem. Passio enim cito transit, passibilis qualitas dicitur permanentior. Et si quis subito

Tertia species qualitatis.

exardescens irascatur, passio est illa ira cito transiens, non autem pas
sibilis qualitas: sic & inflamatio illa & ignea rubedo vultus, cum ira ex
urgens & cum ea transiens passio dicitur, quoniam non permaneat.
Si autem iracundię passio radicata & diuturna en aliquo permanse-
rit, quasi admodum habitus, illa passibilis dicitur qualitas, similiter
& illa rubedo ignea permanens, dicitur passibilis qualitas. Manife-
stum autem est, secundum diu permanens & cito transiens non sumi
differentiam essentialē. Est enim hoc essentię extraneum, diu perma-
nere aut cito transire, quēadmodum non differt specie homo vno tā
tum viuens die, ab eo qui centū annos vixerit. ¶ Cōprehendūtur au-

Quę in hac specie contineantur.

tem sub specie hac summatim omnia obiecta sensuū exteriorum, nem
pe colores omnes, atque etiā lux & lumen, quę sunt obiectum visus,
soni omnes, tam voces q̃ non voces, qui sunt obiectū auditus, sapo-
res omnes in qualicūque sint differentia, dulcis, amarus, acidus, qui
sunt obiectū gustus, odores omnes, in qualicūque itē sint differētia,
suauis, grauis, &c. qui sunt obiectum olfactus, denique qualitates om
nes tactiles siue tāgibiles, nēpe calor, frig⁹, humiditas & siccitas, quę
a Physicis quatuor primę qualitates nominantur, item alię qualita-
tes tangibiles secundę, de quibus traditur in Physicis, nēpe crassum
& subtile, durū & molle, lubricū & aridū, rarū & spissum, graue & leue.
¶ Nec obstat quod supradictū est, durum & molle esse naturales po-
tentias, item quod ait Aristoteles, rarum & spissum esse positiones
potius q̃ qualitates. Nihil enim prohibet, eundē terminū secundum
aliā & aliam significationē poni sub diuersis speciebus qualitatis, sicut
neque in diuersis pdicamentis. Sic enim cursor & pugillator, secū-
dum quod significāt naturales potentias, ponūtur in secunda specie
secundū vero q habitus significant, in prima. Ita durū & molle secun
dū quod significāt naturalē potētiā vel impotentiā ad resistendū, po
nuntur in secūda specie, secundū vero q significant quasdā tactu per-
ceptibiles qualitates, ponūtur in tertia specie. Illa siquidē naturalis
potentia vel impotētia non est per se tactu perceptibilis. Ita rarum
& densum, put significant, quendā partiū situm secundum elongatio-
nem aut cōpressionem maiorē vel minorem, sunt de pdicamento si
tus: secundum vero quod qualitates quasdam tactu perceptibiles si

Quare dicantur passibiles qualitates.

gnificant, sunt in pdicamento & sub tertia specie qualitatis. ¶ Causa
autem quare istę qualitates vocentur ab Aristotele pathiti ky, id
est, passibiles vel patibiles, duplex est, quemadmodum ipse in textu
enarrat. Primum enim dicūtur passibiles vel patibiles, quia vnaquę
que earum secundum se passionis in sensu est effectiua. Non enim pas
sibiles dicuntur, quasi subiectum in quo sunt ab eis aliquid patiatur
ea in se habendo, sed quia in sensib⁹ natę sunt efficere aliquam passio-
nem. Quod potest intelligi dupliciter. Vel secundum quod vnaquę
que qualitas sensibilis, prout est obiectū sui sensus, potest imprimere
in ipsum sensum cui⁹ est obiectū, speciem sui, sicq; sensationem actua
lē in potentia sensitiua efficere, quemadmodum in physicis libro no
no plenius declarauim⁹. Vel quia sic mouēdo sensum, natę sunt in eo
efficere aliquam passionem, vt pote delectationem, vel tristitiā, amo

sem, vel odium. Quemadmodum, exempli gratia, dulcedo que est in melle sensum gustus immutat suam speciem in ipsum organum gustus, atque in ipsum gustum transfundendo, sicq; in ipso gustationē efficit, et patitur quodammodo ipse sensus ab obiecto, quod ipsi suam imprimit speciem, atque ita deinde efficit in sensuali affectu passionem delectationis. Quemadmodum econtrario amaritudo in felle immutando gustum, per diffusionem sue speciei in ipsum pati ipsum quodammodo facit, atque ita deinde in affectu sensitiuo efficitur passio tristitie. Ita proportionabiliter dicendum de coloribus, odoribus, sonis, et tangibilibus qualitatibus: quarum quedam in sensu suo efficiunt delectationem, alie tristitiam: generaliter autē omnes, sensum immutando aliquo modo ipsum pati faciunt. Non enim possunt immutare sensum, quin aliquid patiatur: propter quod etiam a Ph. lo sophis sensus potentia passiua ponitur. ¶ Secunda ratio ob quam dicuntur ista sensuum obiecta passibiles qualitates, est, quoniam ea rum quedam a passionibus quibusdam nate sunt effici. Quemadmodum (exempli gratia) rubor in facie causatur ex passione verecundie pallor ex timore, color flameus ex ira, liuidus ex inuidia. Calor item et frigus, ex passionibus ire et timoris nascuntur. Ira nanque calefacit timor infrigidat. Uerum ista ratio non est generalis. Non enim omnes passibiles qualitates nate sunt fieri a passionibus. Neque enim ex huiusmodi passionibus predictis timoris aut verecundie potest aliquis effici sapor vel odor, et multe aliarum qualitatum tangibiliū non sunt ab huiusmodi passionib⁹ nate fieri. ¶ Cōprehenduntur quo que sub hac specie qualitatis omnes passiones corporales, vt sunt amor et odiū, gaudium et tristitia, timor, verecundia, ira, spes, audatia, atque huiusmodi, de quibus plane tractauimus vltimo libro cōlyde rationis rerū naturalium. Uidētur item huc pertinere omnes actus vel operationes potentiarum, tam anime, quam corporis, nimirum actuales omnes intellectiones, volitiones, et notitiones, imaginationes, sensationes, aliaque huiusmodi. Omnia enim hec videntur passionis adsimilia. Nonnulli tamen ista ponunt in prima specie qualitatis. Uidentur preterea ad hūc ordinem pertinere qualitates omnes que ab extrinseco imprimuntur, que non ex actibus proprijs, aut ex propria complexione efficiuntur, vt sunt impetus qui rebus ab extrinseco imprimuntur, item ille qualitates quas influentie celestium corporum in hec inferiora agendo imprimunt. Uolunt etiam nonnulli ad hanc speciem redigere species sensibiles atque intelligibiles. Uerum illas iam ante locabimus sub prima specie, quod videntur habitibus magis q̄ actibus similes.



Caput. xlvj.

¶ De quarta specie qualitatis.

Quartum genus sub qualitate comprehendit eas, que hactenus nullo priorum comprehense sunt figuras et formas accidentarias omnium rerum, tam artificialium quā naturaliū, Quarta species qualitatis.

Id ab Aristotele sic assignatur. Figura & quę circa vnum quodque est forma. Tali enim ordine apud Aristotelem genus illud inuenitur assignatum, non ordine inuerso, quo vulgo recitari hoc pacto solet, forma & circa aliquid constās figura. Priore enim loco figura poni debet absolute, ac secundo loco forma, cum adiectione existentię circa aliquid, id quod ad oculum textus Gręcus manifestat qui sic habet, Tetarton de genos piotitos, schimatecę i periecaston y parchusa morphi. Hoc est, vt ad verbum reddamus, Quartum genus qualitatis est, figura & quę circa vnumquodque est forma. Sub hoc genere continentur omnes figurę & formę, siue naturales, vt forma siue figura hominis, equi, arboris, auri, argenti, cęli, atque ita in cęteris quas natura rebus donauit, siue artificiales, vt forma lecti, templi, domus, aliarumq; rerum quas ars humana effinxit, atque in materiam laborioso conamine ingeniique industria conduxit. ¶ De differentia autem figurę, diuersę sunt diuersorum sententię. Seuerinus Boetius ita eas distinguit, Figura inquiens, est vt triangulum aut quadratum. Forma autem, ipsius figurę quędam qualitas est. Ut figura quidem est triangulum vel quadratum, forma autem ipsius trianguli vel quadrati quędam qualitas, vnde etiam formosos homines dicimur Figura enim quędam vel pulchrior, vel mediocris, vel alio quodam modo constituta, qualitas formaque nominatur. Has autē esse qualitates, nullus dubitat. Siquidem & a figura dicitur figuratus & a forma formosus. Hactenus Boetius. Ex quibus patet illum accipere figuram, vt aliquid substratum formę, ita vt possit eadem figura varias suscipere formas, quemadmodum eadem figura faciei humanę, varios vultus assumit, nunc lętum, nunc tristem, nunc benignum, nunc tetricum. ¶ Alij sic distingunt, vt figura proprie ad artificialia referatur, forma ad naturalia: quamquam hęc distinctio sępe confunditur, vt figura dicatur rerum naturalium, quemadmodum dicimus figuram equi aut hominis: forma vero rerum artificialium veluti cum dicimus formam domus aut vestis ¶ Comprehenduntur autem sub hac specie omnes figurę geometricę siue perfectę siue imperfectę. Perfectę dicuntur figurę quę suo termino vel suis terminis sic sunt conclusę, vt nihil possit addi vel subtrahi, sine mutatione speciei. Exempli gratia, figura triangularis perfecta est: quia sic est conclusa suis terminis, id est, tribus lineis, & tribus angulis, qui ex harum trium linearum coniunctione consurgunt, vt nec minima particula vsquam possit adijci vel subtrahi. Circulus quoque vno termino, nempe vnius continuę linea protractione sic est in se conclusus, vt adijci item vel demi nil possit. Quędā autem harum figurarum clauduntur lineis, vt figurę planę quę subiectantur in superficie, quę videlicet secundum latitudinem tantum describuntur, non secundum profunditatem: vt circulus in superficie describitur: & vna linea in seipsam redeunte sine aliquo angulo clauditur. Sic figura triangularis, quadrangularis, & ita consequenter in superficie describūtur, & lineis tribus aut quatuor aut quinque, secundū angulos totidem coniūctis, clauduntur, quemadmodum ad

Perfectę figurę.

oculum patet intuenti descriptionem trianguli, aut quadranguli, aut aliquam aliarum huiusmodi figurarum planarum. Quędam autem clauduntur superficie vel superficiebus, & subiectātur in corpore prędicamenti quātitatis. Cuiusmodi sunt, figura sphęrica, figura cubica, figura pyramidalis: quę vocantur figurę solidę, eo ꝙ non secundum planam superficiem, sed secundum profundam corpulentiam considerentur. ¶ Imperfectę autem figurę dicuntur quę non sunt ita conclusę suis terminis, quin addi eis possit vel subtrahi citra mutationē speciei. Huiusmodi assignantur rectitudo & curuitas, concauitas & conuexitas, simum & aquilinū, & si quę sunt huiusmodi. Figurę namque rectę, secundum lineę rectę protractionem, potest addi aut subtrahi, & manebit rectitudo vt ante. Ita curuitati si aliquid adieceris, manebit curuitas: & si abstuleris aliquid, ęque manebit curuitas. Sic in cōcauitate aut conuexitate superficiei, sic in simo & aquilino. Hę igitur omnes figurę Geometricę cum omnibus figuris & formis alijs quarumcunque rerum, siue naturalium, siue artificialium (quę sunt innumerę) hic sub quarto qualitatis genere suum locum obtinent. Figurę imperfectę.



Caput. xlvij.

De definitione qualium.

Sicut autem qualitatem supra vtcunque definiuit, siue descripsit Aristoteles, ita etiam describit qualia, hoc modo.

Qualia sunt quæ secundum hæc denominatiuè dicuntur, vel quomodolibet aliter ab his. Definitio qualium.

¶ Quę definitio, vel de rebus, vel de terminis potest exponi. De rebus sic exponitur, Illa dicuntur qualia, quę secundum hęc, id est, secūdum qualitates iam dictas & determinatas, dicuntur denominatiue, id est, denominantur aliquo denominatiuo proprie dicto, voce & significatione simul, vel etiā quę ab his qualitatibus dicuntur talia aut talia: quomodolibet aliter, supple ꝙ per propriū dnominatiuū voce & significatione simul, id est, denominatiuo significatione tantū. Exēpli gratia, Homo iustus & homo sciens sunt qualia, quoniā secundū qualitates dicuntur denominatiue, id est, denominantur denominatiuo aliquo proprie dicto (quod est denominatiuum voce & significatione) dicendo homo est iustus, homo est sciens. Secundę partis exēplum est, homo studiosus vel ꝓbus. Secundum virtutē nanque licet non denominetur homo denominatiuo ꝓprię dicto, voce & significatione simul, dicendo, homo est virtuosus (quoniā virtuosus non est vox recepta latinis, potissimū autē Gręcis nullum est concretū secundū vocē respondens abstracto areti quod virtutē significat) denominatur tamē ab illa qualitate homo gręce spudayos, latine studiosus: quod est quomodolibet alter denominari, id est, non per denominatiuū voce & significatione sed significatione tantum. ¶ De vocibus autem sic potest exponi, Qualia, id est, concreta prędicamenti qualitatis, dicunur vocabula siue concreta, quę secundū hęc, id est, secun-

dam qualitates prędictas, dicuntur denominatiue, id est, prędicantur sicut denominatiua voce ⁊ significatione simul, vel quomodolibet aliter ab his, id est, aliter ꝙ voce, ⁊ significatione, nempe significatione tantum, secundũ aliquas qualitates. Exẽpli gratia, Uocabula albus ⁊ niger, qualia sunt quia prędicãtur de subiectis, tãquam dnominatiua proprie dicta voce ⁊ significatione, idq; secundũ qualitate albedinẽ ⁊ nigredinẽ. Item studiosus ⁊ probus, qualia sunt respectu virtutis quia licet nõ prędicentur secundũ virtutẽ, vt denominatiua proprie dicta voce ⁊ significatione, dicuntur tamen secundũ eam aliquo modo aliter, id est, tanquã denominatiua significatione. ¶ Unde quomodo supra circa definitionẽ denominatiuorũ distinximus triplicia denominatiua, quędã voce tantum, quędã significatione tantũ, quędam voce ⁊ significatione simul: ⁊ ita in ꝓposito triplicia qualia possumus distinguere, nempe qualia voce tãtum, significatione tantũ, ⁊ voce ac significatione pariter. Primi membri exemplũ ponit Aristoteles in textu cursorem, ⁊ pugillatorẽ, vt significẽt naturales potentias. Hęc enim duo qualia denominatiua sunt tantũ secundũ vocem, respectu cursorię ⁊ pugilatorię: quę (vt ait Arist.) non naturalẽ potentiã, sed habitum significãt. Unde respectu horũ habstractorũ, alia qualia tantum sunt denominatiua secundũ vocẽ. Secundi mẽbri exemplũ dedimus studiosum vel ꝓbum respectu virtutis. Uoce enim hęc non cõueniũt, sed significatione. Tertij mẽbri sunt exẽpla plurima ab omnibus pene qualitatibus. Pene enim omnes qualites sua habent ꝓpria concreta, secundũ vocẽ ab ipsis abstractis deriuata. Definit autẽ Aristoteles in ꝓposito, nõ solũ qualia voce ⁊ significatione, sed etiã qualia significatione, tantũ, Priora quidẽ sub priore mẽbro, posteriora vero sub posteriore concludens. Qualibus autem voce tantum non conuenit definitio, quoniam illa nullo modo secundum qualitates



dicuntur. Non enim dicitur quis cursor aut pugillator (in significatione naturalis potentię) a disciplina cursoria vel palestrica.

Caput. xlviij.

¶ De conditionibus siue proprietatibus qualitatis.

Qualitatis prima ꝓprietas.

PRima proprietas qualitatis hęc est,

Inest contrarietas qualitati.

¶ Exẽpla possunt inueniri in singulis quatuor speciebus qualitatis. In prima enim sunt, virtus ⁊ vitium, scientia ⁊ ignorantia, contraria quam vocãt prauę dispositionis. In secunda sunt, salubre, ⁊ insalubre durum ⁊ molle, visiuum ⁊ impotens videre, imo ⁊ ipsa duo prima genera naturalis potẽtia ⁊ naturalis impotẽtia. In tertia sunt colores contrarij, albedo ⁊ nigredo: sapores contrarij, dulcedo ⁊ amaritudo odores cõtrarij, grauis ⁊ lenis: tãgibiles qualitates contrarię, calor ⁊ frigus humiditas ⁊ siccitas. In quarta quoq;, rectitudo ⁊ curuitas, simũ ⁊ aquilinum. ¶ Non omni tamen qualitati conuenit habere contrarium, cum plurimę nullum habeant. In prima specie qualitatis

omnes species sensibiles & intelligibiles non habent contrarium. Si enim vlle species sensibiles haberet contrariu, maxime id videretur in speciebus a qualitatibus contrarijs procedentibus: que tamen vere non contrariantur, cum possint simul in eodem subiecto existere, quemadmodum ex physicis est manifestum. In secunda specie, intellectus & voluntas non habent cotrarietate. In tertia colores medij, item odores & sapores medij. In quarta vero, omnes figure perfecte vt triangulus quadragnlus, figura sphęrica & cubica, contrarijs caret. ¶ Non potest igitur hęc conditio qualitatis dici propria ei quarto modo, quoniam non omni qualitati conuenit. Propria tamen dicetur primo modo, si recte intelligatur. Soli enim qualitati conuenit vera & proprie dicta contrarietas. Substantię enim (vt supra dictum est) nihil est contrarium. Idem dictu est de quantitate. In ad aliquid non assignatur contrarietas, nisi large sumpto nomine ad aliquid, vt etiam coprehendat qualitates. In alijs vero nonnullis, vtpote actione & passione, si videatur inueniri contrarietas, no proprie, & propter ipsam inuenitur, sed per accidens, qualitatum gratia, vt paulo post suo loco dicetur.

Caput. xlix.

¶ Secunda proprietas qualitatis.

Qualitas suscipit magis & minus. Secunda pprietas.

¶ Suscipere autem magis & minus est intensionem suscipere vel remissionem si de rebus loquamur: vel cum aduerbijs magis & minus intensionem aut remissionem rei significantę designantibus prędicari si de vocabulis fiat sermo. Atque in hoc sensu proprie loquendo, coditio ista propria est qualitati primo modo, quoniam conuenit soli qualitati & non omni. In singulis quidem speciebus qualitatis prętterquam in vltima inuenitur magis & minus. Habitus enim & dispositiones intenduntur & remittuntur, & pręedicantur termini cu magis & minus, vt alius est alio magis grammaticus, magis sciens, magis liberalis, magis iustus. Sic in secunda specie, alius est alio magis salubris aut egrotatiuus aliud alio magis duru aut magis molle. In tertia, manifestu est aliud alio esse magis calidu, magis albu, magis amaru & ita in cęteris. ¶ Non omni autem qualitati conuenit suscipere magis & minus. In quarta enim specie, penitus non inuenitur intensio vel remissio, neque prędicatio secudu magis & minus proprie accepta. Non enim vnum dicimus magis triangulare aut quadrągulare, sphęricu aut cubicum, aut pyramidale, aut circulare, quam alteru. Quicquid enim eiusmodi fuerit perfecte eiusmodi esse debet. vt no possit esse magis liquide figurę eiusmodi (vt dici solet) cosistut in indiuisibili. ¶ De figuris autę imperfectis quę no cosistut in indiuisibili, tamet si secundu nomen videri possit, eas suscipere magis & minus, vt dicitur alius alio magis simus aut aquilinus, linea itę vna dicitur alia magis curua, id tamę no est ratione intęsionis reru significatarū

sed aliunde: nempe ex latiori extensione vel commẽsuratione, vel distantia locali. Non omni igitur qualitati conuenit suscipere magis & minus. Soli tamen conuenit qualitati, si proprie intelligatur, vt supra expositum est. ¶ Quod si quędam alia videntur dici secũdum magis & minus, erit hoc non ratione intensionis aut remissionis rei significatę, quemadmodum supra dictum est de inęquali, quod dicitur secundum magis & minus alia ratione. Termini quoque prędicamenti actionis & passionis, aliquo modo dicuntur secundum magis & minus: sed non nisi ratione qualitatum, vt suo loco posterius dicetur.

Caput. I.

¶ De tertia proprietate qualitatis.

Tertiam insuper ponit Aristoteles cõditionem qualitatis, quę sola ei proprie est propria.

Tertia ꝓprietas.

Similia, inquit, & dissimilia secundum solas qualitates dicuntur.

¶ Est autem hoc qualitati proprium quarto modo, secundum ipsam aliquid dici simile, aut dissimile: quemadmodum de quantitate diximus proprium ei esse, vt secũdum eam res dicatur ęqualis aut inęqualis. Omni enim qualitati id conuenit, quoniam secundum omnes qualitates sumitur similitudo in omni specie. Duo enim gramatici similes sibi sunt in grammatica, quam vterque habet. Duo albi, duo nigri, sibi inuicem sunt similes. Duo quorum alter est sciens, alter ignorans ignorantia prauę dispositionis, alter recte credens, alter hęreticus, alter albus, alter niger, sibi inuicem dissimiles sunt. Duo triangularia corpora, sibi similia sunt. Duo quorum alterum est triangulare, alterum quadrangulare sibi inuicem sunt dissimilia. Soli quoque id conuenit qualitati. Neque enim secundum substantiam sumitur similitudo, neque secundum quantitatem, neque secũdum ad aliquid, neque secundum aliquid aliorum, sed secundum solas qualitates.

Quid similitudo, & dissimilitu

¶ Solent autem similitudo & dissimilitudo sic definiri. Similitudo est rerum differentium eadem qualitas. Dissimilitudo est rerum differentium diuersa qualitas. Quę discriptiones sunt causaliter intelligendę, in hunc modum, Similitudo causatur ex eadem, (idest, consimili secundum speciem) qualitate, in diuersis subiectis. Dissimilitudo vero causatur ex diuersis secundum speciem qualitatibus in diuersis subiectis existentibus. Hoc est, illa sunt similia adinuicem, quę habent eandem secundum speciem qualitatem: illa dissimilia quę habent diuersas secundum speciem qualitates. Sola enim diuersitas numeralis qualitatum, non ponit dissimilitudinem, sed tantum specifica atque generica.

¶ De præ

¶De prædicamento qualitatis.

¶Visa diffinitione, atq; diuisione cum proprietatibus qualitatis, sequitur pars argumentatiua.

Pars argumentatiua.

¶Contra diffinitionem qualitatis. Si diffinitio qualitatis esset bona sequeretur quòd daretur aliquod quale, & tamen à nulla qualitate esset quale, quòd videtur inconueniens. Sequela est bona, & antecedens probo. Detur aliquod coloratum mixtum ex omni specie qualitatis, tunc illud esset quale sed à nulla specie qualitatis esset quale, ergo diffinitio nulla. Et si dicas quòd à prima (putà ab habitu, seu dispositione,) dicitur quod a secunda, tertia, vel quarta cum non sit maior ratio, quòd ab vna nominetur quam ab alia. Pri. argu.

¶Secundo sic, Si diffinitio qualitatis esset bona, sequeretur quod subiecta & qualitas essent qualitates, sequelam probo, quia quælibet res est suæ partes, ergo, parilitas, vel imparilitas, ratione partium: sed parilitas & imparilitas sunt qualitates, ergo si partes sunt qualitates, & totum constitutum, putà substantia, vel quantitas. ii. argumẽ.

¶Tertio sic. Nullum quale est prædicamẽtum, ergo neq; qualitas. Sequela est bona cum sit à coniugatis, vel ab effectu formali ac suam causam; sed antecedens probo. Ens per accidẽs non est prædicamentum, sed quale est ens per accidens, ergo in tentum. iij. argumẽ

¶Quarto sic. Secundum differentias quorumcunq; prædicamentorum dicuntur concreta illorum prædicamentorũ qualia, vt pote, per rationale, omnes homines dicũtur rationales per cõtinuum, qualitates dicuntur continuæ, per discretũ discretæ: & sic de alijs, ergo non secundum qualitatem præcise dicuntur qualia. iiij. argu.

¶Quinto sic. Illa diffinitio conuenit alijs à diffinito, ergo nõ est bona. Sequela est nota, & antecedens probo. Quicquid perficit subiectũ in esse secundo est qualitas sed attributa di- v. argumẽ.

uina putâ charitas, sapientia, veritas, bonitas perficiunt ipsum subiectum diuinum, vel saltem dicunt perfectionem in esse secundo, ergo in Deo reperiretur qualitas, & sic diffinitio cõuenire talis à diffinito cum hæc non ponantur in prædicamẽto vllo.

¶ Contra primam proprietatem.

vj.argumẽ ¶ Argu. sic primo, Ens rationis non ponitur in hoc prędicamento, ergo scientia non ponitur in prima specie qualitatis. Maior, est nota, sed sequelam & consequens probo. Scientia est ens rationis, tum quia ratione producta, tum quia in ratione subiectata, tum quia est scientia rationalis: & si rationalis, ergo non realis, ex quo videtur concludere argumentũ.

¶ Contra secundam proprietatem.

vij.argu. ¶ Primo sic. Si illa species esset bene assignata, sequeretur q̧ voluntas & intellectus essent in hac specie. Sequelam probo Sunt potentiæ naturales, ergo sequela est bona: sed cõsequẽs est falsum, quia voluntas, & intellectus sunt substantię, ergo non ponuntur in hoc prædicamento.

viij.arg. ¶ Secundo sic arg. Sanatiuum & sanitas ponuntur in eodem prędicamento, & in eadem specie, quia materia & forma in eadem specie ponitur: vt corpus & anima vegetatiua seu sensitiua.

ix. argumẽ ¶ Tertio sic. Quicquid habet ortum à natura est naturale, sed voluntas, intellectus, gratia, scientia, flebile, corruptibile, generabile, habẽt ortum à natura: ergo sunt naturalia, & ita potentia naturæ vel impotentia, & sic omnia hæc sunt in hac specie qualitatis quod videtur falsum.

¶ Contra tertiam speciem.

x.argumen ¶ Sic arg. Vel passibilis qualitas sumitur ibi pro qualitatibus sensibilibus, vel pro speciebus illarũ, vel saltem pro operationibus, seu sensationibus, non primum, neq; secundum, neq; etiam tertium cum ista magis perficiant sensum, & delectẽtur ipsam potentiam.

xi.argumẽ. ¶ Secundo arg. sic. Qualitas ponitur in prima specie qualitatis ergo non in tertia sequela videtur bona quia idẽ non debet poni in diuersis speciebus, cum species inter se distinguantur.

¶Contra quartam speciem.

¶Arguitur sic. Forma ponitur in diuersis prædicamentis & figura in prædicamento quantitatis, ergo non in eodem prædicamento & minus in eadem specie. iiij. argumē

Pars Responsiua.

¶Ad primum respondetur ponendo propositiones. Ad primū.

¶Prima propositio, Si talis mixtio daretur, illud diceretur coloratum, & ex consequenti quale. Pri. prop

¶Secūda pp. Illud quale esset in aliqua specie medij coloris. ij. proposi.

¶Tertia. Casus est admittendus, cum qualitas suscipiat magis & minus, & qualitates se penetrent: non tantū eiusdē speciei, vt caliditas & caliditas, albedo & albedo, &c. sed etiam diuersarum mediorum colorum, vt patet. iij. propo.

¶Ad secundum, Nego sequelam, & ad probationem teneo q᷑ totum distinguitur à suis partibus. Item cōcedo, quòd de substantia prædicatur quale accidentaliter & de nominatiué, & similiter de quantitate, sed neq; substantia neq; quantitas est qualitas. Itē parilitas & imparilitas vidētur magis pertinere ad quantitatem, quàm ad qualitatem, vel substantiam. Ad. ij.

¶Ad tertium quando arg. Nullum quale est prædicamentū ergo neq; qualitas, nego sequelam, & ad probationem concedo quòd nullum, eius per accidens est prędicamentum, sed nego quòd ly quale sit ens per accidens, est nempe de nominatiuum, siue cōcretū, cuius abstractum est qualitas. Item subiecta harum propositum supponunt simpliciter, putà quale est prædicamentum, & qualitas est prædicamentum, ex quibus infero quòd hæ consequentiæ sunt nullæ, Nullum quale est prædicamentum, ergo quale non est prædicamentum. Similiter nulla qualitas est prædicamentum, ergo qualitas non est prædicamentum, arguitur enim à suppositione personali ad simplicem, & sic committitur falatia figuræ dictionis. Ad. iij.

¶Ad quartum quando arguitur. Secundū differentias quorūcunq; prædicamētorum &c. Respondeo de eo, concedendo q᷑ omne prędicamentum, & quæcunq; contenta sub prędicamento possunt dici qualia, capiendo quale pro differentijs Ad. iiij. ar.

essentialibus,& modis intrinsecis, vel passionibus, sed non ca piendo quale, vt pertinet ad tertiam speciem qualitatis, quia prima tria membra prædicantur de suis subiectis identice, vel formaliter: vt, homo est rationalis, homo est finitus, homo est risibilis, sed quale tertiæ speciei qualitatis, dicitur de suis subiectis essentialiter & separabiliter.

Ad. v. arg. ¶ Ad quintum quando arguitur. Quicquid dicit perfectionem in actu secundo, respondeo, quod argumentum concludit, de qualitate transcendentali, & ita non est multum ad propositum, cum in præsentiarum tractetur tantum de charitate propriè dicta & de tertia specie qualitatis.

Ad. vj. arg ¶ Ad sextum, contra primam proprietatem, cum arguis. Ens rationis non ponitur in hoc prædicamento, ergo sciẽtia non est primæ speciei qualitatis. Respondeo per sequentes propositiones.

Pri. ppo. ¶ Prima. Sciẽtia, dicitur rationalis quia producta est a ratione id est, ab intellectu.

¶ Secunda. Sciẽtia dicitur rationalis, quia subiecta est in ratione, hoc, est in intellectu.

¶ Tertia. Sciẽtia logica, grammatica, vel rethorica, dicuntur scientię rationales, quia sunt de secundis intentionibus adiunctis primis, tamẽ, tam logica quã rethorica, vel grammatica sunt qualitates reales intrinsecé, licet extrinsecé ab obiectis dicantur rationales.

Ad. vij. ar. ¶ Ad septimum, contra secundam proprietatem cum arguis, Si illa species esset bene assignata, sequeretur quod intellectus, & voluntas essent in hac specie, &c. Ad hoc respondeo, negando sequelam, quia intellectus, & voluntas sunt substantiæ, quapropter ponuntur in prædicamento substantiæ, saltem reductiué. Illa quæ dicuntur naturales potentiæ, vel in potentiæ sunt magis inclinationes naturales, seu habilitates prouenientes a propria natura ad aliquam operationem.

Ad. viij. ar ¶ Ad octauum argumentum, videlicet cum arguitur, Sanatiuum, & sanitas ponuntur in eodem prædicamento qualitatis sed sanatiuum potest capi vno modo, pro naturali potẽtia ad

sanandum, vel habendam sanitatem, & sic ponuntur in secunda specie qualitatis. Alio modo potest capi pro subiecto habente sanitatem, & sic non est in prædicamento, vt nec homo sanus, cum sit ens per accidens, & sic patet solutio.

¶ Ad nonum, Scilicet quęcunque habēt ortū à natura sunt naturalia, vt calor ab igne, flebile, corruptibile, & cætera, respōdeo quòd maior potest concedi largo modo, sed non stricto, ratio quia risibile, flebile, corruptibile, & similia, sunt in prædicamento ad aliquid, cum dicant respectus ad actum suum vt risibile ad risum. Ad.ix.arg.

Ad decimum. Contra tertiam speciem, ibi passibilis qualitas, & cætera, perficiunt subiectum, vel etiam delectant potentiam. Ad hæc dicitur quòd passio est qualitas cito transiens inferens passionem vel illata à passione, vt rubedo ex verecundia sed passibilis qualitas permanens & inferens passionem subiecto: vt qualitates sensibiles, scilicet color sonus, sapor, odor, caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas. Et quando dicis perficiunt subiectum, & delectant potentiam, ad hoc respondeo, quòd perficiunt aliquæ qualitates perfectione accidentali, sed non essentiali. Aliæ disponunt subiectum ad corruptionem: vt nimia caliditas, vel frigiditas, & cætera. Et ad illud delectant potentiam verum est qualitates obiectorū delectabilium, ergo non est passibilis qualitas, nego sequelam, quia delectatio, gaudium, &c. passiones naturales dicuntur & sunt. Ad.x.arg.

¶ Ad vndecimum, Caliditas ponitur in prima specie, ergo nō in tertia specie. Negatur sequela, quia (vt ait Scotus in quarto distinctione sexta, quęstione decima) isti magis sunt modi dicendi quàm species, cum caracther sit in diuersis speciebus, &c. Ad.xi.arg.

¶ Ad vltimum cum arguis. Forma ponitur in prædicamēto qualitatis, & figura in prædicamento quantitatis, ergo non in eodem prędicamento, nec minus in eadem specie. Respondeo, quòd forma hic non sumitur pro altera parte compositi: vt est anima sed pro figura quia idē est forma, & figura, sed figura capitur dupliciter primo pro quantitate ter- Ad.xii.arg

minata quæ termino, vel terminis clauditur, alio modo pro dispositione qualitatis, quod non est aliud nisi ordo partium ad totum locum, vel ad partem loci, & in proposito non est quantitas figura, sed ordo partium ad partes loci.

Caput .II.

De prędicamento actionis.

Determinatis late prioribus quatuor prędicamentis, sex posteriora, nempe actionem, passionem, vbi, quando, situm esse, & habere, paucissimis perstringit verius quam tradit Aristoteles, eo quod sub ad aliquid magna ex parte eorum natura sit explicata, cum sint omnia ista prędicamenta respectiua & quodammodo ad aliquid, neque ita multa magnę vtilitatis de his, vt de alijs prędictis, occurrũt determinada. Posteriores vero nõnulli, exactius de his existimauerunt differendum. Quorum & nos sententiam institutumque aliquousque sequentes singula horum suo ordine compendiose tractabimus. Nec enim temere contẽnenda, aut reijcienda sunt quę posteriorum sagax diligentia priorum bonis inuentis adiecit. De actione igitur dicturi, primo eius definitionem explicabimus, deinde species sub ipsa diuersas assignabimus, ac postremo conditiones proprietatesque eius locabimus, quo ordine hactenus est a nobis, sicut & ab Aristotele, processum. Definitur itaque actio hoc modo.

Actio est, secundum quam in id quod subijcitur agere dicimur.

Definitio actionis.

Cuius sensus est, Actio est forma aliqua accidentalis siue habitudo quędam secundum quam res aliqua dicitur agere in id quod subijcitur. Vt calefactio actiua est actio: quoniam secundum ipsam dicitur ignis calefaciens agere in aquam sibi subiectam secundum virtutem. Subiectio enim ista non est intelligẽda suppositio localis. Sic enim aqua non subijcitur, sed supraponitur igni a quo calefit. Verum secundum virtutẽ accipitur ista subiectio, vt illud dicatur alteri subijci in proposito, quod ab altero virtute & actiuitate superatur. Quomodo aqua igni subijcitur, quando virtus ignis sic pręualet aquę, vt cogat eam suscipere a se caloris impressionem. Diuiditur autem actio in actionem animę & corporis. Actio corporis est, quę subiectatur in corpore, vt calefactio actiua, frigefactio actiua, induratio itẽ & emollitio, sectio, percussio, aliaque huiusmodi. Actio vero animę est, quę subiectatur in anima vel spiritu, vt intellectio actiua, volitio

omne agens in agendo virtute et activitate debet superare passum

omne agens in agendo repatitur

actiua. Intellectus enim cum producit in se intellectionem, agendo illam producit, & in seipsum patiendo recipit. Similiter & voluntas agendo elicit volitionis actum. Unde ipsum illud elicere actum intelligendi siue volendi, est agere, quemadmodum econtrario, ipsum suscipere est pati. Sub actione anime, comprehenditur etiam actio angelica, vtpote volitio aut nolitio & intellectio angelica. Propter hoc in definitione signanter diximus, que subiectatur in anima vel spiritu. Posset autem hoc in loco multiplex actio distingui, & multe possent assignari actionum differentie, sed quia ad physicam considerationem spectant huiusmodi, a nobis impresentiarum relinquuntur.

Caput. iij.

¶ De proprietatibus actionis & passionis.

Ponit Aristoteles paucis verbis duas actionis, & passionis proprietates. Prior hec est.

Prima actionis proprietas.

Suscipiunt agere, & pati contrarietatem.

¶ Quod intelligendum est, non per se, sed per accidens tantum ratione, videlicet contrariarum qualitatum concomitantium, que per actionem agentis suscipiuntur in patiente. Exempli gratia, Calefacere & frigefacere aliquo modo dicuntur contraria sibi inuicem, eo quod per calefactionem imprimitur in patiens subiectum caliditas, per frigefactionem frigiditas, que sunt due qualitates contrarie. Idem est de induratione & emollitione. Ceterum, ipse actiones ex sua natura non contrariantur. Quod manifeste ex eo patet, quoniam in eodem simul esse possunt: quemadmodum in sole indurante lutum, & liquefaciente glaciem, simul sunt induratio actiua & emollitio. Non ergo per se, sed tantum per accidens, agere & pati suscipiunt contrarietatem. ¶ Non omnibus autem actionibus conuenit, sic contraria suscipere. Nam describere in superficie circulum aut quadrangulum, est quoddam agere, & descriptio illa actiua est actio: nullum habet tamen contrarium, sicut neque circulus aut quadrangulus. Item illuminatio actiua nullum habet contrarium, sicut nec lumen contrarietatem habet, sed tantum priuationem. Uniuersaliter enim ille actiones & passiones suscipiunt per accidens cõtrarietatem, per quas in patiente imprimitur aliqua qualitas habens per se contrarium. Quando vero qualitas illa in patiente recepta non habet contrariũ, tunc nec actio ipsa neque passio, cũ actio & passio nõ

nisi per accidens, ratione eiusmodi qualitatũ, contrarietatem suscipiant. Exempla patent ex iis que dicta sunt. ¶ Altera vero proprietas actionis & passionis hec est.

Secunda proprietas actionis. Suscipiunt agere, & pati magis, & minus.

¶ Que similiter intelligenda est sicut precedens, nimirum actionem & passionem suscipere magis, & minus per accidens, ratione qualitatum receptarum in subiecto patiente, nõ autem per se. Exempli gratia, ignis vnus dicitur magis calefacere alio, aut frigidum vnum magis frigefacere alio. Uerum id non facit per se ipsa natura actionis (que cum sit habitudo quedam nõ intenditur vel remittitur) sed per accidens id dicitur ratione alterius, nempe qualitatis ipsius caloris vel frigoris, que per vnam actionem intẽsior imprimitur in passum, quam per alteram, secundum quod agens potentius est virtute & passum magis ad patiendum dispositum. Quare enim dicitur magis calefacere ignis magnus quam paruus, nisi quia magnus imprimit calorem intensum, paruus remissiorem? Quare dicitur sol magis illuminare aerem quam luna, nisi quia maius & intensius lumen sol diffundit in aerem quam luna? Atque ita in reliquis. Non ergo per se magis & minus suscipiunt actio & passio, sed tantum per accidens. ¶ Non autem omnibus actionibus id conuenit, sed iis tantum per quas imprimitur in subiecto qualitas aliqua, intensionem vel remissionem suscipiens, iuxta quod in precedenti proprietate proportionabiliter diximus. Ignis enim alius alio dicitur magis calefacere, & aqua alia magis alia frigefacere: quoniam caliditas & frigiditas contrarie qualitates, per actiones illas impresse in passum suscipiũt intensionem & remissionem. Qui autem circulat aut quadrat (vt ita loquar) non magis circulare, aut quadrare alius alio dicitur, sicut nec circulus alius alio est intensior vel remissior.

¶ De prædicamento actionis.

¶ Visis diffinitione, & proprietatibus actionis gratia exercitii arguitur sic.

Primũ ar. ¶ Nullum respectiuum est prius suo termino, cum dependeat essentialiter ab vtroq;, sed actio est respectus, ergo nõ est prior qualitate producta videlicet caliditate.

ii. argumẽ. ¶ Secũdo sic. Nullus respectus habet plures terminos ad quos terminetur, quia non videtur esse vnus respectus, sed actio habet formam productam puta caliditatem productam in

aqua,& passum videlicet ipsam aquam transmutatã, ergo actio non est respectus, vel relatio.

¶ Tertio sic. Omnes respectus mutui sunt in eodem prædicamento, sed actio & passio sunt respectus mutui, ergo non faciunt duo prædicamenta. iij. argumẽ

¶ Quarto sic. Actio est in prædicamento qualitatis, ergo nõ facit per se prędicamentũ. Sequela videtur bona quia nihil idẽ videtur esse in diuersis prædicamẽtis, & antecedens patet de intelligere, & intellectione, velle & volitione, quæ sunt in prædicamento qualitatis, cum sint actiones. iiij. argu.

¶ Quinto sic. Si actio esset, alicui genito cõmunicaretur, sed nulli cõmunicatur, ergo vel actio est frustra, vel illa nulli cõmunicatur, sequela videtur bona & antecedens patet. Prima entitas incommunicabilis est actio in generatione diuina, ergo à simili debet esse in creaturis. Antecedẽs patet, quia alias filius seipsum generaret, vel alium filium q; est impossibile. Scotus in quarta quæstione colibeti. v. argumẽ

¶ Pars responsiua.

¶ Ad primum respondeo, quòd agenes habet diuersos respectus, vnus est ad passum sicut respectus ignis calefacientis aquam, ad ipsam transmutatam, & sic nuncupantur agens, alius est respectus ipsius agentis ad rem productam, putà ad caliditatẽ in aqua, & respectu huius dicitur producens, tunc dico q; sumendo agens in modo non est prius suo termino, hoc est passo, sed sunt simul natura cum se habeant relatiuè. Sed sumendo agens siue producens in ordine ad suum effectum, putàad caliditatem productam bene est prius, cum omnis causa sit prior suo effectu. Ad primũ. Diuersi respectus agẽtis.

¶ Ad secundum respondetur, Quòd respectus potest habere plures terminos, videlicet, vnum totale & principale (licet remotum) & alium propinquum & immediatum, & sic actio terminatur ad passum tanquam ad totalem terminum & remotum; sed terminatur ad illam qualitatem productam im- Ad secũdũ. Respectus potest habe re plures terminos.

mediatè quia est finis suæ operationis cum omne agens agat propter finem.

Ad. iij. Ad tertium respondetur. Quòd maior est vera de respectibus intrinsecus aduenientibus, sicut est pater & filius, seu paternitas & filiatio: non tamen est vera de respectibus extrinsecus aduenientibus sicut sunt actio & passio.

Ad. iiij. Duplex est actio. Ad quartum dico quod duplex est actio, permanens & transiens. Prima habet duas conditiones. Prima quia semper est in fieri, id est, in dependentia continua ad causam eam conseruantem, sicut sunt omnes creaturæ respectu dei. Secunda est quasi transiens in obiecto sicut in terminos, sed obiectum non accipit esse per illam operationem, vt intelligo lapidem, lapis non accipit esse simpliciter per meam intellectionem sed esse cognitum, seu secundum quid tantũ. Alia est actio transiens quæ habet prædictas duas conditiones: & cum hoc habet tertiam, quia obiectũ seu subiectũ accipit esse per illam notionẽ: vt qualiditas producta ab igne. Prima est vera qualitas, & vocatur actio in mânens. Secunda est vera actio, de genere actionis & sic actio dicitur æquiuoca de illis.

Actio transiens.

Actio æquiuoca.

Vltimo nota quod ignis calefacit calore in ratione principij formalis & dicitur ratio agẽdi. Item calefacit calefacione ratione formæ proximæ prædominantis, & dicitur ratio agentis

Item nota quod ly secundum dicit aptitudinem formæ denominantis proximæ.

Ad.v. Ad quintum concedo sequelam & nego minorem, & quando arguis si in diuinis cõmunicaretur idem produceret seipsum, concedo & dico quòd prima entitas indiuinis in cõmunicabilis est actio, vel productio actiua patris respectu filij. & cum infers, ergo ea debet esse in creaturis, nego simile. Ratio quia diuina natura est infinita & indiuisibilis, sed natura creata est diuisibilis & multiplicabilis & sic actio naturæ est cõmunicabilis: sed non diuina.

Caput.iiij.

De predicamento passionis.

ACtio et passio correlatiua sunt adinuicem. Refertur enim agens ad patiens, et econuerso: quoniam omne agens dicitur agere in patiens aliquod, et omne patiens dicitur pati ab agente quopiam. Nec potest esse agens nisi sit patiens, neque patiens nisi sit agens. Propter hanc mutuã relationem et correspondentiam, cognita natura actionis, satis cognoscitur natura passionis: quoniam (iuxta regulam suprapositam) si quis vnum relatiuorum definite nouerit, noscet et reliquum. Pro maiori tamen claritate paucis aptemus passioni, que de actione suo modo dicta sunt. Primum ergo sic definitur passio.

Passio est illatio effectusque actionis.

Prior definitio passionis.

¶ Hoc est, passio est id quod infertur ex actione, siue correlatiuum actionis. Vel sit, opposito modo ad definitionem actionis.

Passio est secundum quam, id quod subicitur, pati dicitur.

Altera definitio.

¶ Que definitio, ex prius declarata actionis definitione satis clara relinquitur. ¶ Diuiditur autem passio in passionem corporis, et anime. Passio corporis est, que subiectatur in corpore, vt calefactio passiua, frigefactio passiua, induratio item et emollitio passiua et cetera. Passio anime est, que subiectatur in anima vel spiritu, vt sunt intellectiones, volitiones, et nolitiones passiue siue in hominibus siue in angelis. Passionis autẽ proprietates ex dictis manifeste sunt. Suscipiũt enim per accidens contrarietatem, non quidem omnes, sed ille per quas in passo recipiuntur contrarie qualitates, vt frigefactio passiua et calefactio, induratio passiua et emollitio. Illuminatio autem passiua non suscipit, neque per se, neque per accidens, contrarietatem. Suscipiunt quoque per accidens magis et minus, non item omnes, sed ille que qualitates habent concomitantes, intentionem et remissionem suscipientes. Vt calefit vnum altero magis, aut frigefit. Inter ea autem que circulantur aut quadrantur, non dicitur aliud alio magis. ¶ Adijcitur predictis alia conditio, que vere proprietas est passionis.

Passio primo infertur ex actione.

Tertia proprietas.

¶ Hoc est, passioni conuenit, immediate inferri ex actione: sicut econtrario actioni conuenit, ex se primo et immediate inferre passionem quemadmodũ enim pater primo infert filium, et filius primo infertur ex patre: quoniã si pater est, oportet filiũ esse, cũ sit pater filij pater-

ita & de agēte & patiente consimiliter dicendum, cum sint (vt diximus) ad inuicem relatiua.

Caput. liiii.

¶ De prędicamento vbi.

Quę sequūtur omnia, vsque ad post prędicamenta, festin⁹ lector sine magno detrimēto omittet.

Circa hęc duo prędicamenta, quando & vbi, notandum est in proposito, non accipi vocabula illa interrogatiue, veluti cum dicimus, quando veniet dominus, aut vbi habitat? Neque item aduerbialiter & indefinite, velut cum dicimus, Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum: aut, illic pax est vbi Christus habitat. Sed accipiuntur vt sint quędam nomina, secundum significationem. Vbi enim accipimus pro esse in loco, & quando pro esse in tempore. Id que si concretiue accipiantur, si vero abstractiue, habitudines ipsę intelliguntur rei locatę ad locum quo circunscribuntur aut rei temporalis ad tempus quo mensuratur. ¶ Definitur autem hoc modo.

Difinitio, vbi.

Vbi est circunscriptio corporis locati, à loci circunscriptione procedens.

Cuius definitionis hic est sensus. Vbi est habitudo quędam ipsius corporis locum aliquem obtinentis: quę habitudo in ipso locato prouenit, ex hoc quod a loco certo circunscribitur vel continetur. Manifestum enim est id quod est in loco aliquo, determinatā quandam habitudinem habere ad locum suum quo continetur & circunscribitur: hancq; habitudinē, ipsum vbi abstractiue nuncupamus, & ipsum sic esse in loco, vbi cōcretiue. Exēpla per se clara sunt, vt esse in coelo, esse in terra, esse in domo, in tēplo. &c, ¶ Solēt autem diuidere vbi, in vbi simplex, & vbi compositum. Vbi simplex dicitur habitudo alicuius locati ad locum simplicem & indiuisibilem, vel ad locum diuisibilem indiuisibiliter se habentis. Exemplum primi, vt esse angeli in puncto, quod appellatur locus indiuisibilis. Exēplum secundi, vt esse angeli in hoc tēplo, in hac ciuitate, in hac regione. Est enim in hoc loco diuisibili angel⁹ indiuisibiliter: quoniā non habet partes diuersas correspondentes diuersis partibus loci, cum sit ipse natura sua indiuisibilis, & partes non habens integrales. Simili fere modo est anima rationalis in corpore quod informat: quoniam non habet partes correspondentes partibus corporis, sed tota est in toto, & tota in qualibet eius viua particula. Sic item in dignissimo illo sacrę eucharistię sacramento, preciosum domini nostri Jesu Christi corpus est in loco illo quem species occupant sacramentales, indiuisibiliter: quoniam totus ipse in toto est loco, & totus singulis adest partibus. ¶ Vbi vero compositum dicitur, habitudo corporis locati ad locum diuisibilē, & diuisibiliter ipsum continentē, ipsumq;

circunscribentem. Ut esse rerum corporalium in aqua, vel in aere. Sunt enim res istę corporales sic in locis suis diuisibiliter, vt singulę partes locati singulis partibus loci respondeant. Quemadmodum videlicet manus mea habet suum locum quem nō caput: & caput aliū locum quem non pedes, atque ita in cęteris. Atque istud vocant esse in loco circunscriptiue, quemadmodum pręcedens vocatur esse in loco definitiue. De quibus varijs modis existendi in loco, plenius suo loco diximus in libro quarto considerationis rerum naturalium, caput. xiiij. Assignantur quoque conditiones quędam ipsi vbi, quemadmodum hactenus prędicamentis alijs sunt asignatę.

¶ Prima proprietas est.

Vbi contrarietatem non habet.

¶ Quod intelligi debet de contrarietate logica & propriedicta. Nā esse sursum, & esse deorsum, aliquo modo secundum physicam consideratione contraria sunt, cum secundum illa summantur motus contrarij. Motus enim sursum & motus deorsum, secundum physicos sibi inuicem censentur contrarij. ¶ Secunda proprietas.

Vbi non suscipit magis & minus.

¶ Nam esse in templo, non est magis vbi quam esse in domo: neque magis in templo, vel domo est ali⁹ alio: tametsi vel frequentius, vel diutius, vel magis sedulo in ea possit esse alius alio. Hoc tamen non est magis & minus suscipere. Sunt autem hęc propria secundo modo ipsi vbi, quoniam conueniunt omni, sed non soli. Nam & substantia contrarietatem, magis quoque & minus non recipit.

¶ Vt clarius, quæ de hoc prædicamento dicta sunt elucescat ponuntur aliquæ propositiones.

¶ Prima. Vbi, est respectus loci ad rē locatā, ex quo infertur quod duplex est vbi. Vbi actiuū: & passiuū. Actiuū vt est respect⁹ supradictus, passiuum est respectus rei locatæ ad ipsum locū — Prima propositio. Duplex vbi

¶ Secunda propositio. Nullum istorum est prædicamentum sed vbi commune ad vtrunque. — ij. proposi.

¶ Tertia propositio. Duplex est vbi, materiale, & formale. Materiale est ipse locus: formale est respectus loci ad rem locatam. — iij. proposi. Vbi mate. & formale.

¶ Quarta propositio, Duplex est vbi, simplex videlicet, vt locus punctorū, & compositū, vt est locus diuisibilis ad rē locatam. — iiij. propo. Vbi simplex & cōpositū.

¶ Quinta propositio. Vbi aliquando est sincathegoreuma: vt vbi est dilectus meus. — v. prop. vbi sincathego.

vj. propo. genera species & indiuidua prædicã. vbi.

¶ Sexta propositio. Genera eius sunt, esse sursum, & deorsum species esse in domo, esse in camera. Indiuidua esse in hac camera, & in hac domo.

¶ Et pro clariori notitia huius prædicamenti nota, secundum mentem Doctoris subtilis, in secundo, distinctione prima, questione quinta: arti, primo, licet vbi significetur per modum actionis non est actio cum sit respectus. Secundo dicit quod est respectus extrinsecus adueniens. Ratio, quia possunt esse corpus, & locus, & àproximata sine tali respectu, seu coextensione, vt patet in Sacramẽto altaris q; est præsens speciebus panis & vini, non tamen localiter.

¶ Item, Deus potest facere corpus & locum sine vbi, vt formãdo vnum corpus extra vniuersum, & anichilando omnia que sunt in superficie concaua cœli, tunc erit corpus illud creatum & erit superficies, sed nullum vbi, id est, nullus respectus fundatus in superficie in ordine ad illud corpus. Vide Doct. in secunda questione quotlibetali argumento, secundo.

Vbi angelicum, &c. nõ ponitur in hoc prædicamento.

¶ Vltimo nota q; vbi angelicum, & vbi animæ separatæ nõ ponuntur in hoc prædicamento, nec minus vbi Dei (si dandũ est vbi eius) secundum aliquam circunstantiam.

Caput. lv.

¶ De prędicamento quando.

Quid de vocabulo quando in ea significatione in qua hic eius est vsus dicendum sit, ex precedẽti capite paret. Et fere quid de quando sit dicendum, ex vbi liquere potest, cum secundũ proportionem ita se habeat res temporalis ad tempus quo mensuratur quemadmodum res locata ad locum quo circunscribitur aut continetur. Definiunt autem quando hoc modo.

Definitio quando.

Quãdo est, q; ex adiacẽtia tẽporis in re tẽporali derelinquit.

¶ Cuius descriptionis hic est sensus, Quando est habitudo quędam rei temporalis, quę in ea inuenitur & prouenit ex mensuratione temporis, ex hoc quod tempore mensuratur. Manifestum est enim, sicut res locata certam quandam habitudinem habet ad locum continentẽ, sic rem temporalem certam item habere habitudinem ad tempus ipsam mensurans: atque hec habitudo vocatur ipsum quando abstractiue, ipsumq; esse in tempore vocatur quando concretiue. ¶ Diui-

ditur item quando, in quando simplex ꝛ quando compositum. Quādo simplex, est habitudo rei ad tēpus indiuisibile, vt esse angeli in ęternitate, quę large potest dici quoddam temp⁹. Aeuiternitas enim est simplex, ꝛ successionis partes nō habet, sicut nec ęternitas. Item esse hominis aut alterius rei in hoc momento tēporis est quando simplex: quoniam momentum temporis est indiuisibile, sicut punctus localis est indiuisibilis. Esse autem in ęternitate proprie dicta, non cōprehenditur sub quando huius prędicamēti: quoniā in ęternitate esse soli Deo conuenit, ꝛ ab ipso Deo non distinguitur, qui omnia prędicamenta transcendit, immenso nimirū interuallo post se relinquēs creata omnia ꝛ creatorum accidentia. ¶ Quando autem compositū est habitudo rei temporalis ad tempus diuisibile, vt esse in hoc anno in hoc die, in hac hora, ꝛc. Huiusmodi enim tempus est diuisibile in partes successionis, sicut locus in partes positionis, quēadmodum ex prędicamento quātitatis relinquitur manifestum. Sub quando autem composito, ponuntur esse hodie, fuisse heri, fore cras: item esse vel fuisse vel fore in hoc anno, in hac die, in hac hora, ꝛc. Sub quando autem simplici, videntur immediate poni, esse in ęuiternitate, ꝛ esse in momento temporis. Sub esse in momēto, ponitur esse in hoc momento, vel in illo. Quę nemo existimet esse indiuidua, sicut neqꝫ indiuidua sunt, esse in hoc loco, esse in illo loco. Species enim sunt, non indiuidua. Sic autem debent indiuidua assignari, hoc esse in loco, vel in hoc loco, illud esse in hoc loco. Item hoc esse in illo momēto vel tempore, istud esse in illo momento vel tempore, sic videlicet toti pręponendo pronomen demonstratiuum singularizans, non tātum parti. ¶ De natura autem ęuiternitatis, ꝛ quomodo a tempore, item ꝛ ab ęternitate distinguatur, diximus in libro quarto de consideratione rerum naturaliu, capitulo vicesimo secundo. Conditiones etiam quando, ęedem sunt quę ipsi⁹ vbi. Quādo enim non habet contrarium, neque magis suscipit aut minus.

Pro declaratione eorum quæ de hoc prædicamento tradidit author, ponuntur aliquæ propositiones.

¶ Prima. Quando, in proposito sumitur ꝓ mēsuratione motus cœli, quo mensurantur temporalia. Prima propositio.

¶ Item. Quando, summitur materialiter, & formaliter. Quando materiale est ipsummet tempus: sed formale est respectus extrinsecus adueniens ipsius temporis ad rem temporalem. ij. proposi. Quando materiale ꝛ formale.

¶ Item. Quando, aliud est simplex, aliud est compositum. Simplex: vt, Nunc: compositum: vt tempus quod est diuisibile in suas partes. iij. propo. Quādo simplex ꝛ cōpositum.

¶ Item. Quando aliquando est vnum syncathegoreuma, & vnum quæsitiuum: vt, Quando est venturus dominus meus, iiij. propo.

Quando syncathegoreuma. quãdo prędicamentũ.

aliquando est prædicamentum comune ad quando actiuum, quod est respectus ipsius temporis, ad rem temporalem: & adquãdo passiuum quod est respect⁹ ipsius rei temporalis ad ipsum tempus.

Genera subalterna species & indiuidua huius prędicamenti.

¶ Nota. Quod genera subalterna eius sunt, fuisse esse, fore, species, esse in hora, esse in die, esse in anno. Indiuidua esse in hac hora, in hoc die, &c. Et est in omni illo quod incipit esse in tempore.

¶ Et nota, quod dicit doctor subtilis in quarto, distinctione xlix. quistione. xij. quod motus corporis gloriosi non mensuratur tempore nostro, quia non est subiectum variationi.

Caput. xlvj.

¶ De prędicamento situs.

Positio & situs, nomina sunt omnino eiusdem significationis, secundum eum vsum in quo hic summuntur. Est tamen situs vocabulum aliquanto notius quam positio, propter quod per situm diffinitur positio, hoc modo.

Definitio positionis

Positio est quidam partium situs, & generationis ordinatio.

¶ Pro cuius deffinitionis intellectu, aduerte in vnoquoque corpore, potissimum vero in viuentibus, inueniri habitudinem certã vniuscuiusque partis in ordine ad totũ ipsum, simul & ad reliquas partes eiusdem totius, secundum variam situationem partium adinuicem in toto ipso corpore. Exempli gratia in humano corpore, caput talem habet situm, vt ipsum sit supra humeros, ac superius omnibus alijs partibus. Pedes talem habẽt situm, vel positionem vt omnium infimi sint, & pars extrema corporis deorsum. Humeri situm habent, vt infra caput consistant & supra pectus. Pectus hunc habet situm, vt supra ventrem & infra collum consistat. Brachia quoque, vt ad latus vtrunque dependeant. Item in arbore, radices secundum situm sunt infimę. truncus medius, rami superiores. Huiusmodi autem habitudo partium in toto ad se inuicem atque etiam in ordine ad totum, positio vel situs nominatur ¶ Destingnitur autem duplex rerum positio, nẽpe naturalis & non naturalis, quam solent conditionalem nominare. Naturalis positio est habitudo certa partium ad inuicem in toto ipso corpore, sic a natura rei determinata. Huiusmodi sunt omnes illę positiones supradictę, capitis in supremo, pedum in infimo, humerorum supra pectus, pectoris supra ventrem, manuum ad latera. Itẽ in brutis positio capitis in anteriori loco, & caudę in posteriori,

oris versus

oris versus terram, dorsi versus cęlum, aurium supra caput, & in nõnullis cornuum. Item in plantis, situs radicum deorsum in terra, trunci in medio, & ramorum supremo loco in aere. A natura enim determinatę sunt omnes hę positiones. ¶ Positio non naturalis siue cõditionalis dicitur, habitudo certa partium nõ secundum quod est a natura determinata, sed secundum quod aliquo modo aliter partes ad inuicem situantur. Exempli gratia, cum genua flectit homo aut cum capite inclinato terram respicit, aut cum iacet resupinus vel sedet in cathedra, partes corporis alterũ situm iam obtineut, aliamque ad inuicem habitudinem, quam habeant a natura. In genu flexione enim genua nõ actu supra tibias sunt, neq; tibię sunt pedibus actu superiores, imo pedum calcanaum ipsis genibus est eleuatius. Item cum adorando procumbit homo, & terram pronus aspicit, non caput actu supra humeros est eleuatum, sed dorsum ipsum cęlum potius aspicit, caput vero terram. Ita in sessione, in accubitione, alijsque huiusmodi, semper alia inuenitur partium dispositio ad inuicẽ quam secundum naturę ordinationem habeant. ¶ Propter hanc vero duplicem positionem, in descriptione prius assignata duę sunt partes, per coniunctionem copulatiuam pro disiunctiua positã copulatę. In parte priori, cum dicitur quidam partium situs, subaudi, non secundum naturam deputatus, innuitur positio non naturalis. In posteriori vero, cum dicitur, & siue vel generationis ordinatio, innuitur positio naturalis, quam videlicet natura a generatione rei determinat. ¶ Assignantur quoq; positioni suprapositę cõditiones quod magis & minus non suscipiat, itemq; contrarietatem non admittat: intelligẽdo de cõtrarietate Logica & proprie dicta. Alioqui enim, situs capitis sursum, & pedum deorsum, videntur aliquo modo contrariari.

¶ Positio est respectus partium totius ad partes loci, & hæc dicitur passiua, vel est respectus loci ad ipsam rem locatam & hæc dicitur actiua. Diffinitio positionis

¶ Item duplex est positio, innata & acquisita. Exemplum: prima est omnis illa situatio, vel positio quã res habet à sua natura, vt esse erectum est positio hominis, esse curuũ est acquisitum respectu hominis licet sit innatum respectu animalium quadrupedum. Duplex positio.

¶ Item nota, quod positio que est ordo partium totius ad ipsum totum est differentia accidentalis quantitatis, & sic non est in hoc prædicamento: sed positio, vel situatio quæ est partium totius ad partes loci, est in hoc prædicamento.

¶ Item, quæsitiuum eius est quomodo hoc est situatum. Quęsitum huius pręedicamenti.

Genera ſpecies & indiuidua poſitionis.

¶ Genera eius ſunt, eſſe ſituatũ, ſurſũ, vel deorſum. Spẽs ſtare ſedere, iacere. Indiuidua iacere Petri, ſtare Sortis & ſic de aliis.

Caput lvij.

¶ De prędicamento habitus

Habitus prout decimo loco inter pręcdicamenta conſtituitur, aliam habet ſignificationem, quam ſupra cum in pręcdicamento qualitatis aſſignaretur prima ſpecies. Definitur autem habitus, hoc modo.

Definitio habitus.

Habitus eſt corporum & eorum quæ circa corpus ſunt adiacentia.

¶ Que definitio hoc innuit, per habitum hic intelligi habitudinem quandam conſurgentem in ipſo corpore, ex adiacentia vel applicatione alicuius, ſiue veſtimenti ſiue ornamenti, ad ipſum. Manifeſtũ eſt enim, in corpore hominis quod veſtimento induitur, aut cingulo circundatur, aut alio modo aliter ornatur ſiue veſtitur, ſiue armatur, aliquam inueniri habitudinem ad illud ſiue veſtimentum ſiue ornamentum. ¶ Diuiditur autẽ habitus in habitum ornamenti & habitũ veſtimenti. "Habitus ornamẽti eſt habitudo corporis vel partis eius " alicuius ad aliquid, quod ei tãquam ornamentum applicatur. Ut cũ " imponitur capiti regis diadema regni, Pontifici ſummo triplex corona, epiſcopo mitra, aut cum annulus digito inſeritur. Coronatio ergo, mitratio, & annulatio (vt ita loquamur) habitus ſunt ornamenti. Poſſentqz his annumerari omnes habitus pontificales, imperiales, regales, conſulares, ſacerdotales: quando videlicet aliquibus inſigniis honoris vel dignitatis vel officij quiſquam induitur, nõ ad corpus operiendũ tantũ aut veſtiendũ. Omnes enim hi ha" bitus potius ornamẽti quã veſtimẽti eſſe videntur. ¶ Habitus autẽ " veſtimẽti dicitur habitudo corporis ad aliquid quod ipſi per modũ " veſtimẽti circumponitur ſiue applicatur. Ut cũ pedes operimus calceis, crura caligis, pectus dyploide, corpus totum tunica vel pallio caput pileo. Quod ſi generaliter accipiatur veſtimentũ vt etiam armaturã ſub ſe cõplectitur. Diuiditur vlterius habitus veſtimenti, in habitũ domeſticũ ſiue cõmunẽ & habitũ bellicum. Habitus domeſtici ſunt, quos iã enumerauimus. Habitus autẽ bellici ſunt, loricatio, galeatio, gladiatio, ſiue gladij accinctio, clipeatio ſiue clipei appenſio, haſtatio ſiue haſtę tenſio, aliaqz huiuſmodi. Si vero ſpecialiter accipiatur veſtimentum, ſupra habitum veſtimenti & habitum ornamenti, debebit adijci habitus armaturę.

Caput. lviij.

¶ De proprietatibus habitus.

Assignant autem habitui conditiones quasdam siue proprietates, quarum prior est.

Habitus suscipit magis & minus.

¶ Quod declarant, de eo qui plura habet vestimenta alio. Illū enim dicunt hoc magis vestitum. Et eum qui plura habet ornamenta, dicunt magis ornatū. Illum quoq; qui plura habet arma, magis armatum. Uerum id proprie non est suscipere magis & minus, iuxta sensum quē in qualitate expressimus. Non enim propter intensionē ipsius habitus ita dicuntur ista magis & minus, cum habitus naturę existens ad aliquid, nō suscipiat intensionem vel remissionem. Sed tantum propter multiplicationem armorum, vestimentorum, vel ornamentorum, ex quorum adiacentia fiunt habitudines illę, prędicantur vocabula secundum magis & minus. Quomodo non immerito illū qui decem liberos habet, magis patrem possumus dicere, eo qui tantum duos genuit.

¶ Secunda proprietas hęc est.

Habitus non suscipit contrarietatem.

¶ Quod per se manifestū est, quoniā calceatio non est contraria caligationi, nec caligatio pileationi, neque vestitio est cōtraria armationi: quoniam simul in eodem inueniuntur, cum non possint contraria esse in eodem. Neq; contrariantur vestitum esse & nudum, & armatum, & inermem, sed tantum priuatiue hęc sunt opposita. Atque hęc de prędicamentis, pro qualicunque rudium institutione dicta, sint satis.

Caput. lix.

¶ De post prędicamentis.

Quemadmodum ante tractatum de prędicamentis quorundā pręmissa fuit determinatio, ad meliorem prędicamentorum intelligentiam apprime conducētium: ita & nunc eorundem absoluto tractatu quędam adiunguntur simili ratione ac pari proposito: quę proinde post prędicamenta recentiores appellitant, quemadmodum pręmissa illa efficto non prorsus incommode vocabulo, ante prędicamenta nominarunt. Postprędicamēta enim appellamus, quę post prędicamentorum tractatum ad pleniorem ipsorum facilioremque intellectum subnexa sunt. Quę sunt numero quinq;, nempe oppositio, prius, simul, motus, & habere. Decem enim quinque ad finē vsq; libri huius determinantur. ¶ Et primum quidem de oppositione & varijs oppositionum generibus dicendum, quoniam non mediocriter eorum conducit distinctio, si tamen prius in genere quid sit oppositio & quę opposita, definierimus. Sic igitur definitur oppositio.

definitio oppositionis.

Oppositio est repugnantia duorum extremorum adinuicem talis, vt neutrum illorum cum vllo alio simili modo repugnet.

¶ Pugnantiã autem siue repugnantiã dicimus, illa quę de eodē singulari simul non valent prędicari respectu eiusdem. Quemadmodū album & nigrum repugnant, calidum & frigidum, pater & filius, videre & cęcum esse, sedere & non sedere. ¶ Non autem quęlibet indifferēter repugnãtia oppositionem facit. Sic enim homo & asinus, bos & leo, lapis & lignum essent opposita: quod manifeste falsum est, cū nulla specie oppositionis opponantur. Homo enim & asinus repugnãt, quia de eodem singulari non possunt vere prędicari. Nihil enim idē homo & asinus esse valet, bos & leo, lignum & lapis. Signanter proinde additum est, repugnantia talis vt neutrum illorum vlli aliorum simili modo repugnet: quam pugnantiam recentiores satis accommodato vocabulo pręcisam duxerunt nominandã. Per quam sane adiectionē, manifeste excluduntur homo & asinus. Homo enim quo modo cum asino pugnat, non minus nec aliter cum equo, cum vacca cum leone, cum simia, alijsq; omnibus speciebus animalium, atq; ita in cęteris. Non igitur est inter hominem & asinum, repugnãtia talis pręcisa, nec proinde opposita dici merentur, sed appellantur distincto nomine disparata, quasi dissparata, siue abinuicem separata. Ab inuicem enim omnino separata sunt, cum sint naturę pugnantissimę, quas impossibile sit in eodem singulari inueni re. Oppositionem tamen nullam particularem aut determinatam adinuicem habent. ¶ Inter ea vero quę proprie sunt opposita, talis est pręcisa repugnantia, vt neutrum illorum cum vllo alio simili modo pugnet. Exempli gratia. Album & nigrum sibi inuicem opponuntur cōtrarie, Album vero nulli alteri sic opponitur vt nigro, neque item nigrū vlli alteri vt albo. Nam si dixeris, nigrum similiter repugnare rubeo vt albo, euidenter id refellitur quoniam nigrum albo repugnat sicut extremorum alterū alteri, rubeo vero sicut medio extremorum. ¶ Uerum ex hoc ita occurrit difficultas in ijs virtutibus quę habent ex vtraque parte, secundum excessum & defectum, contraria. In his enim non videtur esse talis repugnantia pręcisa, cum simili modo opponatur medium huic extremo quo alteri: quēadmodum (exempli gratia) liberalitas similiter opponitur & prodigalitati & auaritię. Attamen in his nihil dubium est veram esse oppositionem, & veram contrarietatem, cum virtus & vitium oppositum contrariētur, iuxta Philosophorū sententiã. Soluitur autem hęc obiectio dicēdo, licet eodem genere vel eadem specie oppositionis medium pluribus opponitur vitijs, non tamen penitus eodem modo: quoniam alterum sumitur secundum excessum, alterum secundum defectum. Prodigalitas enim opponitur liberalitati secundum excessum, auaritia autem secundum defectum.



Caput. lx.

¶ De relatiue oppositis.

Diuiditur autem oppositio in quatuor species. Oppositionum enim, alia est relatiua, alia contraria, alia priuatiua, alia contradictoria. Proportionabiliter oppositorum, alia sunt opposita relatiue, alia contrarie, alia priuatiue, alia contradictorie. Primum igitur definienda sunt relatiue opposita, hoc modo.

Relatiuè opposita sunt, quæ ea ipsa quæ sunt oppositorum dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ea. Definitio relatiue oppositorum.

¶ Cuius definitionis hic est sensus, Illa sunt relatiue opposita, quę secundum sua significata referuntur, quodlibet ad alterum sibi oppositum mediante casu genitiuo, vel in alio aliquo casu, aut medię propositionis adminiculo. Exempli gratia, pater & filius de se inuicem referuntur in casu genitiuo, tanquam opposita, quoniam pater dicitur filii pater, & filius patris filius: nec possunt simul de eodem verificari, respectu eiusdem. Nemo enim simul est pater & filius, in comparatione ad eundem. Comparatione autem ad diuersos, nihil prohibet. Item disciplina & disciplinatum, sensus & sensatum, relatiue sunt opposita. Referuntur enim adinuicem sub habitudine diuersorum casuum: quoniam disciplina dicitur disciplinati disciplina, & disciplinatum disciplina disciplinatum. Magnū quoq; ad paruum dicitur, & paruum ad magnum: multum ad paucum, & paucum ad multum.
¶ Quidam tamen ad veram oppositionem relatiuorum putant necessarium esse vt sumantur singulariter relatiua: putantes relatiue opposita simpliciter non posse de eodem simul prædicari, etiam respectu diuersorum. Unde dicunt, relatiue opposita debere sic assignari, hic pater & hic suus filius, hęc disciplina & hoc suum disciplinatū, hoc paruum & hoc suum magnum, id est, magnum illud in cuius cōparatione dicitur paruum, atq; ita in cęteris. Uerum id quod prius dictum est, videtur plus habere probabilitatis, & veterum philosophorum sententię magis consonum. Unde Seuerinus Boetius opposita ita definiuit, Opposita sunt, quę in eodem, secundum idem, in eodem tempore, circa vnam eandemq; rem, simul esse non possunt. Ac de relatiuis exemplum ponens, dominum & seruū ita ait. Nec seruus atque dominus eiusdem eodem tempore est. Ubi diligenter est notandum, quod non simpliciter dixit, sed eiusdem adiecit.

Caput .lxi.

¶ De contrarie oppositis.

Contraria expresse in textu nō definit Aristoteles. Ponit tamē nonnulla, ex quibus partim colligitur hęc ipsius definitio.

Contraria sunt, quæ sub eodem genere posita, maximè à se inuicè distāt, eidē subiecto susceptibili vicissim insunt à quo mutuò se expellunt nisi alterum insit à natura. Definitio cōtrariorū

¶ Quę definitio pulchre naturam exprimit eorũ que vere sunt contraria, eaque aptis particulis separat a reliquis speciebus oppositorum. Primũ igitur, contraria ambo necesse est poni sub eodẽ genere, siue immediate, vt albedo & nigredo ponũtur sub colore, prodigalitas & auaritia sub vitio: siue mediate, vt liberalitas & prodigalitas, durũ item & molle, sanum & ęgrotatiuum. Non enim ista immediate ponuntur sub eodem genere, cũ liberalitas immediate subsit virtuti prodigalitas vitio, durum itẽ & sanatiuum naturali potentię, molle vero & ęgrum naturali impotentię. Mediate autem sub eodem genere ponũtur, nẽpe priora sub habitu & dispositione, vel propinquius sub habitu morali: posteriora, sub naturali potentia vel impotentia. Atque per hanc particulam, excluduntur ab ista contrariorum definitione priuatiue opposita & contradictorie. Hęc enim non ponuntur sub eodem genere, cum eorum semper alterum sit priuatio vel negatio, quę sub nullo genere ponuntur: propterea quod rem veram & positiuam non significent, sed rei tantum priuationem vel negationẽ ¶ Deinde necesse est, contraria maxime ab inuicem distare. Quod est intelligendum, de distantia & pugnantia ex parte naturę. Cuius defectu, qualitates medię non dicuntur contrarię, neque vna qualitas extrema, & altera media: vt rubedo & pallor, vel albedo & rubedo. Hęc enim non maxime distant: cum plus ab inuicem distent duo extrema albedo & nigredo. Cum enim media participent naturam vtriusque extremi, manifestum est, inter media non posse esse ex parte naturę tã tam distantiam, quanta est inter extrema, quę nullo modo adinuicem participant. Nihil enim albedinis participat nigredo, vel econtrario: sed rubedo, pallor, aliique colores medij, vtrunque extremũ quodammodo participant. ¶ Quod si quis obijciat, liberalitatem & prodigalitatem esse contraria, nec tamen maxime distare cum plus videatur distare duo vitia extrema, prodigalitas & auaritia. Respondetur quod non minor est in veritate distantia vtriusque extremi a media virtute, secundum rationem virtutis & vitij, quam sit ipsorum extremorum adinuicem, quorum vtrunque est vitium. Non enim secundũ naturam minus distant virtus & vitium, quam duo quorum vtrunque est vitium, sed alterum secundum excessum sumitur, alterum secundum defectum. Vtraque enim suo modo maxime distant. ¶ Additur deinde, ad explicandam contrariorum naturam, quod eidem subiecto susceptibili vicissim possint inesse, quodq; se inuicem pellant a subiecto. Licet enim simul non possint eidem inesse contraria sicut nec vlla opposita, successiue tamen & vicissim possunt, & ideo dicuntur se inuicem pellere a subiecto, quoniã adueniente vno cedit & abit alterum, nec se compatiuntur in eodem domicilio. Exempli gratia, albedo & nigredo, calor & frigus, vicissim insunt eidem: quoniam id quod nunc est album vel calidum, potest fieri nigrum vel frigidũ: non tamen simul sed inuicem se pellunt, quoniam adueniente frigore & nigredine, fugit calor & albedo. ¶ Unde ista expulsio non est intelligenda per violentam actionem. Tametsi enim quędam sint qualitates, quę etiam violenta actione se inuicem expellant atque pro-

plurent, qualitates scilicet illę quę a Physicis actiuę nuncupantur, nē pe calor, frigus, humiditas & siccitas: alia tamen sunt contraria plurima, quibus non competit violenta actio. Ut colores, sapores, & soni contrarij, non agunt expellendo se inuicem violenter. Horum autem expulsio nō aliud intelligitur quam mutua cessio eo quod simul inesse eidem non valeant. ¶ Signanter vero in fine adiungitur particula illa nisi alterum insit a natura, quę non cum immediate pręcedenti sed potius cum illo quod mediate pręcedit eidem subiecto susceptibili, vicissim insunt, copulari debet. Uidelicet ad insinuádum, quod in illis subiectis quibus a natura determinatum est alterum contrariorum, ita vt necessario insit hoc vel necessario illud, non sit requirenda vicissitudinaria illa successio. Quemadmodum (exempli gratia) in igne, calor est qualitas a natura determinata, ita vt secundū naturā, ei insit necessario, nec possit aliter esse secundum naturam. Ita niui determinata est albedo: similiter fere coruo nigredo, & cygno albedo. Sic melli ex natura sua dulcis sapor, felli amarus conuenit. Lapidi & ferro ex sua natura durities competit, butyro mollicies. Atque ita in alijs multis.

Caput. lxij.

¶ De contrarijs mediatis & immediatis.

DEsignat autem Aristoteles duplicia contraria quędam mediata, alia immediata. Contrariorum immediatorum hanc innuit definitionem.

Contraria immediata sunt, quæ talia sunt, vt in quibus nata sunt fieri, vel de quibus prædicantur, alterum inesse sit necessarium. *Contraria immediata*

¶ Hoc est. Illa sunt immediata contraria, quorum semper necesse est alterum inesse cuilibet subiecto susceptibili, ita vt nullum subiectum eorum susceptibile secundum naturā vnquam possit esse ab vtroque vacuum. Exempli gratia, sanum & ęgrum sunt contraria immediata, quoniam nullum inuenitur subiectum sanitatis & ęgritudinis susceptiuum, quod non alterum habeat. Omne enim animal, vel sanum est, vel ęgrum. Ita par & impar, circa numerum dicit Aristoteles esse cōtraria immediata, quoniam omnis omnino numerus par est vel impar. ¶ Per oppositū vero definiuntur contraria mediata, hoc modo

Contraria mediata sunt, quorum non est necesse semper alterum inesse ijs, in quibus nata sunt fieri. *Contraria mediata.*

¶ Hoc est, quę talia sunt, vt non sit necesse cuilibet subiecto susceptibili semper inesse alterum, sed possit subiectū interdum ab vtroque

esse vacuum. Ut calor & frigus côtraria sunt mediata, albedo item & nigredo. Quædam enim corpora horû susceptibilia, utroque carent. Inuenitur enim aqua, neque calida, neque frigida, sed tepida tantû, & inuenitur corpus neque album, neque nigrum, utpote rubeum, aut pallidum, aut alio colore medio coloratum. ¶ Subdiuidit quoque Aristoteles huiusmodi contraria mediata. Quædam enim dicit esse quorum medijs sunt nomina imposita: quemadmodum inter album & nigrum, media nominibus usitatis dicûtur, pallidum, rubeum, fuluum, &c. Item inter calidum & frigidum, medium dicitur tepidum. Alia vero sunt, quorum medijs non sunt imposita nomina, sed necesse est ea circumloqui per abnegationem utriusque extremorum. Exempla ponit, bonum & malum, iustum & iniustum. Est enim inter hęc medium. Quędam enim sunt neq; bona simpliciter, neque simpliciter mala, ut diuitię & pulchritudo, quę Stoici appellant indifferêtia. Potest item assignari homo neque vere bonus, neque vere malus. Hoc autem medium ille censet circumloquutione exprimendû, per utriusque contrarij abnegationem dicendo, neq; bonum neque malum. Boetius vero illud appellandum dicit indifferens, addens vocabulum istud ad medium significandum cômode inuentum esse post Aristotelem, quod eius tempore nondum fuerat impositum. ¶ Aliâ quoq; diuisionem idem ponit Boetius, qua mediata contraria diuidit in ea quę plura habent media ut albedo & nigredo, nullos habent colores medios: & ea quę tantum unum, ut calor & frigus solum teporem. Atque hęc deinde diuidit in ea quorum medio est nomé impositum, ut calor & frigus medium habent teporis nomine designatum: & ea quorum medio non est nomen impositum, ut bonum & malum, quibus proinde per abnegationem utriusque extremi facile potest nomen imponi. Si vero contingeret huiusmodi aliqua côtraria plura habere media, illic non conuenienter posset ullius medij fieri assignatio per abnegationem utriusque extremorum. Ut si medium albi & nigri quis assignauerit, neque album neque nigrum, non est determinata neque conueniens assignatio: quoniam nullum medium ibi assignatur. Communis est enim illa abnegatio multis medijs.

Caput. lxiiij.

¶ De priuatiue oppositis.

Ex ijs quę Aristoteles tractat de priuatiue oppositis, elicitur hęc eorum definitio.

Definitio priuatiue oppositorum.

Priuatiuè opposita sunt quae habent fieri circa idem subiectum ordine irregressibili, & tempore à natura determinato.

¶ In qua definitione, primo loco ponitur id in quo est conuenientia priuatiue oppositorum cum contrarijs, videlicet quod fieri ha-

beat circa idem subiectum. Hoc enim vtrisque est commune, quoniã
sicut contraria eidem subiecto successiue, licet non simul, inesse pos-
sunt, sic ⁊ priuatiue opposita. Neque solum fiunt circa idem subiectũ
verumetiam circa eandem partem subiecti. Et visus ⁊ cecitas ambo
fiunt circa oculũ, auditus ⁊ surditas circa auditum, mutus ⁊ loquẽs
(accipiendo loquens vt potentiam loquendi significet) ambo circa
linguam, aliaque instrumenta vocis. ¶ Quod autem sequitur ordine
irregressibili, distinctionem ponit inter contraria ⁊ priuatiue op-
posita. In contrarijs enim, vbi alterum non necessario inest ex natu-
ra, vicissitudinaria ⁊ mutua inuenitur successio, nẽpe ab albedine ad
nigredinem mutatio, atque econtrario a nigredine rursus ad albedi
nem, item a calore in frigus, ac rursum a frigore in calorem. Verum
in priuatiue oppositis, ab habitu quidẽ potest veniri in priuationẽ,
vt a visu ad cecitatem, ab auditu ad surditatem, contra vero, a priua
tione in habitum (iuxta celebrem Aristotelis sententiam) nunquam
potest regressus fieri. Quod secundum virtutem naturę est intelli-
gendum. Virtute enim eius qui est naturę author ⁊ dominus, cui
(iuxta euangelicum testimoniũ) nihil est impossibile, aut difficile. No
minori facilitate potest reditus fieri a priuatione in habitum, quam
ab habitu ad priuationem transitus. ¶ Aduertendum tamen est, quę-
dam esse priuatiue oposita alterius naturę, in quibus videlicet etiã
secundum naturam fit transitus ⁊ regressus ab vtroque in alterum.
Lumen enim ⁊ tenebrę sunt priuatio ⁊ habitus, ac proinde opposita
priuatiue, quę circa idem fiunt subiectum nempe aerem. In his tamẽ
fit mutu⁹ regressus: quoniam aer ex lucido fit tenebrosus, abeunte so
le: ⁊ rursum ex tenebroso fit lucidus, illo resurgente. Ita de quiete ⁊
motu dicendum, quę sunt item priuatio ⁊ habitus. Item de scientia
⁊ ignorãtia priuationis. Et enim ex mouẽte fit quiescens, ita ex quies
cente mouens efficitur, ⁊ quomodo ex sciente ignorans per obliuio
nem vel egritudinẽ: ita ex ignorante sciens, per debitam instructio-
nem aut maturam experiẽtiam. Videtur ꝓinde Aristoteles in pre-
dicta definitione solum definiuisse priuatiue opposita stricte admo-
dum sumpta, quorũ videlicet alterũ priuatio est formę irrecuperabi
lis. ¶ Nouissima particula, tẽpore determinato a natura propter hoc
adijcitur: quoniã non est necesse alterũ priuatiue oppositorum ines
se subiecto etiam susceptibili, omni tempore sed a natura determina-
to. Exemplum commune assignatur de catulo ante nonum diem nõ
dum vidente, qui tamen ob hoc non dicitur cecus: quoniam nondũ
tempus a natura determinatum aduenit, vt videat. Item puerulus,
dies tantũ pauculos nat⁹, nec dentatus adhuc dicitur, nec eden-
tulus: quoniam nondum aduenit tempus a natura determinatum, vt
dentes habeat. Verum si post transactos dies nouem aut decem non
videat catulus, iam vere cecus dicetur: quoniã postquam temp⁹ a na
tura ad recipiendũ habitum aduenit, non illũ accepit: ac proinde pri-
uatus eo censetur. Item, si post menses aliquot transactos, imo annũ
vnum aut alterum, puero non crescant vlli dentes, iam vere dicitur
edentulus. Sic puer, si non statim ambulare nouit postquam in lucẽ

prodit, non ob hoc claudus dicetur vel impotens ambulare: sed si post annos duos aut tres nondum incipiat gressus ponere claudum aut impotentem ambulare dicimus. Ita puer donec ratio nondum in eo viget, non dicitur ignorans, licet nullius rei habeat scientiam, sed post acceptum rationis vsum, si non accipit scientiam, merito dicetur illarum rerum ignorans, quarum potuit cognitionem suscipere. Non prius enim rei est ascribenda priuatio cuiuscunque formę, perfectionis aut habitus, quam tempus aduenerit, quod natura tali rei ad habitum huiusmodi acquirendum deputauit.

Caput. liiii.

¶ De contradictorie oppositis.

Porro contradictorie opposita assignantur dupliciter. Interdum quidem propositiones tote, vt Socrates sedet, Socrates non sedet. Interdum solum termini simplices alteri negatione pręposita, vt sedere non sedere, homo non homo, iustus non iustus. Definiunt autem contradictorie opposita hoc modo.

Contradictorie opposita.

Cōtradictoriè opposita sunt, inter quæ nō est dare mediū.

¶ Quod medium (si de propositionibus loquamur) intelligitur medium veritatis & falsitatis. Si vero de simplicibus terminis, intelligitur medium predicationis siue verificationis. Inter has enim propositiones. Socrates sedet, Socrates non sedet, non est omnino dare medium veritatis aut falsitatis: quoniam necesse est sic semper earum alteram veram, & alteram falsam esse, vt nec ambę simul verę esse valeant, nec simul falsę. Inter hos autem terminos, sedere non sedere, homo non homo, omnino non est dare medium prędicationis siue verificationis, quoniam nullum omnino potest singulare assignari, quin alterum illorum vere de illo prędicetur. Quicquid enim mihi assignaueris, vel sub sole, vel supra solem, ipsum vel sedet vel non sedet, ipsum est homo vel non homo, lapis vel nō lapis, atque ita in singulis. Atque hoc vno distinguuntur ista contradictorie opposita ab omnibus alijs. In cęteris enim facile dabitur aliquod medium prędicationis, id est, aliquid de quo neutrum eorum pręędicari vere poterit. Ut inter album & nigrum do medium, parietem rubeum. Hic enim neque albus, neque niger est. Do medium angelum, ipsum deū, & corpora coelestia, quę omnia colorem nullum habent, atque ob hoc neque alba sunt, neque nigra. Inter patrem quoque & filium media plurima facile est dari. Plurima enim sunt in mundo, quę neque patres sunt, neque filij. Sic inter cęcum & videns plurima sunt media, quibus neutrum competit.

De contrarie oppositis.

¶ De cōtrarijs nota, quod dicitur in textu quod caliditas est in igne, vt substantiale in eo cuius est substantiale, quod sic debet intelligi, quod caliditas non est de quidditate & substantia ig-

nis, sed est consequens naturam ignis inest ergo caliditas igni, non ratione materiæ, sed ratione formæ: vt risibilitas inest homini, non quia est animal, sed quia est rationale. Scotus in quæstione. xxv.

De priuatiuè oppositis.

De priuatiuè oppositis dicitur, quòd habent fieri circa idē, ordine irregressibili. Obiec. cōtra prædicta.

Primo à tenebris fit regressus ad lucē, quod patet quotidie.

Secundo ab ignorantia, fit regressus ad scientiam.

Tertio à quiete, fit regressio ad motū, ergo illa dictio de ordine irregressibili est minus bene assignata.

Ad hæc dico, quòd priuatio potest prouenire, vel à principio extrinseco, vt priuatio luminis in aere, ab absentia solis, vel lunæ, & sic bene est regressio: nō eiusdem luminis in numero sed bene eiusdem in specie. Alia est priuatio quæ prouenit à principio intrinseco, & hæc est duplex. Vna tollit habitum tantū: vt, obliuio scientiæ, vel ignorātia: & hæc, habet regressum similiter sicut prima. Alia tollit habitum, & dispositionē ad habitum, sicut cæcitas quæ est priuatio habitus, & dispositionis organi: & de ista intelligit philosophus quod habet ordinem irregressibilem. Obiectionum solutio. Multiplex priuatio.

De contradictorijs incomplexis.

De quolibet dicitur altera pars contradictione, sed non cū hac determinatione, per se nec cum reduplicatione, nec quum terminus de quo dicitur stat destributiuè. Exemplum primi, homo per se est albus homo per se est non albus. Exemplum, secundi: homo in quantum homo est albus, homo in quantū homo non est albus. Exemplum tertij, omnis homo est albus, omnis homo est non albus. Scot' in pri. dist. ij. quæst. vltima. Omnes supra dictæ sunt falsæ. Et nota quod inter non esse & esse in generatione naturali non est cōtradictio, quia est medium subiectum, vel materia circa quā fit generatio. Sed inter non esse & esse in creatione est conditio, quia nullū est mediū neq; materia inter esse & non esse, & ly non, inter esse & non esse creationis dicit purum nihil: sed inter esse & non esse in generatione naturali non dicit purum nihil, sed dicit non esse tale tantū, vt ex ligno fit ignis non esse illius precedens, Quæ sequūtur diligēter aduerte. Inter non esse & esse. & c. non est contradictio.

dicit non esse ignis sed supponit materiam.

¶ Nota quôd forma noua genita, est inducta à generante, vt informet materiam alicuius corrupti: quia forma præexistēs non potest informare duas materias. Scotus in quarto, distin xliiij, questione prima.

Capnt. l.v.

¶ De modis prioris.

Post oppositorum determinationem, subiungit Aristoteles modos aliquot siue acceptiones prioris, primum quidem ab alijs (vt videtur) communiter assignatos explicās, deinde prędictis quatuor ex sua sententia quintum adijciens. Qui omnes propter adolescentulorum memoriam confirmandam, suo ordine concludi solēt duobus his versibus.

Tempore, natura, prius ordine, dic & honore:
Causam ea usato, dicimus esse prius.

Primus modus prioris. ¶ Primo igitur modo prius dicitur alterum altero, secundum tempus. Id enim quod tempore pręcedit, dicimus prius tēpore: quemadmodum id quod subsequitur tempore, posterius nuncupamus, vt Adam fuit prior Abel, Noe prior Abraham, Dauid prior Salomone, atque ita in ceteris. Et vniuersaliter hoc modo prius dicitur esse quod est altero antiquius, vel senius. Inter quę duo Boetius ex sententia Porphyrij talē pōnit differentiā, vt antiquius rebus tribuat inanimatis, senius vero animatis. Antiquius enim dicit bellum Thebanorum excidio Troianorum, & dominationē regū in vrbe Roma antiquiorem dicit magistratu consulum, Seniorem vero ait Pythagoram Socrate, Socratem Aristotele, iccirco quod temporibus se antecedant.

Secundus modus. ¶ Altero modo dicitur prius, id a quo non conuertitur essendi consequentia. hoc est, quando duo aliqua sunt ex quorum altero infertur existentia alterius, sed non econtrario illud ex isto, tunc istud à quo nō fit reuersio dicitur prius. Exēpli gratia, a binario ad vnitatem bona fit essendi consequētia. Si enim duo sunt, vnum est, & si binarius fuerit, vnitas est. Uerum non econtrario, ab vnitate valet consequentia essendi, ad binariū. Non enim consequitur, binariū esse si sit vnitas. Ob hoc videlicet, vnitas merito dicitur prior. Sic generaliter omnis numerus minor maiore est prior: quoniā a maiore semper ad minorē valet essendi consequentia, nō autē a minore ad maiorē cōuertitur. Sic animal prius est homine. Si enim homo est, animal est: sed non fit cōuersio. Non enim necesse est, hominem esse, si animal sit. Et vniuersaliter omne genus est prius suis speciebus, & omnis species suis indiuiduis, hoc modo prioris. Et iuxta hunc modum dicitur aliquid prius natura, quemadmodum iuxta priorem dicitur

tempore prius. ¶ Quid autem sit consequentia essendi ex prędictis
facile intelligitur, ea videlicet in qua ex vnius existentia infertur exi
stentia alterius. Conuerti vero dicitur illa consequētia essendi, quā
do sicut ab existentia huius valet consequentia ad existentiam illius,
sic econuerso valet ab existentia illius ad huius existentiam. Ut si pa
ter est, filius est: ⁊ si filius est, pater est. Si homo est, risibile est: ⁊
si risibile est, homo est. Ideo ista, pater ⁊ filius, homo ⁊ risibile, di-
cuntur conuerti secundum essendi consequentiam. Quando autem
ab vno ad alterum valet essendi consequentia, sed non econtrario,
tunc dicitur essendi consequentia non conuerti: ⁊ ab illo dicitur non
conuerti, ex quo non fit vicissitudinaria illatio. ¶ Tertio modo di- Tertius
citur aliquid prius secundum ordinem quendam processionis ⁊ sub modus.
sequutionis. Sic in disciplinis, quędam sunt priora, quę videlicet
pręsupponuntur alijs posterius tradendis, alia sunt posteriora.
Ut in grāmatica, elementa priora sunt syllabis ⁊ syllabę orationibus.
Prius enim docendi sunt, qui in arte grāmatica recte instituuntur, ele
menta simplicia dignoscere: deinde ex eis componere syllabas, ex sy-
llabis simplices voces, atque ex his demum orationes. Sic in diale-
ctica prędicabilium ⁊ prędicamentorum determinatio prior est de-
terminatione simplicium enunciationum: atque hęc rursum prior de
terminatione syllogismorum, aliarumq; argumentationum. Ita in
oratione qualibet, exordium quo captatur beneuolentia iudicum
⁊ auditorum excitatur attentio, prius est narratione: atque hęc prior
est conclusione siue peroratione. Ita in ędificando domum, prius
est fundamentum iacere bonum, posterius erigere in altum parietes
postremū, tecto illos obtegere. ¶ Quarto modo dicitur alterum al Quartus
tero prius, secundum honorem ⁊ dignitatis pręcellentiam. Ut pon modus.
tifex summus: quia Christi vicarius, in Ecclesia primus dicitur: rex
primus est in regno, suntq; principes alijs alij in regno priores, pro
sua quisque virtute aut nobilitatis pręstantia. Uideturque sub hoc
modo comprehendi prioritas amicitię. Eum enim quem maxime di
ligo, primum apud me dico, primas que obtinere partes, non quod
simpliciter sit omnibus alijs dignior vel honorabilior: sed quia apud
me fit maximi, pręcipueque habetur in pręcio. Unusquisque enim
quod sibi charissimum habet, facit maximi. ¶ Ultra prędictos Quintus
modos prioris, assignat Aristoteles quintum, secundum quem, inter modus.
illa quę conuertuntur secundum essendi consequentiā, dicimus illud
altero esse prius, quod alterius aliquo modo est causa. Exempli gra
tia, homo ⁊ susceptiuum disciplinę secundum essendi consequentiā
conuertuntur. Nam si homo est, susceptiuum disciplinę est, ⁊ econtra
rio, humana autem natura quę per terminum homo significatur, cau-
sa est proprietatis illius quę per susceptiuum disciplinę significatur.
Ideo homo prior est quam susceptiuum disciplinę. Item si lux est, lu
men est, ⁊ econtrario: lux autem est causa luminis, ideo lux prior est
luminę. ¶ Adducit Aristoteles exemplum alterum obscurius, dicens
esse hominem conuerti secundum essendi consequentiam, cū oratio-
ne vera de ipso. Nam si homo est, vera est oratio, qua dicitur, homo



est ⁊ ecõtrario, si hęc oratio vera est, necesse est ergo rē ita sese in veritate habere, id est, hominem esse. Insuper hominem in rei veritate esse, causa est quare hęc oratio, homo est, vera sit. Non enim ideo homo est in rei veritate, quia illa oratio, homo est, vera est, sed potius econtrario: quia in rei veritate homo est, ideo oratio quę hoc significat vera est. Quare hominem esse, hoc modo prius est oratione vera homo est. ¶ Quemadmodum autem, quinque modos iam assignauimus prioris: sic per oppositum quinque item modos posterioris facile est assignare, iuxta regulam illam communem. Tot modis dicitur vnum oppositorum, quot modis ⁊ reliquum. Dicimus enim posterius tempore, posterius natura, posterius ordine, posterius dignitate, ⁊ posterius secundum causalitatem, vel in ratione effectus. Quę sigillatim prosequi foret superfluum, cū facillime ex comparatione priorum possint intelligi.

Caput. lxvj.

¶ De modis simul.

Tres modos Simul, ponit Aristoteles, qui tribus his versibus adiuuandam puerorum memoriam solent concludi.

Tempore dico simul, quorum generatio nunc est.
Quæ conuertuntur, dicimus esse simul.
Suntque simul species, genus vnum condiuidentes.

Primus modus simul. ¶ Primus itaque modus est, secundum quē illa dicuntur, simul quorum generatio siue productio est in eodem tempore, id est, quę simul nata siue producta sunt. Ut duo infantes ambo in eodem momento vel breui tempore nati. Itē omnes angeli simul sunt hoc modo, quoniam in eodem tempore siue momento omnes producti sunt, non alius post alium. Angelus autē ⁊ homo non sunt simul, quoniam non in eodem tempore productus est homo cum angelo. Atque hoc modo dicit Aristoteles simpliciter ⁊ proprijssime simul dici, quemadmodum prius primo modo ⁊ proprijssime dicitur secundum tempus.

Secundus modus. ¶ Secundo modo illa dicuntur simul, quę conuertuntur secundum essendi consequentiam, ⁊ neutrum est causa alteri vt sit. Atque hęc dicuntur simul natura, vel naturaliter simul, vt duplum ⁊ dimidium ad inuicem conuertuntur. Si enim duplum est, dimidiū est, ⁊ econtrario, si est dimidium, est duplum. Insuper neque duplum causa est dimidij neque dimidium causa dupli. Idcirco duplum ⁊ dimidiū sunt simul natura. Similiter pater ⁊ filius dominus ⁊ seruus, cętera que huiusmodi. Quod si de patre ⁊ filio quis obijciat, patrem esse causam filij, ac proinde priorem esse patrem filio secundum naturam respondebitur (iuxta sententiam Boetij) verum quidem esse, hominē illum qui est pater, causam esse substantię atque hominis illius qui

est filius, non tamen ob hoc dicendum est, patrē esse causam filij. Quēadmodum (exempli gratia) Aeneas causa fuit vt esset Ascanius, sed non fuit pater causa vt esset filius, nihilo certe amplius quam fuit filius causa vt esset pater. Simul enim ceperunt esse pater & filius, nec potuit Aeneas prius esse pater, quam esset ille filius. Unde cum dico, pater causa est vt sit filius innuitur, relationem paternitatis significatam per vocabulum patris, efficere relationem, quę per vocabulum filij significatur, quod veritatem non habet. Cum autem dico Aeneam esse causam vt sit Ascanius, indico, substantiam illam, quę est Aeneas, causam existendi pręstitisse substantię quę vocatur Ascani⁹. Atque hoc iuxta Poetarum descriptionem verum est. ¶ Tertio modo dicuntur simul (atque etiam aliquo modo secūdum naturam) quę ex eodem genere ed iuerso a seinuicem diuiduntur, hoc est, species plures sub eodem genere ęque immediate contentę, quę ipsum gen⁹ ex ęquo diuidunt. Ut homo & brutum hoc modo simul sunt, quoniā sub genere animal ęque immediate continentur, & ex ęquo genus illud diuidunt. Siquidem animal diuiditur immediate in hominem & brutum. Sic equus asinus, & leo, simul sunt: quoniam sub eodem genere, brutum ęque immediate continentur. Genera vero nunquam simul sunt cum suis speciebus, in quas diuiduntur, sed priora sunt illis. Terti⁹ modus.

Caput. lxvij.

¶ De motu & eius speciebus.

Quoniam in prędicamentis aliquoties mentio facta fuit de motu siue mutatione, cum diceretur de substantia, quod ipsa cum sui mutatione fit contrariorum susceptiua: item quantitate, de motu sursum & deorsum: item quia de actione & passione dictum est, quę cum motu aliquo fiunt, propterea Aristoteles nunc breuiter de motu & eius speciebus determinat: tametsi eius ex actiori consideratio ad physicam pertineat. ¶ Diuidit itaque motum in sex species, quę sunt, generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & secundum locum mutatio. Hęc adinuicem ita differunt: quoniam generatio & corruptio ad substantiam pertinent, augmentatio & diminutio ad quantitatem, alteratio ad qualitatem, loci mutatio ad vbi. Id quod ex earum descriptionib⁹ facile patebit quę sunt huiusmodi. Generatio est progressio a non esse substantię ad esse eiusdem. Corruptio est progressio ab esse substantię, ad non esse eiusdem. Augmentatio est progressio a minori quantitate, ad maiorem. Diminutio est progressio a maiori quantitate, ad minorē. Alteratio est motus de qualitate in qualitatem. Loci mutatio est motus de loco ad locum. Exempla assignabimus singulorū. Cū Petrus aut Paulus qui prius nō erat, accipit esse humanū, fitq; homo, illud sic nō esse ad esse procedere, dicitur generari. Cum ecōtrario, is qui modo esse habet post paululum esse illud perdit, & nō esse succedit pro esse, dicitur, corrūpi. Cū idem ex modica quātitate pueriliis ętatis, pertingit

ad quantitatem maiorem ętatis virilis, dicitur augeri. Cum econtrario, ad ętatem decrepitam perueniens, ad minorem iterum quantitatem reuertitur, dicitur minui. Cum ex albo fit niger ex bono malus, aut econtrario, dicitur alteri. Postremo, cũ de loco se transfert in locum alium, dicimus illum secũdum locum moueri. ¶ De motus autem contrarietate inquirens Aristoteles, dicit, quietem ipsi simpliciter cõtrariari, id est, opponi. Nam proprie nõ potest esse quies contraria motui, cum sit quies nil aliud quam priuatio. Contrariantur etiam motus qui sunt ad terminos contrarios. Et generatio proprie contrariatur corruptioni, quoniam terminos habent contrarios. Generatio enim progreditur ad esse substantię, corruptio ad nõ esse. Sic augmentatio & diminutio, quarum illa ad maiorem, hęc ad minorem tendit quantitatem. Hęc autem quodammodo contraria cẽsentur, secundum physicam maxime considerationem. Ita dicendum in alterationibus, quę sunt ad contrarios terminos, cuiusmodi sunt de albatio & denigratio. Item de mutationibus secundum locum, vt motus sursum, motus deorsum. De his plenius exactiusq; tractare ad physicam spectat considerationem.

Caput. lxviij.

¶ De modis habendi.

Quoniam Aristoteles vocabulo habere, in prędicamentis secundum diuersas acceptiones vsus fuerat (siquidem habitũ posuit speciem qualitatis, & habere nouissimum assignauit prędicamentum) iccirco ne quis ęquiuocatione nominis illius turbetur, adiicit nũc & alias eiusdem acceptiones, octo eius ponens modos: quos quia paucissimis perstringit, ipsius hic verba placuit tantum subscribere. ¶ Habere inquit, octo dicitur modis. Aut enim aliquid qualitatẽ habere dicitur, vt habitũ & dispositionem, scientiã (inquam) & virtutem. Aut quantitatem, vt magnitudinem, tricubitum aut quadricubitum. Aut ea quę circa corpus sunt, vt vestimentũ tunicam, vel gladium. Aut aliquid in corporis parte, vt in digito annulum. Aut partem, vt pedem vel manum. Aut vt continens contẽtum, vt modius grana tritici, aut lagena vinũ. Aut possetionem vel domum vel agrum. Dicitur etiam & vir vxorẽ habere. Sic ille octo habendi modos enumerat, qui his concluduntur duobus versibus.

Octo modi habẽdi.

Affectum, quantum, vestitum, dic velut aurum,
Membrum contentum, possessio, vir mulierem.

¶ Vltimum autem modum Aristoteles dicit esse omnium alienissimum, eo quod habere vxorem (vt ipse ait) non aliud sit quam vxori cohabitare, videlicet secundum gentilium ritum & sententiã loquẽs qui sacramẽtum magnũ illud ignorabant. Nos autẽ, quos Christus

Iesus

Jesus omnis veritatis magister in sacratissimę fidei misterijs erudiuit, sacramentum magnũ in coniugio viri ꝛ foeminę intelligentes, scimus longe amplius esse virum habere vxorem, quam ei cohabitare. Uirum enim habere vxorem, secundum veritatem est virum cũ vxore indissolubili vinculo esse colligatum, ita vt ipse (iuxta Apostolum) potestatem non habeat sui corporis, sed mulier: ac vicissim mulier sui corporis non habeat potestatem, sed vir. Unde si hunc modum nos quoque alienissimũ dixerimus, aliam assignabimus rationem, quoniam in alijs modis habendi, id quod habet non dicitur vicissim haberi, ab eo quod habet: vt habens possessionem, non ab ea habetur, ꝛ qui habet vestem aut annullũ, non ab ipsis habetur: qui pedem habet, non dicitur haberi a pede. In hoc autẽ modo, vt vir habet vxorem, ita vicissim habetur ab ea. Neuter enim sui corporis habet potestatẽ, sed vicissim alter alterius, ita vt sint duo in carne vna, in significationem grandis illius mysterij, quod nobis sacer Paulus Apostolus prędicauit in Christo ꝛ Ecclesia, quod olim gẽtium quoque summis principibus (vt modo in nostro Aristotele cernimus) absconditum, nunc tandem in fine sęculorum, vt alia plura nobis patefecit, magister veritatis, Jesus Christus dominus noster, cui proinde sit laus honor ꝛ gloria, vna cum patre ꝛ spiritu sancto, in sęcula sęculorum. Amen.

¶ Deo semper ꝛ vbique gloria.

LIBRI TERTII CONSIDERATIONIS Dialecticæ, qui de interpretatione inscribitur.

PRAEFATIO.



Ost exactam in duobus precedentibus libris simplicium vocum determinationem, recto ordine nunc est procedendum ad simplicium illarum compositionem diligenter considerandam. A simplicibus enim ordinatus est progressus ad composita. Tractabit ergo principaliter hic liber de orationibus compositis, maxime autem de illis quibus verũ vel falsum significatur, quę peculiari nomine enũciationis vel enunciatiuę orationes nominantur. Inscribitur autem hic liber ab Aristotele Gręco titulo, peri hermenias, id est, de interpretatione: quę idem videtur esse cum enunciatione, qua mentis nostrę con-

ceptum verum falsumue interpretamur siue exprimimus. Quanquã Boetius in ea videtur esse sententia, vt interpretationem intelligat etiam nomen quodlibet ꝛ verbũ ꝛ participium per se aliquid significans. Qua de re pluribus digladiari, nõ videtur operepretium. Illud certũ est, precipuã hic enunciationem haberi determinationẽ. De nomine ꝛ verbo quod paucula premittantur, per accidens euenit, videlicet propter meliorem enunciationum cognitionem: quandoquidem ex nominibus ꝛ verbis vt precipuis partibus, cõponitur enunciatiua oratio.

Caput. j.

¶ De nominis definitione.

A Nomine igitur incipientes cũ Aristotele libri huius tractatum, primum ipsius constituamus explicemusq; definitionẽ, quam ille assignat in hunc modum.

Definitio nominis.

Nomen est vox significatiua secundum placitum, sine tempore, cuius pars nulla est significatiua separata, finita, & recta

¶ Cuius definitionis occasione recentiores quidam libri huius determinationẽ incipiunt a definitione soni eiusque diuisione in vocẽ ꝛ non vocem. Ubi deinde partibus vtrisque sua definitione terminatis, vocem diuidunt in significatiuam ꝛ non significatiuam, ac rursum significatiuam, in eam quę naturaliter, ꝛ eam quę ad placitum significat. Uerum nos hęc omnia in libris de consideratione rerum naturalium, vbi proprius est ipsorum locus, plenissime tractauimus, libro videlicet nono a capite sexto, vsque ad. xij. Propter quod paucissimis ea tantum quę necessaria videntur, hoc in loco repetemus.

Vox significatiua.

¶ Inter voces igitur, quędam sunt omnino nihil determinate significantes. Ut cum pueri aut moriones aut ebriosi inarticulatas voces emittunt ex quibus nihil percipitur. Inter eas vero quę determinatum aliquid significant: quędam naturaliter, quędam secundum placitum dicuntur significare. Nempe illę naturaliter significant, quę apud omnes homines vbiq; locorum siue gentium, idem significant

Vox significatiua naturaliter.

vt gemitus quem infirmus emittit, dolorem significat ęgritudinis, ꝛ suspirium ab altero eductum significat cordis tristitiam siue grauitatem. Canis latratus, significat famem aut iram siue conturbationem, atque ita in huiusmodi. Ex naturali enim dispositione ꝛ influxu habent illę voces, vt sic apud omnes idem significent. Illę vero dicuntur secundum placitum significare, quę non idem apud omnes homines representant, sed pro voluntate imponentium rem aliquam significant. Ut homo apud Latinos significat substantiam rationalem, apud Grecos nihil omnino significat. Sic de omnibus vocibus cuiuslibet idiomatis, quo humano more vtuntur adinuicem colloquẽdo homines. Ex quibus facile patet, quam ob rem in definitione nominis dictũ sit, Nomẽ est vox significatiua, secundũ placitũ. Quod

Vox ad placitum significatiua.

enim huiusmodi vox non est, nominis appellationem non recipit. ¶ Adiicitur deinde particula, sine tempore. Pro qua explicanda intelligendum est, differentiam inter nomina ⁊ verba hanc esse, quod nomina non trahant secum tempus in sua significatione, neque suum significatum quod habent secundum aliquam temporis differentiam determinant: vtpote neque secundum presens, neque secundum preteritum, neque secundum futurum. Verba autem tempus secum trahunt in sua significatione, ipsumque significatum vocis secūdum determinatam aliquam temporis differentiam important. Exēpli gratia nomen homo, nullo modo temporis aliquam differentiam in sua significatione trahit, neque humanam naturam (quę est ipsius precipuum significatum) aut ipsos homines particulares (quę significata sunt secundaria) secundum vllam temporis differentiam determinat. Cum autem dico, curro, cucurri, curram manifestum est prius verbū trahere secum in significatione tempus presens: secundum, tempus preteritum: tertium, tempus futurum. Ipseque cursus idem per singula illorum principaliter significatus, secundum tempus certum determinatur, quemadmodum in explicando patet. Curro enim valet, in tempore presenti cursum habeo: cucurri, in tēpore preterito cursum habui: curram, in tempore futuro cursum habebo. Sic inter tria hec, est, fuit, erit, idem est significatum principale, nempe existentia ipsa siue ipsum esse. Verum in tempore quod secum trahunt in sua significatione est manifesta differentia. ¶ Illud autem quod nos Boetiū hac in parte sequentes, diximus tempus secum ad significationē trahere, ipsum est quod dicit Aristoteles significare cum tempore. Est enim differentia notanda, inter significare tempus ⁊ significare cum tempore. Significant enim tempus quędam nomina vtpote hora, dies, annus, mensis, biennium, triennium, biduum, triduum, ⁊ huiusmodi, quę videlicet non secum trahunt tempus ad significationē suā sed tempus habent pro significato suo precipuo. Illa autem quę cum tempore significant, principaliter aliud quidem significant, vt curro cursum, amo amorem: ⁊ preter huiusmodi significatū principale, designant quandam certam differentiam temporis, circa quod determinatur quodammodo illud significatum precipuum. Excludit ergo predicta particula sine tempore, omnia verba a definitione nominis. In ceteris enim omnibus, conueniunt definitiones nominis ⁊ verbi, illa vnica particula excepta. ¶ Quod autē vltimo loco ponitur, cuius nulla pars est significatiua, separata, ad differentiam ponitur nominis simplicis ab oratione, quę est composita. In hoc enim differt nomen ab oratione, quod in nomine partes ipsę quatenus, illius nominis partes sunt, nullam habent significationem, sed solum ipsum totum nomē simplicem habet significationem. Ut cum dico, homo, partes ille per se nihil significant, neque ho aliquid, neque mo aliquid. In oratione vero, partes per se habent significationes singulę suas, ⁊ ex partiū significationibus cōsurgit significatio totius orationis. Ut homo viuit, est oratio, in qua ⁊ homo suum habet significatum peculiare, ⁊ viuit suum: ⁊ tota oratio significationem habet ex his duabus

partibus resultãtem. ¶ Quod si quis interroget, de nominibus quę Grammatici vocant figurę composite, quid sit sentiendū, an vere nomina sint, ⁊ verum partes eorum nihil significent separatę? Dicendū quod vere nomina sunt, iuxta Aristotelis sentẽtiam, neque vere partes eorū sunt significatiuę separatę, quatenus partes sunt. In hac etenim dictione respublica, quamdiu accipitur ipsa vt nomen vnicū cõpositę figurę, simplex conceptus ei respõdet in mente, sicut ⁊ alijs nominibus figurę simplicis, habetque significationem non minus simplicem. Neque enim, res, vt ibi ponitur, tanquam pars altera illius nominis compositę figurę, quicquam significat non magis quam ho, in dictione homo: neque item publica, vt ibi ponitur, quicquam significat, sicut nec mo in dictione homo.

De nominibus compositę figurę.

¶ Necdum vero plene contentus Aristoteles, duas adhuc particulas censuit adijciendas, ad excludenda nomina quę vocantur infinita, ⁊ nominum casus, quę vocãtur obliqua nomina. Cū enim negatio simplici nomini aut verbo prępo nitur (dicendo non homo, non animal, non ambulat) non videtur aggregatum illud dignum appellatione nominis aut verbi, cum in eo potius tollatur nomen aut verbum per negationem prępositã. Nomen etenim ⁊ verbum semper aliquid determinatum constituunt, id est, significationem aliquam certam habent ⁊ determinatam. Eiusmodi autem cõplexum ex negatione ⁊ nomine, nihil certum aut determinatum sua significatione cõstituit: sed indefinite ⁊ indeterminate omne quod non continetur sub nomine cui adiungitur negatio. At homo determinate significat naturam humanam, ⁊ quę in ea conueniũt. Non homo autem, non determinate aliquam naturam significat, neq; equum determinate, neque asinum, neque lignum, neque coelum, neque aliud aliorum quę subsistunt in natura: sed indefinite ⁊ indeterminate omne id a quo abnegatur nomen hominis. Propter quod, nomen infinitū censuit Aristoteles huiusmodi nominandum.

De nominibus infinitis.

¶ Insuper casus nominum non proprie nomina putat appellanda. Sunt enim nominum casus ⁊ inflexiones ac propter hoc videntur a nominibus distare, quoniã a nominibus cadunt ⁊ deflectunt, vnde casus vocãtur atque obliqui. Vocabulū autẽ primariū, quod non ab alio cadit, siue deflectit, sed alia cadunt siue obliquantur ⁊ deflectũtur ab ipso, rectus appellatur aut nominatiuus. Iccirco autem Aristoteles casus nominum non dignos ęstimat appellatione nominis, quoniã omne nomen, si ei addatur verbum aliquod, faciet cum illo orationẽ verã aut falsam. Casus autem nominū adiecto verbo non faciunt orationẽ verã aut falsam, nisi insuper nomen aliud rectum adiungatur. At cū dixeris, Socratis est, neque verum neque falsum habes nisi addideris rectum, dicẽdo, Socratis vestis aut liber est. Ita in reliquis.

De nominibus obliquis.

¶ Ex his igitur omnibus elicitur hęc definitio nominis ab Aristotele omnino cõpleta. Nomen est vox significatiua secundum placitum, sine tempore, cuius pars nulla est significatiua separata, finita, ⁊ recta. Vel, iuxta Boetium, pro duabus illis particulis finita ⁊ recta, ponatur, definitum aliquod significans, cum est, aut non est iuncta, faciens enunciationem: quę particulę prioribus ęquiualent, easque explicãt.

Completa definitio nominis.

IN LIBRI TERTII DE enunciatione primum caput.

¶ Exposita perlucidè natura nominis per authorẽ peritissimum Titelmannum, gratia exercitij contra iam dicta de nomine arg. sic.

¶ Pars argumentatiua.

¶ Natura nominis per diffinitionẽ datam non est sufficienter explanata, ergo diffinitio est insufficiens. Sequela est bona & antecedens probo. Illa diffinitio nõ competit cuicunq; nomini, ergo antecedens verum. Forte respondebis quòd ibi diffinitur solum nomen vocale. Sed contra, Nullum superius rectè diffinitur per suum inferius: vt si diffiniatur substantia sic, substantia est animal rationale. Sed nomen est quid superius, ad nomen vocale, mẽtale, & scriptũ, ergo illa diffinitio est mala, cũ diffinitio vel pars eius debeat esse de essentia diffiniti. Pri. argu.

¶ Secundo arg. sic. Nullum est diffinitum illius diffinitionis, ergo diffinitio nulla. Sequela est bona, & antecedens probo à sufficiente diuisione. Si aliquid esset diffinitũ, vel esset nomẽ scriptũ, vel mentale, vel vocale, vel intentionale, putà secunda intentio. De vocali probatũ est in superiori argumento, de scripto & mentali notũ est, sed quòd non sit secunda intentio probatur sic. Nulla secunda intentio est vox, nec significatiua secundũ placitũ, neq; habet partes quæ separatæ aliquid significẽt, neq; est infinita, neq; obliqua, nec recta cum nõ inflectatur per casus sicut & nomen, vt patet intuenti, ergo diffinitio nulla. ij. argumẽ.

¶ Tertio arg. sic, Philosophus nõ tractat de omnibus partibus constitutiuis enunciationis, ergo insufficienter. Sequela est bona, & antecedens probo. Non tractat de adiectiuis adiectiuis entis, neq; de aduerbijs, qui sunt determinationes verborũ neq; de coniunctionibus quæ sunt partes propositionum hypotheticarũ, nec de pronomine, quod supleat vicẽ nominis. iij. argumẽ

¶ Pars responsiua.

¶ Ad primum respondetur per distinctionẽ, quòd natura no- Ad primũ.

minis potest capi dupliciter. Vno modo cōmuniter in genere, alio modo specialiter & specifice.

Natura nominis capitur dupliciter.

¶ Primo modo conceditur quod non explicatur natura nominis in genere, sed secūdo modo negatur q. nō explicetur natura nominis vocalis, solū quippe nomē vocale ibi diffinitur, & ad probationē concedo q. nullum superius propriē diffinitur per suū inferi⁹, Et cū infers, hæc diffinitio ē superioris per sua inferiora, nego illā, imò vox ponitur loco generis, & diffinitū illius diffinitionis circumloquitur nobis per hoc complexum nomen vocale.

Ad secūdū Quid sit diffinitum diffinitionis nominis.

¶ Ad secundū concedo sequelā & nego antecedens: & dico q. diffinitū illius diffinitionis, est secunda intentio attributa voci, significatiuæ &c. vel est nomē vocale sub secunda intētione consideratū, & ad probationē, nullū tale est vox, concedo essentialiter & realiter, sed nego accidentaliter prędicantur enim de seipsis accidentaliter vox & secunda intentio, vel includit ens per accidens puta diffinitum, quod de nullo prædicatur essentialiter.

Ad tertiū.

¶ Ad tertium respondetur negando antecedens, & ad probationem respondeo ponendo propositiones.

Pri. ppo.

¶ Prima prop. Ex solo nōe & verbo cōstituitur orō essentialiter, vt deus ē charitas increata, qua ppter cæteræ partes nō sunt necessariæ simpliciter ad compositionem enunciationis.

ij. proposi.

¶ Secunda propo. Cęteræ partes reducūtur ad nomē & verbū, vt pronomē reducitur ad nomen. Aduerbiū aduerbiū cū sit determinatio eius. Præpositio ad vtrūq; cū præponatur vtriq; in cōpositione. Coniunctio est ad vtrūq; cum sit cōiunctiua tā nominum quā verborū. Participiū vero partē capit ab vtroq;. Nomina adiectiua etiam sunt determinationes nominum, vel si substātiuantur sunt nomina. Interiectio vero vtrūq; importat, væ mihi, heu me, at: resoluuntur enim in oratio nem compositam ex verbo & nomine. & sic patet solutio ad tertium argumentum.

Oēs partes orationis reducūtur ad nomen & verbum.

¶ Sequuntur aliqua dubia circa prædictam materiam.

Pri. dubiū.

¶ Dubitatur primo, cur philosophus definiuit nomē vocale & non mentale, vel scriptum?

ij. dubium.

¶ Secūdo dubitatur, an nomen sit vniuocū, vel æquiuocū

ad nomen, mentale vocale & scriptum.
¶ Tertium, vtrum adiectiua adiectiue tenta, pronomina, obli- iij. dubium
qua sint noīa secūdū logicū, vel ne; & noīa cōposite figuræ.
¶ Quarto vtrum nomen æquiuocum sit nomen. iiij. dubiū.
¶ Ad primum respondetur, quod potius diffinitur nomē vo- Ad pri. du
cale, quam scriptum vel mentale, quia omnis nostra doctrina
ortum habet à sensu & sic debet habere sensibile annexum, li-
cet habeat significationem insensibilem.
¶ Ad secundum probabiliter dicitur quod sic, & dicitur etiā Ad.ij. dub
quod nomē vocale & scriptū, habent originem in significan- Nomē est
do à mentali ex quo infertur quod nomen est analogum ad analogum.
mentale scriptum & vocale.
¶ Ad tertiū dicitur (vnico verbo) q; nullū illorū dicitur nomē Ad.iij. du.
nisi largo modo sumpto. Ratio, quia adiectiuum adiectiuē
tentū, non potest reddere suppositum verbo. Item cætera om
nia sunt cōplexa, & nullum cōplexum est nomē propriē, vt su-
mitur in præsentiarum. Et si quis quærat an nomina in posi-
ta in baptismate remaneant in patria; Respondeo, quod iusti Noīa iusto
habebunt nomina sua (vt testatur sacra pagina) patet Lucæ de- rū permanebunt.
cimo; Gaudete (inquit Seruator noster) quia nomina vestra
scripta sunt in cœlis. Item dicitur quod Lazarus pauper cupie
bat saturari de micis Diuitis auari, sed ille Diues non noīatur
in sacra pagina, Lazarus vero deportatus est ab Angelis in si
nū Abrahæ. Itē Exod. primo, Hæc sunt nomina filiorū Israel Delebun-
Item Dominus ad Moysen, Noui te ex nomine, id est, appro- tur noīa re
baui te. Secundo dicitur probabiliter quod nomina reprobo proborum
rum delebuntur de libro viuentium.
¶ Si quæratur, An illud magnum nomen Tetragrammaton Tetragrā-
sit nomen nominis, vel nomen rei; Respondetur breuiter, & maton no-
probabiliter quod est nomen nominis & nō rei, (puta Dei) vn- mē noīs.
de Tetragrammaton significat istud nomen Deus, vel Ado-
nay; & non significat Deum in quo decipiuntur imperiti in
dicentes, quod est nomen dei & eis absconditū vide Pau-
lum Scriptorē supra Scotū quarto dist. xxij. q. vnica.
¶ Ad quartum dico quod bene erit nomen capiendo nomen Ad.iiij. du
largo modo non autem stricto.

Caput.ij.

¶ De verbo.

POstquam prolixe satis de nomine tractatum est, non ita multum erit insumendum temporis ad verbi naturam declarãdam. Quęcunque enim de nomine dicta sunt, eadem & de verbo suo modo sunt dicenda, vna tantum particula illa excepta, quę inter ea ponit discretionem. Quanquam vero ad definitionem verbi potuisset Aristoteles non minori iure addere particulas illas vox significatiua secundum placitum, quas primo loco posuit in definitione nominis, illa tamen quasi nota relinquens ex nominis definitione, ea pręcipue in verbi definitione posuit, secundum quę differt a nomine. Est autẽ hęc eius definitio.

Definitio verbi.

Verbum est quod consignificat tempus cuius pars nihil extra significat, & est semper eorum quæ de altero dicuntur nota.

¶ In qua definitione, relatiuo quod assignandum est pro antecedente, vocabulum secundum placitum significatiuum. Non enim potest referre verbum, quoniam non potest idem definiri per seipsum. ¶ Particula autem sequens, quod consignificat tempus a definitione ista nomen elongat, quod non consignificat tempus, sed absque tẽpore significatum suum importat. Quid autem sit significare cum tẽpore vel consignificare tempus, & quomodo differant tempus significare & tempus consignificare; satis lucide dictum est in tractatu de nomine. Quare superfluum fuerit, eadem hic prolixius repetere. Tantum consuetas descriptiones horum terminorum, simpliciter assignabimus. Significare tempus est, ex significato principali tempus designare. Significare autem cum tempore est pręter significatũ principale, aliquam certam temporis differentiam connotare. Differentias temporum sumimus in proposito, secundum pręsens, pręteritum, & futurum. Quod deinde sequitur, cuius pars nihil extra significat, sic de verbo intelligitur, quomodo de nomine supra ostendimus. Itidemque dicendum erit de verbis quę nominantur figurę compositę, quomodo de nominibus eiusmodi diximus. ¶ Postremum vero illud, Et est semper eorum quę de altero dicuntur nota, difficultatem habet, & varie exponitur. Recentiores facili satis intelligentia ita solent exponere, quod verbum semper est copula vel actualis vel aptitudinalis ad copulandum pręedicatum cum subiecto, videlicet quia omne verbum includit actualem & formalem copulam, vt patet in resoluendo. Currit enim idem valet, quod, est currens: vbi copulam est, vides explicatam. Aliter interpretatur Boetius, dicens omne verbum, accidens aliquod significare, vtpote actionem vel passionem, quę semper de altero pręedicantur, cum sint accidentia, & accidens semper de eo pręedicetur quod sibi est subiectum. ¶ Distinguit deinde verba finita ab infinitis Aristoteles, vt

supta nose fecerat, ⁊ verba obliqua a rectis. Infinita verba sunt, nō currit, non laborat, non proficit, quę licet tempus consignificant, nihil tamen determinatum important, sed indefinite ⁊ indeterminate omne quod sub verbo a quo fit abnegatio non continetur. Verbū autem obliquum appellat, omne quod non est temporis pręsentis ⁊ modi indicatiui. Currebat enī ⁊ cucurrit, ⁊ curret, vocat obliqua verba: quoniam videlicet sic a verbo pręsentis temporis modi indicatiui per quandam obliquitatem ⁊ inflexionem cadunt, mutata terminatione finali, sicut in nominibus obliqui cadunt a recto. Proprie ergo non verba, sed verborum potius casus ⁊ obliqua vel inflexiones dicuntur. ¶ Possunt vero obliqua verba distingui tripliciter. Vel ex parte tēporis tātum, vt currebat, cucurrit, cucurrerat, curret: quę sunt quidem modi indicatiui, ⁊ ob hoc quantum ex parte illa nō sunt obliqua: sed quia non sunt temporis pręsentis, inde obliqua verba dicuntur. Vel ex parte modi tantum, vt curreret, currat, curreret: quę sunt quidem temporis pręsentis, sed modi non indicatiui, at que ex hac parte verba obliqua sunt. Vel ex parte temporis ⁊ modi simul, ⁊ hęc maxime obliqua sunt, vt cucurrissem, cucurrisse, item curterem ⁊ currere, quando accipiuntur vt pręterita imperfecta optatiui siue coniunctiui ⁊ infinitiui modi. ¶ Interea vero quę sunt obliqua ex parte tēporis tantum, ⁊ quę ex parte modi tantū, videntur illa minus obliqua istis, ⁊ magis ad naturam rectorum accedere. Verba enim omnia indicatiui modi, quodcunque tempus cōsignificent hoc habent commune, quod adiecto nomine ęqualiter faciunt enunciationem veram vel falsam, vt Petrus viuit, Petrus viuebat, vixit, vixerat, viuet. Verba autem quę alterius modi sunt quam indicatiui, etiam si sint pręsentis temporis, non faciunt orationem veram vel falsam, addito nomine. At si dicas, Surge Petre, Petrus surgeret, aut surgat, aut Petrum surgere, nusquā verum est aut falsum. ¶ Tandem vero priusquam tractatum hunc de nomine ⁊ verbo egrediamur, perquirendum est de ijs partibus orationis, quas grammatici appellāt participia, an hoc in loco sub nomine an potius sub verbo sint constituenda. Sub nomine enim prima facie non videntur commode posse constitui, quoniam non significant sine tempore. Quemadmodum enim amo significat cum tempore pręsenti, sic ⁊ amans, ⁊ quomodo amabo significat cum tempore futuro: sic ⁊ amaturus. In hoc igitur videntur obtinere naturam verbi. Ex altera autem parte videntur conuenire cum nomine, ⁊ a verbo distare, quoniam verbum nunquam per se potest esse subiectum enunciationis, participium autē potest. Verbum quoque per se solum, addito tantum nomine aliquo facit enunciationem, quod participium non potest nisi insuper ⁊ verbum addatur. Cum enim dico, Amans amatur, enunciatio est, cum autem, Joannes amans, enunciationem non habeo: sicut neq; hic, Joānes homo, cum pro participio nomen ponitur. In hoc ergo videtur cum nomine conuenire, ⁊ a verbo differre. ¶ Respondendum est, nō mirum esse, si participium nec plene obtineat naturam nominis, nec plene naturam verbi. Si enim alterius naturam penitus habe-

De participijs.

Q v

ret, nomen suum perderet. Participium enim dicitur, quasi partem capiens. Nam (vt Grāmatici declarant) partē capit a nomine, partē a verbo, & parte ab vtroque. A nomine capit genera, & casus, a verbo tempus, & genus verbale, ab vtroque numerum & figuram. Nō est igitur mirum si non poenitus alterius naturam obtineat. Communior tamen sententiam comprehendit ipsum sub nomine, dicens ipsum non proprie significare cum tempore, eo modo quo verba. Nā verba significant cum tempore tali, quod sit mensura totius enunciationis: non autem participia. Et cum dico Joannes fuit amans, enunciatio illa mensuratur & denominatur, non a tempore per participiū amās significato. Non enim dicitur esse enunciatio de pręsenti, sed de pręterito, propter tempus pręteritum per verbum fuit, significatum. Vel aliter dicitur participium non consignificare tempus determinatum vel determinate, sicut verbum, eo quod participium cogatur secundum qualitatem verbi sibi adiecti. vt si addatur verbo pręteriti temporis participium pręsentis, ampliatur secundum tempus pręteritum, vt accipiatur pro pręteritis, quod ex sua significatione est tēporis pręsentis.

¶De verbo.

Primū. argumentum ¶Contra diffinitionem verbi sic arguitur.

¶Nullum nomen significat cum tempore, sed verbum est nomen, ergo verbum non significat cum tempore. Maior est nota, & minorem probo. Verbum est pars orationis declinabilis, ergo sequitur quod est nomen.

ij. argumē. ¶Secundo arg. sic. Nullum purum syncathegoreuma, est significatiuum, verbum tertium adiacens est syncathegoreuma, ergo non est significatiuum. Vltra nō significatiuum, ergo nec vox significatiua: vt dicitur in diffinitione.

iij. argum. ¶Tertio arg. sic. In qualibet ꝓpositione affirmatiua vera subiectum & prædicatum debent supponere pro eodem, ergo illa non est vera, cum subiectum & prædicatum non supponant pro eodem. Maior est vera, sed minor probatur. Subiectum supponit pro secunda intentione, prædicatum vero pro voce ergo non supponunt pro eodem.

iiij. argu. ¶Quarto sic argui. Aliquod verbum non est nota eorū quæ de altero dicuntur, ergo illa diffinitio non conuenit cuilibet sub ea cōtento. Sequela est nota, & antecedens probo. Verba sæpe adiectiua prædicātur de altero, dicēdo Sortes currit, Sortes loquitur, ergo nō sunt nota eorū quæ de altero dicūtur.

Confirma. ¶Confirma. Illud est verbum, quod est subiectum enunciatio

nis, ergo nō est nota vnionis. Sequela est bona, & antecedēs probo. Legere est bonū, ly legere est subiectū enūciationis & verbū, Ergo sequitur q̄ nō est nota vnionis quodlibet verbū.
¶ Si aliquod esset verbum vocale causaretur à voce, sed cōsequens est falsum, ergo & antecedens. Fortè negabis minorē, quam sic probo. Intellectus est causa cuiuscunque dictionis significatiuæ, ergo non vox, antecedens probo, quia omnis significatio dependet ab intellectu, quod sic probo à quocunque res habet suum esse, & sua proprietatem, sed termini scripti & vocales habent suum esse à termino mentali & termin⁹ mentalis ab intellectu & obiecto, ergo de primo ad vltimum terminus vocalis & scriptus habent suum esse ab intellectu. v. argumē.
¶ Confirmatur. Quicquid causatur à causa inferiori potest causari à causa superiori, Sed si per te verbum vocale causatur à voce, ergo potest causari ab intellectu cum sit superior voce. Confirma.
¶ Sextò argu. sic. Si aliquod esset verbum vocale, esset ex p̄se suum conceptus, sed multa sunt verba non expressiua cōceptus, ergo falsum est q̄ verbum vocale sit vox. Antecedens patet, ait enim philosophus primo perihermenias, sunt igitur voces, & scripturæ notæ earum passionum quæ sun in mente. vj. argumē.
¶ Septimo sic argu, Ly est per se sumptū nihil significat: ergo per se sumptum non est verbum. vij. argu.

¶ Pars responsiua.

¶ Ad primum respondetur cōcedendo maiorem, & ad minorem. Nomen est verbum, distinguo, vel capiendo nomen materialiter & sic concedo, vel capiendo nomen personaliter, & sic nego quód verbum sit nomen. Ad primū
¶ Ad secundū respondetur per ꝓpositiones quarū prima est. Ad. ij.
¶ Verbū potest capi partim cathegoreumaticè & partim syncathegoreumaticè vt includit suum participium, & sic dico quòd significat aliquid & aliqualiter cum sit terminus mixtus. Prima ꝓ.
¶ Secū. ꝓpositio, Si verbū sit tertiū adiacēs tūc cōcedo q̄ est ij. propos.

purum syncathegoreuma,& solum significat aliqualiter.

iij.propo ¶ Tertia. Sufficit quód verbum significet aliqualiter ad hoc vt dicatur vox significatiua,& sic capitur in diffinitione verbi vocalis.

Ad.iij. ¶ Ad tertiũ respondeo ponẽdo propositiones, quarũ prima.

Prima propositio. ¶ Illa propositio potest negari,& dico quod illa regula videtur vera in prædicatione formali, & quidditatiua, vt homo est animal, homo est rationalis, sed non in prædicatione fundamentali, vt in ista, pater est animal quod genuit aliud animal sibi simile, vel pater est habens filium & sic est in ista verbum est vox,&c.

ij.proposi. ¶ Secunda propositio, potest dici melius quód ly verbum supponit pro verbo vocali, connotando vnam secundam intentionem sibi atribui,& hoc potest elici ex ꝓlogo Scoti arguẽdo contra Egidium.

iij.propo. ¶ Tertia propositio. Potest dici quód illa est prędicatio formalis & accidentalis, cuius sensus est, Verbum est vox, id est, secunda intentio attributa voci significatiuæ,&c. Ex quo infertur, quód ibi non supponit pro secunda intentione & voce sed supponit pro vno illorum, connotando alterum sibi attribui: connotando albedinem sed non supponit pro albedine.

Ad.iiij.ar. ¶ Ad quartum respondetur negando antecedens,& ad probationem dico, quód verba adiectiua (licet prædicentur,& ita videantur non esse nota eorum quæ de altero prædicantur) includunt tamen notam, vt patet per resolutionem illorum, vt Sortes currit, id est, est currens.

Verba adiectiua includunt notam.

Ad confirmationem ¶ Et ad confirmationem dico, quód ly legere capitur nominaliter,& sic potest esse subiectum cum non sit verbum, & hoc per regulam Grammaticorum. Dictio nõ nomen pro nomine sit tibi neutra.

Ad.v. ¶ Ad quintum respondeo concedendo sequelam, sed nego ꝙ consequens sit falsum, Et ad probationem dico, ꝙ intellectus, imò potius ipsa voluntas potest esse causa sine qua non, nego tamen quod sit causa effectiua vocis, cum vox non possit formari sine instrumẽtis naturalibꝰ, vt sunt guttur, labia,&c.

Ad confir. ¶ Ad confirmationẽ, quicquid causatur,&c. Dico quód illud

est verbum, sed non vniuersaliter, quia defficiunt intellectui instrumenta formatiua vocis. Ex quo patet deffect⁹ nostri intellectus, qui non potest in effectum inferioris causæ sicut diuinus, vel fortè angelicus potest.

¶ Ad sextum. Si aliquid esset verbum vocale, esset, &c. Concedo antecedens, & ad minorem dico quòd nullum est verbum vocale significans ex impositione, quin sit expressiuum conceptus. Ad vi. arg.

¶ Ad septimum respondetur ponendo propositiones. Ad. vij. ar.

¶ Prima propositio. Verbum non dicitur vox significatiua ꝓpriè, sed consignificatiua, id est, verbum in propositione est nota vnionis extremorum, sed extra nihil significat actualiter. Prima propositio.

¶ Secunda propositio. Diffinitio verbi nō dicit actum, sed aptitudinem: & sic cōcluditur quid sit verbum vt patet per diffinitionem eius, & quibus officijs fungitur quod est primum loqui sibi, & hoc mentaliter, secundo loqui alijs & hoc per vocem, vel scripturam. Tertio nota quòd verbum non dicitur à verbero, as, quemadmodū aiunt grammatici: sed à verbo as, quod est dico dicis. Vnde est illud poeticum. Verba dat omnis amans. Similiter patet, quòd verbū dicitur multipliciter: vt ait Aug. xv. de Trinitate, Sed in ꝓposito dicitur quòd est pars orationis, vocalis scriptæ, vel mētalis & hoc dupliciter, primo pertinet ad congruitatem, & sic pertinet ad grammaticum, secundo vt est pars orationis veræ, vel falsę & sic attinet ad logicum. ij. propositio. Verbi officia. Verbū vnde dicatur. Verbum multipliciter.

¶ Iterum nota, quòd verbum mentale oportet quod producatur à mente, de se, vel de alio. Secundo quòd producatur ex imperio volūtatis: vt ait Aug. xv. de Trinitate, Formata cogitatio ab ea re quam scim⁹, verbum est. Ex quo infertur quod verbum est alicuius notitia, & non nullius. Vnde August. ix. de Trinitate. Verbum amore concipitur. Item inquit Scotus, Verbum mentale est actus intelligēdi, & non actus intellectus. Et quia dictio actiua, & dictio passiua dicuntur act⁹ intellectus, nō sunt actus intelligendi. Act⁹ intelligēdi dicitur verbum quando concipitur cum dictione passiua aliàs non.

Caput. iii.

¶ De oratione.

Diffinitur post simplicia nomina ⁊ verba, composita oratio hoc modo.

Definitio orationis. Oratio est vox significatiua, cuius aliquid partium significatiuum est separatũ, vt dictio, non vt affirmatio vel negatio.

¶ Ut homo bonus, dęmon peruersus, creatura Dei, ⁊ huiusmodi. In his enim, partes sigillatim suam habent significationẽ, vt homo suam habet, ⁊ bonus item suam, ex quorum significatis consurgit etiã totalis significatio orationis illius, homo bonus. ¶ Quod autẽ oratio dicitur secundum placitum significatiua, non est accipiendum, quasi oratio quęlibet sigillatim ⁊ per se imposita sit ad significandum, sed ratione partium dicitur ita significare. Quia enim significationẽ habet oratio a suis partibus, ⁊ partes ipsę secundum placitum significant instituentium, hinc etiam orationes ipsę secundario dicuntur secundum placitum significare. Inueniuntur nihilominus quędam orationes que secundum aliquam suam significationem, quasi primario ad placitum significant. Ut cum dicimus aerem verberare, aut laterem lauare, pro eo quod est frustra laborare, hanc significationem quodammodo videntur orationes illę habere primario ex placito instituentium, quibus placuit totis illis orationibus ad eam vti significationem, quam a suis partibus sine noua impositione non habebãt. Nisi forte quatenus impositio circa partes facta occasionem prębet hac quoque noua significatione totali orationem ipsam vsurpandi.

De oratione perfecta ⁊ imperfecta. ¶ Diuiditur autem oratio prima sectione, in orationem perfectam ⁊ imperfectam. Imperfecta oratio est, quę sensum perfectum non generat in animo audientis, id est, quę non constituit intellectũ audientis quietum, sed suspensum dimittit vt adhuc expectet addi aliquid. Perfecta autem oratio est, quę sensum perfectum gignit in audiẽtis animo, id est, quę suspensum non tenet audientis animum, sed pleno sensu quietum ⁊ contentum eum reddit. Exẽpli gratia, si dixerit quispiam, angelus bonus, dęmon malus, homo albus, equus niger, Petrus ⁊ Joannes, ad singulas has orationes suspẽdor animo, expectãs vt complementum audiam alicuius sententię. Ideo imperfectę dicũtur. Si autem dixerit, angelus bonus assistat, dęmon malus aufugiat, homo albus pertransiit, equus niger visus est. Petrus ⁊ Joannes fuerunt sanctitate admirabiles, iam in singulis perfectum sensum intelligo. Orationis imperfectę clarissimum est exemplum apud Terẽtium in adelphis, vbi irat⁹ Geta multas facit imperfectas orationes apud Sostratam priusquam perfectam absoluit sententiam, quã illi volebat indicatam, de filio Eschinio, quod rapuisset duxissetq; vxorẽ aliam. ¶ Sunt autem vniuersaliter imperfectę orationes illę, in quibus nullum ponitur verbum, quantumuis etiam prolixa videatur

oratio. Ut Deus potens & sapiens, & fortius ac bonus, mundum gubernans in sapientia, oratio est adhuc imperfecta. Universaliter item sunt imperfectę orationes omnes in quibus ponitur relativum qui quę quod, cum unico verbo, ut, Deus qui vivit, homo qui mortalis est, aurum quod magni penditur. Idem est de quibusdam compositis a quis, utpote de quisquis & quicunque. Istę enim sunt imperfectę orationes, Quisquis Deo servit. Quicunque in hoc mundo nascitur. Sic & de adverbiis quibusdam quę secundum vim significationis includunt qui relativum: ut quandocunque, ubicunque, utcunque vel quomodocunque, & si quę sunt similia. Quandocunque enim valet, omni tempore quo: ubicunque, omni loco quo: quomodocunque, omni modo quo, atque ita in cęteris. Ad hoc autem ut perfecta sit sententia illa in qua ponitur relativum, vel explicite vel implicite, necesse est geminum poni verbum. Unde hę sunt perfectę orationes, Deus qui vivit in ęternum, creavit nos in tempore, Deus qui vides imperfectum hominem, da veniam miseris. Utinam qui nobis hanc dedit vitam temporalem, donet simul & perpetuam. Quisquis Deo servit, bona referet sui laboris pręmia. Sunt quoque eiusdem conditionis coniunctiones, cum, si, & si quę alię sint partes orationis huiusmodi includentes. Unde qui dicit, si veneris ad me, cum veneris ad me, incompletam relinquit sententiam.



Caput. iiij.

¶ De oratione perfecta non enunciativa.

Oratio perfecta non enunciativa.

Dividitur deinde perfecta oratio, in orationem enunciativam & non enunciativam. Oratio perfecta non enunciativa dicitur quę licet perfectum sensum gignat in animo audientis, non tamen verum aliquid vel falsum significat. Huiusmodi sunt omnes orationes deprecatorię, ut Miserere nostri, Deus omnium. Omnes imperativę, sive pręceptivę, aut prohibitivę. Ut Deum time & mandata eius observa. Diligite iustitiam omnes qui habitatis terram. Pręter unum Deum alium ne adorate. Omnes item exhortatorię vel consolatorię ut Viriliter agite, & sustinete Dominum, patientes estote donec adveniat retributor laborum omnium Deus. Fiunt autem hę omnes communiter per modum imperativum, qui modus non semper imperative significat, sed aliquando deprecative, aliquando exhortative. Sunt quoque imperfectę orationes optativę, ut, Utinam saperent homines & intelligerent, ac novissima providerent, O si mortis diem perpetuo ante oculos habeant mortales. His quoque adiungendę sunt orationes interrogativę, ut, Quid agitis cęci mortales, dum pro terrena possessiuncula ęternam amittitis patriam? Similes fere videntur illę quę non tam interrogative quam admirative enunciantur, ut. Quam male sibi consulunt adolescentes, qui florem adolescentię otio & vitiorum illecebris perdunt. Tametsi enim forsitan videatur in huiusmodi verum esse aut falsum, non tamen hoc invenitur in ipsis eiusmodi orationibus, sed in eo quod tacite solet ad

huiusmodi in mente responderi. Quod si quis forte contendat, huiusmodi ex seipsis verum falsum ve indicare, hic ⁊ illam suprapositā orationem interrogatoriam, orationem debebit enūciatiuam admittere, quod parum verisimile videtur. ¶ Huiusmodi autem orationū omniū nullus est vsus Dialectico, qui totus in hoc est, vt quid verū ⁊ quid falsum apprehendat. Cōmuni autē vsui hominum ⁊ sacris literis admodū sunt frequētes. Peculiariter quoque rhetoribus ⁊ poetis, qui magis affectū cōmouere student, ad quod huiusmodi peculiariua cōueniunt. In singulis aliquot exēpla ex poetis, in adolescentū gratiā, vt similia ex ppositis exēplis discant in authoribus obseruare, assignabimus. Oratione deprecatoria apud Virgiliū fortissimus Aeneas incensis nauibus Iouem orat, dicens, Iuppiter omnipotēs, da flammā euadere classi. Nunc pater, ⁊ tenues Teucrum res eripe leto. Sic apud Didonem deprecātur naufragio superstites Troiani, Parce pio generi, ⁊ ppius res aspice nr̄as. Preceptiua oratione apud Comicū vtitur herus ad seruos, Vos isthęc intro auferte, abite, adesdum Sosia. Prohibitiua siue dissuasoria est oratio illa in Bucolicis Virgilianis. O formose puer nimium ne crede colori. Exhortatorium est illud Hortatij, Omnibus adde modū, ⁊ huiusmodi. Exhortatoria simul ⁊ cōsolatoria oratio est, quā suis Troianis in naufragio loquebatur Aeneas: Durate (inquiens) ⁊ vosmet rebus seruate secundis. Optatiua oratio est, quā Aenee presentiam desiderās Dido proloquitur dicens, Atque vtinam rex ipse noto cōpulsus eodem Afforet Aeneas. Item ⁊ illud Euandri pristinam optantis fortitudinem, O mihi preteritos referat si Iuppiter annos. Interrogatiua est illa Didonis ad Aenee socios: Quis genus Aeneadum, aut quis Troie nesciat vrbem? Itemq; illud eiusdem ad ipsum Aeneā, Quis te nate dea per tanta pericula casus Insequitur? Interdum vero interrogatiua oratio apud Poetas ⁊ vsum loquendi cōmunem, indignationem significat. Vt cum Ilioneus apud Didonem querimoniā proponit de incensione nauium, dicens, Quod genus hoc hominum, que ve hunc tam barbara morem Permittit patria? hospitio prohibemur arene? Sic apud Persium malefrugi adolescentem pedagogus interrogādo increpat, dicēs, Non pudet ad morē discincti viuere natte? Auaros quoque sacerdotes amara interrogatione sic notat idē Satyricus. Dicite pontifices in templo quid facit aurū? Interdum vero tantum humilem ⁊ supplicem querimoniam explicat Veluti cum apud Virgilium pro suo Aenea mater Venus Iouē omnipotentem lamentabili voce affatur, dicens, Quē das finem rex magne laborum. Videtur quoque adiungenda predictis subiunctiua oratio, vt apud Virgilium,

Si datur Italiam socijs ⁊ rege recepto
Tendere, vt Italiam leti Latiumq; petamus.

¶ Visa perlucida explanatione nostri Titelmani de oratione & proprietatibus eius, arguitur sic primo contra, diffinitionem orationis.

¶ Secundum Boetium, solius incomplexi est diffinitio, sed oratio non est quid incomplexum, ergo orationis non est diffinitio. Antecedens patet (authoritate Boetij) & minor est nota, cum oratio componatur ex pluribus vocibus. Pri. argu

¶ Secundo sic arguitur, Plures voces non sunt vna vox, sed oratio est plures voces, ergo non est vox. ij. argumē.

¶ Tertio sic arguitur, Partes orationis nihil significant, ergo falsum est dicere, quòd pars orationis separata significat, vt dictio, antecedens patet, de literis & Syllabis quæ nihil significant. iij. argu.

¶ Quarto sic, Plures sunt partes orationis significantes vt affirmatio vel negatio, vt patet in his propositionibus, homo est animal, homo nō est lapis, ergo male dictum est quòd partes orationis significant vt dictio. iiij. argu.

¶ Quinto sic, Illa diffinitio non conuenit cuilibet contento sub diffinitio, ergo non est bona diffinitio. Sequela est bona, & antecedēs probo. Datur oratio habens esse, & nullam partem, ergo non est necesse, quòd partes eius sint significatiuæ, nec est necesse habere partes, patet de ista litera .a. imposita ad significandum sicut ista propositio, homo est animal. v. argumē.

¶ Sexto arguitur sic, Verū & falsum sunt in mente, ergo non in voce, vel scriptura. Antecedens probo & similiter sequelā Antecedens sic, omnis propositio mentalis est in intellectu, sed veritas & falsitas sunt passiones propositionis mentalis, ergo antecedens verum, Sequela sic probatur, omne accidēs & relatio similiter, est in suo proprio subiecto, & fundamento sed veritas & falsitas sunt accidētia relatiua, ergo sunt in propositione mentali aliàs sequeretur quòd idem accidens esset in pluribus subiectis, tanquam in subiecto, vel fundamento proprio. vi. argumē

¶ Pars responsiua.

¶ Ad primum respondetur per propositiones quarum prima est, Ad pri. ar.

Pri.prop. ¶Complexi non est diffinitio quidditatiua, sed bene diffinitio quid nominis exprimens distinctè quod per diffinitū importatur confusè, vt ly album diffinitur sic, Est res habens albedinem.

ij.propo. ¶Secunda prop. Oratio vocalis & scripta primæ intētionaliter capta est vna vnitate ordinis, & sic diffinibilis.

iij. propo. ¶Secunda prop. Oratio secundè intētionaliter capta est quid incōplexum quia est vna relatio orationis ad suū, vel ad sua significata. His suppositis, ad argumētum dicitur quòd vtroq; modo potest oratio diffiniri suo modo.

Ad. ij. arg. ¶Ad secundum respondeo per propositiones.

Pri. pro. ¶Prima propositio. Oratio vocalis, primè intentionaliter, est vna vox complexa, & plures voces incomplexæ, quæ habent vnitatem ordinis inter se, constituunt vnam vocem complexam.

ij. propo. ¶Secunda propositio, Oratio vt includit primam, & secundam intentionem, est vnum ens per accidens: vt album.

iij. propo. ¶Tertia propositio, Oratio pro sola relatione rationis est vnū intentionale connotatiuum, & significat principalitet secundam intentionem, & connotat primam.

Ad. iij. ar. ¶Ad tertium, cum arguis. Partes orationis nihil significant, Nego antecedens, & ad probationem dico quòd ly partes, seu pars in diffinitione nominis, supponit pro partibus propinquis, & non pro remotis quemadmodum sunt literæ, & syllabæ. Si oratio capiatur secundæ intentionaliter, nec partes etiam propinquæ significant, sed dicuntur significare: quia, secunda intentio attribuitur voci significatiuæ.

Ad. iiij. ar. ¶Ad quartum respondetur. Quod illæ modus est partitiuus & non distributiuus, & sic conceditur quòd aliquæ partes, vt affirmatio vel negatio: sed dicitur quòd cuiuslibet orationis aliquæ partes sunt significatiuæ vt dictio, &c.

Ad. v. arg. ¶Ad quintum nego antecedens, & admitto casum, & illo dato, illa est propositio. Contra non habet subiectum nec copulam nec prędicatum, ergo non est propositio. Distingo, ex pressum, & sic concedo, vel subintellectum & sic nego. Sub-

ordinatur enim vni mentali putã huic, Homo est animal, & hoc sufficit ad esse propositionis. Cõtra nõ habet contradicto riam, ergo non est propositio, nego antecedens habet nempe hanc, Nullus homo est animal, saltem in mente. Contra conuerte. a, si est propositio cathegorica, dico quòd sic conuertitur. Animal est homo quę est synonyma illi. Cõtra non est affirmatiua, nec negatiua. Dico quòd falsum est, imò est affirmatiua, quia subordinatur affirmatiuæ mentali, & sic est dicendum de alijs proprietatibus logicalibus, putã vniuersalis vel particularis. Ad. vi. arg.

¶ Ad sextum concedo antecedens, & distingo consequens, Quia vel intelligit quòd verum & falsum non sunt in voce, sicut in subiecto, & sic concedo. Vel intelligis quod verum & falsum non sunt in voce, vt in signo & sic nego. Sicut vinum est in ramo tanquam in signo, sic verum & falsum in propositione vocali vel scripta, sed in mentali vt in fundamento.

¶ Et sic cõcluditur, quòd diffinitum in supra dicta diffinitione non est oratio grammaticalis, neq; rethoricalis, nec etiam theologalis, quæ dicitur primus affectus mẽtis in Deũ directus, sed est secunda intentio, orationi vocali attributa: vt est ipsa oratio sub tali intentione logicali considerata.

Caput. v.

¶ De oratione enunciatiua.

Has igitur orationes omnes (vt supra dictum est) dialectico nõ conueniunt, sed illa sola quę indicatiua, vel enunciatiua dicitur quam Aristoteles appellat enunciationem, vel enunciatiuam orationem. Cicero vero, quem hac in parte magis imitamur Latini propositionem censuit appellandam alij pronunciatum, alij axioma nominant aut proloquiũ. Omnium vero est vna ratio, quia per ipsam enunciatur, proponitur, pronunciatur, statuitur, verum aut falsum. Definitur autem ab Aristotele his verbis. Oratio enunciatiua.

Enunciatiua oratio est, in qua est verum aut falsum.

¶Hoc est oratio perfecta quę verum aut falsum significat. Nõ enim
sic verum est in oratione, quasi ipsa veritas aut falsitas sit in ipsa vo-
cali aut scripta oratione realiter. Veritas enim & falsitas in intellec-
tu sunt. Sed ideo in enunciatione dicitur esse verum aut falsum: quia
aliquid ipsa significat verũ aut falsum, vt (exempli gratia) hę oratio-
nes, Deus viuit, Deus omnia condidit, Homo est mortalis, Coelũ
est incorruptibile, singulę verum significant. Istę vero, Deus est ma-
lus, diabolus est omnium rerum principium, homo est asinus, singu-
Propositio vera. — lę falsum significãt. ¶Unde ex hac definitione elici potest diuisio enũ
ciationis siue propositionis, in propositionem veram, & falsam. Pro
positio vera est, quãdo res ita se habet quomodo per ipsam signifi-
catur. Ut hęc propositio, Homo est mortalis, vera est, quoniã ita res
se habet vt ipsa significat. Significat enim hominẽ esse mortalẽ, & ita
vere res habet, probatque hoc ipsa experientia. Propositio autem
Falsa. — falsa est, quando res non ita se habet, vt per ipsam propositionem si-
gnificatur. Ut hęc est falsa, homo est brutum, quoniã significat homi-
nẽ esse brutalis naturę & sine intellectu. Atqui res lõge secus habet.
Similiter hęc falsa est, Cicero fuit eximius poeta. Significat enim,
Ciceronem de numero fuisse insignium poetarum. Non ita vero res
habet, id quod illud ipsius manifeste carmen testatur, quod in huius
Diuisio alia. — rei testimonium citat Iuuenalis, O fortunatam natam me cõsule Rõ
mam. ¶Amplius quoque diuidi posset enunciatio in necessaria, im-
Necessaria. — possibilem & contingentem. Propositio necessaria est, quando res
necessario sic se habet, quomodo per ipsam significatur, nec potest ali
ter se habere, vt Deus est, homo est animal rationale. Creatura im-
Impossibilis. — par est creatori. Propositio impossibilis est, quãdo res ita se habe-
re non potest, quomodo per eam significatur, vt homo est brutum.
Contingens. — Deus est impius. Propositio autem contingẽs est, quando res per
ipsam significata potest sic se habet, & itẽ aliter se habere potest. Ut
cũ dico, Petrus sedet, Ioannes orat, Philippus disputat. Proposi
tio necessaria semper est vera. Propositio impossibilis semper falsa
Propositio cõtingẽs, nec semper vera, nec semper falsa, sed interdũ
vera, interdũ falsa. ¶Generaliter vero enũciationes dicũtur oẽs illę
perfectę orationes, quę pro principali verbo habẽt verbũ indicati-
ui modi, cuiuscunque tandẽ fuerit temporis. Omne enim verbũ mo
di indicatiui, facit orationẽ veram aut falsam, quam ob causam, a Grã
maticis recte modus, ille vocatur indicatiuus, veri nimirum aut fal
si. Unde hę omnes sunt enunciatiuę orationes, Deus viuit in ęternũ
Deus viuebat ante mundum conditum. Deus hominẽ de luto for-
mauit. Deus hominem rectum creauerat & sine peccato. Deus vitã
ęternã dabit se diligẽtibus. In omnibus quidẽ his verũ similiter in
uenitur. Veruntamẽ falsitas aut veritas propositionum illarum quę
sunt de futuro aut pręterito, considerari debet secundum veritatem
propositionum de pręsenti, quas solent recentiores appellare pro-
positiones de inesse, eo quod per eas quasi in actuali existentia cõsti-
tuatur & proponatur quod in alijs fuisse aut fore dicitur. Uidelicet
vera est propositio de pręterito, si propositio de pręsenti ex iisdem

omnino extremis composita aliquando fuerit vera. Et vera est propositio de futuro, si propositio ei correspondens de copula præsenti aliquãdo vera sit futura. Exempli gratia, vera est ista de præterito, Adam vixit in terris, quoniam aliquando hæc vera fuit, Adam viuit super terram. Ista quoque de futuro est vera, Antichristus erit, quoniam aliquando vera hæc erit de præsenti, Antichristus est. Illa autẽ de præterito falsa est, cui respondens propositio per præsens tẽpus enunciata, nunquam vera fuit. Et illa de futuro falsa dicitur, cuius de presenti nunquam erit vera. Ut hæc de præterito, Antichristus iste pessimus vixit, falsa est, quoniam nunquam verum fuit eum viuere. Et hæc de futuro, Messias nascetur in mundo ad salutem humani generis, falsa est, quoniam nunquam vere licebit dicere in futuro tempore, Messias nascitur in mundo. Iam enim olim natus est in mundo de virgine, non nascitur amplius.



Caput. vj.

¶ De diuisione propositionis in simplicem & coniunctam.

Ponuntur autem tres diuisiones præcipuæ enunciationis: quarũ prima hæc est, Propositionũ alia est simplex siue categorica, alia coniuncta siue hypothetica. Propositio simplex ab Aristotele sic definitur.

Simplex enunciatio est, quæ aliquid de aliquo, vel aliquid ab aliquo enunciat. *Definitio enunciationis simplicis.*

¶ Hoc est talis aliqua enunciatio, in qua vnum aliquod prædicatũ de vno aliquo subiecto enunciatur, siue affirmatiue siue negatiue. Præpositio enim de, significat affirmationem, ab vero negationem. Ut cũ dico, Deus est immortalis. Homo non est immortalis, in vtraque simpliciter enunciatur vnum prædicatum de vno subiecto: in priore siquidem affirmatiue, in posteriori autem negatiue. ¶ Appellatur autem hæc propositio simplex a posterioribus, Græco nomine, catigoricy, id est, prædicatiua, videlicet quoniam in ea vnum prædicatum de vno subiecto prædicetur: soletq; clarius in hunc modum definiri, Propositio categorica est, quæ habet subiectũ prædicatũ & copulam, tanquã præcipuas partes sui. In omni enim propositione simplici siue categorica duo sunt termini, quorũ alter dicitur subiectum vel terminus subiectus, alter prædicatum vel terminus prædicatus. Subiectũ est, id de quo aliquid dicitur. Prædicatum est, quod dicitur de altero. Hoc est, terminus iste dicitur subiectũ qui subijcitur alteri, & de quo alter dicitur, prædicatur siue enunciatur. Ille autem qui sic alteri supraponitur, & qui de altero prædicatur, dicitur prædicatum. Ut in hac propositione, Homo est mortalis, subiectum est homo, prædicatum vero mortalis. Unde manifestum est subiectum & prædicatum dici adinuicem relatiue, eo modo quo adinuicem referuntur pater & *Quid subiectum & prædicatũ.*

fillus. ¶ Semper quoque in categorica propositione esse debet verbalis copula. Quę interdum quidem a pręqdicato expresse inuenitur distincta. Ut cum dico, homo est animal. Deus est bonus. Angelus est incorruptibilis. Cuiusmodi propositiones solent vocare recentiores de est tertio adiacente, eo quod verbũ est, in illis sit quasi tertium adiacens, duobus terminis, quos adinuicem copulat. ¶ Interdum vero copula non distinguitur secundum vocalem expressionem ab ipso quod est pręqdicatum. Ut cum dico, Deus viuit, Deus impe rat, Homo peccat. Hic studet, ille currit, & vniuersaliter in omnibus propositionibus quorum pręqdicatum est verbum adiectiuum. Hic enim pręqdicatum & copula secundum vocalem expressionem non differunt, sed in vno termino coincidunt. Attamen in explicatione inuenietur copula a pręqdicato distincta. Idem est enim, Deus viuit, quod Deus est viuens, vbi viuens est pręqdicatum, & est copula. De propositionibus quoque illis quas vocant recentiores de secundo adiacente, simile est iudiciũ. Ut in istis, Deus est, homo est. Hę enim de est secundo adiacente appellãtur, quoniã in ipsis verbum est vni tantum subiecto apponitur, nec aliud tertium, est, est in eadem propositione cui connumeretur. ¶ Neque vero requiritur ad enũciationem simplicem siue categoricam, quod subiectum & pręqdicatum sint termini simplices & incomplexi. Hęc enim propositio, Deus pius iustus & longanimis ostendit magnam erga reprobos patientiam: vna est simplex enunciatiua oratio. Habet enim vnum subiectum, totum hoc, Deus iustus pius & longanimis, habet item pręqdicatũ vnũ, nẽpe ostendens magnam erga reprobos patientiam, & vnum istud pręqdicatum, de vno isto subiecto, mediante vna copula est, pręqdicatur. Est igitur vna simplex & categorica enunciatio. ¶ Possunt tamen huiusmodi enunciationes appellari de extremis complexis aut de altero extremorum cõplexo. Unde quędam sunt propositiones categoricę de vtroque extremo simplici, vt Deus est verax, homo est mendax. Quędã de simplici subiecto tantum, vt deus est verax in omnibus verbis suis. Homo est mendax in verbis & factis. Quędam autẽ de simplici pręqdicato tãtum, vt homo iustus saluatur, homo impius damnatur. ¶ De propositione autem coniuncta siue cõposita quam communiter hypotheticã appellant, tametsi posterius absoluto tractatu simplicium bene tractandum sit, paucis tamen etiam hoc in loco eius definitionẽ explicabimꝰ. Sic itaque definitur ab Aristotele.

Definitio propositionis coniunctę.

Propositio cõiuncta est, quæ composita est ex enunciationibus simplicibus.

¶ Hoc est enunciatio aliqua totalis, quę componitur ex duabus simplicibus enunciationibus ad inuicẽ per aliquam certam coniunctionem connexis. Ut cum dico, si verax est Deus iustus saluabitur: tota hęc est vna oratio cõiuncta, quoniã plures habet simplices per cõiunctionẽ, si, vnitas. Nisi enim vnitę essent plures illę simplices per aliquam cõiunctionem, non vna diceretur enunciatio cõiuncta, sed plu

tes simplices. Et cum dico, Iustus saluabitur, Impius peribit, due sunt simplices enunciationes, non vna coniuncta. Deest enim cõiungens copula. Hec paucis impresentiarum de enunciatione coniuncta sufficiant. Ad simplicem autẽ que modo est determinãda redeamus.

Caput. vij.

¶ De secunda diuisione enunciationis.

Secunda diuisio principalis ipsius enunciationis siue propositionis hec est.

Propositionum alia est vniuersalis, alia particularis, alia indefinita. Hanc diuisionem Aristoteles in principio libri Priorum assignat, in presenti autem loco tantum paucissimis indicat. Que tamen vt perfecta sit & sufficiens diuisio, oportet vel ipsum diuisum restringi ad solas propositiones de subiecto communi, vel quartum subaudiri membrum, propositionem singularem. Tria quoq; mẽbra priora, loco supra adducto idem Aristoteles sic definit.

Propositio vniuersalis est, quæ omni aut nulli inesse significat.

Propositio particularis est, que alicui, aut nõ alicui, aut nõ omni inesse significat.

Propositio indefinita est, quæ inesse aut non inesse significat, sine signo vniuersali aut particulari.

Quid propositio vniuersalis, particularis & indefinita.

¶ Que Aristotelis definitiones, per alias aliquanto notiores a posterioribus declarãtur in hunc modum, Propositio vniuersalis est, in qua subiicitur terminus cõmunis signo vniuersali determinatus. Propositio particularis est, in qua subiicitur terminus cõmunis signo particulari determinatus. Propositio indefinita, est in qua subiicitur terminus cõmunis sine signo: subaudi vniuersali aut particulari. Exẽpli gratia, he propositiones sunt vniuersales, Omnis homo est mortalis. Nullus homo in perpetuũ viuet. He sunt particulares Quidam homines sunt iusti. Quidam homines non sunt iusti. He sunt indefinite, Homo est animal. Asinus nõ est rationalis. Cõtrario rũ eadẽ est disciplina. Propositio autẽ singularis hoc modo solet definiri. Propositio singularis est, in qua subiicitur termin⁹ singularis, vel termin⁹ cõmunis sumptus cũ pronomine demõstratiuo primitiue speciei. Et he sunt singulares, Ioãnes cõuertit Asiam Paulus in occisione gladij mortuus est. Hic hõ dignus est morte. Vir ille dignus est premio. ¶ Que autẽ sint signa vniuersalia aut particularia, ex auditu facile quilibet dignoscit. Signa enim illa que denotãt terminũ cui addũtur accipi & enunciationẽ totam verificari pro omnibus suppositis termini illius sine exceptione, dicuntur vniuersalia, vt omnis, nullus. Cũ enim dico, Omnis homo est mortalis, significo predicatum subiecto conuenire, non solum pro vno aut altero supposito,

Propositio singularis.

sed pro omnibus omnino quę sub ipso comprehenduntur. Ita cum dico, Nullus homo est immortalis, indicatur ex virtute signi prepositi subiecto, prędicatum ab ipso abnegari secundum omnia quę sub ipso comprehenduntur. Signa autem particularia sunt, quę cum adduntur termino, non indicant terminū cui adduntur debere accipi, z propositionem ex eius parte verificari pro omnibus suppositis ipsius: sed pro aliquo vel pro aliquibus. Ut cum dico, Quidam homines sunt iusti, significatur iustitia conuenire homini non pro omnibus singularibus, sed pro aliquibus. Ita cum dico, Quidam homines nō sunt probi, prędicatum non significatur abnegari ab homine secundū omnia supposita, sed tantum secundum aliqua.

Caput. viij.

De signis vniuersalibus z particularibus.

DE istis autem signis vniuersalibus z particularibus notandum est, quod per se nihil significant, sed tantum aliqualiter dicuntur significare, id est, vniuersaliter vel particulariter, secundum quod terminum cui adduntur sic vel sic faciunt accipi, z propositionem sic vel sic verificari. Ut signum omnis, per se quidem nec equum nec hominem, nec angelum, nec aliquam rem significat. si autem addideris ipsum termino communi significatiuo alicuius rei, illic ipsum videbis vniuersaliter significare, vt dicēdo omnis homo. Atque ob hanc rem eiusmodi dictiones non proprie terminorum merentur appellationem, sed tantum signa nominantur. Aut si interdum termini appellentur, dicuntur termini tantum consignificatiui, non absolute significatiui. Solentque hac ratione excludi a definitione nominis, per particulam illam, vox significatiua. ¶ Quędam tamen inueniuntur signa vniuersalia non pure signa consignificatiua, sed simul, etiam alicuius rei significatiua, quemadmodum in explicando patet Ut nihil, nemo, nullus (cum substātiuate accipitur) quisquis, quicunque. Nihil enim valet, nullum ens, vel nulla res, vbi signum vniuersale vides cum termino significatiuo nemo, id est, nullus homo, nullus substantiue, idem valet, quilibet substantiuate, idem valet quod omnis homo, quisquis, id est, omnis homo qui. Omnes igitur hę propositiones vniuersales sunt, Nihil est creatum a semetipso. Nemo sibi vixit. Nullꝰ sibi vitā dedit. Quisquis vel quicūque Dei mādata obseruauerit, vitā ęternā habebit. ¶ Huiusmodi solent vocare terminos mixtos, quod simul in sua significatione includant terminū consignificatiuum z significatiuū, quodqꝫ z aliquid significēt z aliqualiter. ¶ Prędictis videntur adnumeranda quędā aduerbia vniuersalia signa in sua significatione includētia. Ut semper, vbique, nunquā, nusquam omnino, nequaquā, z huiusmodi. Semper enim valet, omni tempore: nunquam, nullo tempore. Ubique, omni loco: nusquam, nullo loco: omnino, omni modo: nequaquam, nullo modo. Uerum inter hęc talis est differentia, quod illa quę includunt signa affirmatiua non faciunt per se enunciationem simpliciter vniuersalē, etia si

ponantur in principio totius propositionis. Unde hę propositiones, Ubique animalia sunt homines, Sēper animalia sunt homines, Omnino animalia sunt homines, nō videntur esse vniuersales, cum subiecta earum non determinentur aliquo signo vniuersali. In prędictis enim enunciationibus subiectum est, animalia, vbique autem vel semper licet pręponatur subiecto, non dicitur tamen ipsum determinare, quoniam virtutem vniuersalitatis suę in ipsum non explicat. Manet enim virtus vniuersalitatis intra ipsum aduerbium inclusa, solumque in locum & tempus quę simul in aduerbijs includuntur cadit, nec protenditur vsque ad subiectum, animalia. Tunc autem dicuntur subiectum enunciationis determinari vniuersali signo, quando virtus vniuersalitatis eius super ipsum cadit. Vere autem vniuersales fient hę propositiones, si ita dixerimus. Ubique omnia animalia sunt homines: Sēper omnia animalia sunt homines: Omnino omnia animalia sunt homines. ¶ Secus tamen est de aduerbijs negatiuis, affirmatiuis istis correspondentibus, nunquam, nusquā, nequaquā. Hęc enim cū pręponuntur subiecto, fāciunt enunciationem simpliciter vniuersalem, vt. Nunquā homo potuit pręualere Deo. Nusquam impij effugient Dei iudicium. Nequaquā impius misericordiā obtinebit post mortem. Ratio autem diuersitatis est, quoniam negatio inclusa vim vniuersalitatis explicat, non solum in terminum proximum in eodē aduerbio simul inclusum, sed & omnia quę sequuntur, iuxta vulgatum dictum, Negatio totum negat quod sequitur, & sua virtute ęque in distintātia atque in propinqua agit. ¶ Similiter dicēdum est suo modo de aduerbijs huiusmodi, quę signa includunt particularia, vt aliquando, alicubi, aliqualiter, aliquatenus, aliquousque aut huiusmodi si quę sint alia, quę ex se non faciunt propositionē particularem, etiam si ponantur in principio. Unde istę: Aliquando impij poenas luent. Alicubi homines nudi ambulant. Aliquousque mali tolerandi sunt, non sunt particulares enunciationes, sed indifinitę possuntque sic fieri vniuersales. Aliquando omnes impij poenas luēt alicubi omnes homines nudi ambulant, & cętera. ¶ Postremo notandum est quędam signa vniuersalia vel particularia accipi secundum ęquiualentiam, vt cum ex pluribus signis in se inuicem cadentibus, seque inuicem vel impedientibus vel confortantibus, vnius signi alterius simplicis qualitas consurgit. Ut non aliquis, valet, nullus: non nullus, valet quidam: non omnis, valet quidam non: non nihil, valet aliquid: non aliquid, valet nihil: atque ita in cęteris. De quibus signorum & propositionum ęquipollentijs, dicetur posterius.

Caput. ix.
¶ De propositione indefinita.

DE propositione aūtem indefinita vidēdum est quisnam sit vsus eius atque significatio, & cui censenda sit ęquiualere. Quidam eam computant cum particulari, iuxta communem illorum regulam quam in syllogismorum libro solent adducere. De indefinitis & par-

ticularibus idem est iudicium. Unde has duas idem valere putant. Quidam homines sunt probi, Homines sunt probi. Contra vero ex vsu disciplinarum ⁊ sermocinalium, ⁊ naturalium, ⁊ moralium, item ⁊ scripturarum sanctarum, videntur propositiones indefinitę frequentius pro vniuersalibus vsurpari. Ut cum in grammatica dicitur, Nomina in a desinentia primę inflexionis sunt foeminini generis: In Dialectica, Syllogismus tantum tres habet terminos. Sillogismus primę figurę non valet minore negatiua. In naturalibus, cum dicitur Materia non potest esse sine omni forma, Anima rationalis est immortalis. In mathematicis quoque disciplinis cum dicimus triangulum habere tres angulos, numerum maiorem includere minorem, astra esse inanimata, manifestum est hęc omnia sic accipi ⁊ sic intelligi, ac si vniuersaliter proponeretur. Item cum in moralibus dicimus, pueros iam inde a teneris annis assuefaciendos esse virtuti, virtutē esse laudandam, vitium esse fugiendum, liberalem probum esse, prodigum improbum, aliaque huiusmodi omnia sic intelliguntur ac si vniuersaliter pronunciarentur. In scripturis quoque, id est, manifestū. Ueluti cum dicitur, Iustus ex fide viuit. Impius in impietate sua morietur. Iustum amat Deus, impium odit. Puer centum annorum morietur. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, ⁊ alia huiusmodi infinita. Raro enim vniuersalibus vtitur scriptura enunciationibus in iis etiam quę secundum vniuersalitatem intelliguntur, sed indefinitis regulariter vtitur vniuersalium loco. ¶ Uidētur itaque propositiones indefinitę, ex vsu ⁊ consuetudine pro vniuersalibus vsurpari, non tamen id esse videtur ex modo enunciationis, cum nullum habeant signum indicans vniuersalitatem, sed ex vsu tantum, vt dictum est. In materia autem contingenti (vt cum dico, homo est iustus, homo non est iustus, homo saluabitur, homo non saluabitur) hic satis pro particularibus possunt accipi etiam ex consuetudine. Quamuis non multum vti soleamus indefinitis enunciationibus in contingenti materia. Uulgatius enim in contingentibus particulare signum adiicimus, dicentes, Quidam homines sunt iusti, quidam non: quidam saluabuntur, quidam non, ⁊ cętera. ¶ De propositione vero singulari, in hoc loco nihil occurrit dicendum peculiare. Quę de termino singulari siue indiuiduo dicenda videntur, copiose a nobis dicta sunt in principio libri primi, quē de quinque pręדdicabilibus inscripsimus. Quare his contenti, ad distinguendum inter affirmationem ⁊ negationem procedamus.

Caput. x.

¶ De propositione affirmatiua ⁊ negatiua.

Diuiditur tertia diuisione enunciatio categorica in affirmatiuā ⁊ negatiuam, siue in affirmationem ⁊ negationē. Eas sic definit Aristoteles.

Affirmatio, est enunciatio alicuius de aliquo. Negatio est enunciatio alicuius ab aliquo. Affirmatio Negatio.

¶ Quarum definitionum hęc est sententia, Enunciatio affirmatiua est, in qua prędicatum de subiecto dicitur affirmatiue, id est secundum copulam non negatam aliqua negatione. Enunciatio autem negatiua est, in qua prędicatum negatur de subiecto, id est, de subiecto dicitur mediante copula negata siue aliqua negatione determinata. Dicitur autem copula negari, quando alicuius negationis virtus in ipsam cadit. Exempli gratia, hęc enunciatio, Homo est mortalis, affirmatio est siue enunciatio affirmatiua: quoniam prędicatum, mortalis, dicitur de subiecto homo mediãte copula, est, nulla negatione determinata. Ista autem, Homo non est mortalis, negatiua dicitur: quoniã prędicatum de subiecto dicitur, mediãte copula iam negata. Operępręcium autem est, hoc in loco aduertere, quando negatio copulam neget, & quando non neget. Sciendum igitur primum: quod negatio nunquam potest agere, aut vim suam explicare in ea quę pręcedũt, sed tantum in sequentia. Et cum dico Lapis nullum animal est, subiectũ lapis, non negatur: quoniam pręcedit negationem. Cum vero ita dico lapis est non animal, neque subiectum lapis, neque copula est, negatur, sed tantum animal prędicatum. Quę proinde enunciatio affirmatiua dicenda est, tametsi prędicatum videatur negari, eo quod negationis virtus non ceciderit in verbalem copulam, secundum quam dicitur tota enunciatio affirmatiua aut negatiua. ¶ Rursum, negatio quotiescunque clauditur intra partes alterius extremorum, ita vt sit pars subiecti vel prędicati, virtutem suam tum nõ explicabit vltra extremum illud in quo concluditur. Et cum dico, Homo creatura nullius pręcij, audet offendere creatorem omnium Dominum, affirmatiua est enũciatio. Nec obest negatio prępofita copulę, quoniam intra partes subiecti clauditur, vbique virtus eius constricta & coangustata deficit, neque pertingit vsque ad copulam. Totum enim subiectum illius enunciationis est, homo creatura nullius precij. Ita cum dico, Christus qui nulli hominum mali quicquam intulerat, passus est ab hominibus grauissima supplicia. Similiter & eadẽ ratione est affirmatiua enunciatio. Item Deus, qui nõ accipit personas, paratus est omnium misereri. ¶ Quando vero negatio nõ est pars alicuius extremi, tunc negat omne quod sequitur. Tunc autẽ nõ est pars alterius extremorũ, quãdo in principio ꝓpositionis ponitur, aut sic vt ipsam copulam immediate determinet. Exemplum primi, vt cũ dico, Nullus impius est amicus Dei. Non viuit homo qui possit cum Deo contẽdere, Nullius hominis virtus Deo potest obsistere. Exẽplum secũdi Deus non parcet impijs. Deus nunquam derelinquit electos. Lapis nullum est animal. ¶ Notandũ hic quoque de impedimẽto pluriũ negationũ, quando in eundẽ cadũt terminũ, quod negationẽ frequẽter cõtingit impediri ab effectu suo, per aduẽtũ negationis alterius. Quoniam enim negatio est naturę malignantis & destruentis (negat enim

⁊ destruit omne quod sequitur) idcirco cum duę negationes cadunt ambę in vnum terminum, neutra vllam vim in eundem terminum habet. Unde dici solet iuxta communem regulam. Duę negationes vnam faciunt affirmationem. Item, quod negationes in numero pari super vnum terminum cadentes, terminū illum intactū relinquunt Si vero in numero impari, vt pote si negatio vna, tres, aut quinque, in vnum terminū cadant, is demum sentiet virtutem negationis. Exēpli gratia, in hac oratione. Nullus homo non est mortalis, terminus homo negatur a priori negatione, nullus: quoniam sola in ipsum cadit. Terminus autem mortalis, non negatur, nec vniuersaliter ponitur: quoniam duę super ipsum cadunt nagationes, quę se inuicem impediunt. Quod autem illic non teneatur mortalis, vniuersaliter, patet exponendo. Valet enim hanc, Omnis homo est mortalis vbi manifestum est ipsum non accipi vniuersaliter. Item in ista, Nonnulli homines sunt probi, neque subiectum, neque pręedicatum negatur, quoniam ambę negationes super vtrunque cadunt. Si vero tres cadant negationes in vnū terminum, ille negabitur. Ut in hac propositione Nonnulli homines non sunt praui, quę hanc valet. Quidā homines non sunt praui: vbi manifestum est, terminum praui, in quē tres simul cadebant negationes vniuersaliter teneri atque negari. Duabꝰ enim negationibus prioribus seinuicem impedientibus, tertia impedimēto carens vim suam libere exercet in terminum cui additur, perinde ac si alia nulla pręcessisset negatio. ¶ Quod si cui difficile videatur intelligere, quo modo duę negationes nihil omnino efficiat, vbi vnica efficiat plurimum, consideret analogiam hanc in rebus corporalibus. Cum enim contigerit pro eadem re duos ęque fortes ⁊ robustos contendere, impediunt illi plerunque seinuicem, ita vt neuter assequi possit quod per se vterque posset, absente alio. Si autem tertius superuenerit, illis adinuicem contendentibus duobus, atque seinuicem impedientibus, facile ille nullum patiens impedimentum, faciet solus, quod ambo illi iuncti non possunt. Neque valet, si adducatur similitudo de multis idem onus portantibus, quorum plures melius efficaciusque rem agunt quam vnicꝰ aut pauciores. Uerum est enim hoc, vbi plures illi se inuicem adiuuāt, non autē impediunt. Nam interdiū commodius res per vnū quam per multos transigitur, quādo multi illi inuicem se impediunt. Ita autem est in pluribus negationibus.

Caput. xi.

¶ Quomodo distinguantur predictę tres diuisiones.

Inter has autem tres enūciationis pręcipuas diuisiones, talem solent assignare differentiā: vt prima dicatur sumi secundū eius substantiā, secunda iuxta quātitatem, tertia secundū qualitatē. Quod enim propositio quęlibet simplex siue cathegorica, aut coniuncta siue hypothetica dicatur, id sumitur ex consideratione partium ipsius

quę proculdubio ad substantiam spectant, cũ vnaquęque res ex suis partibus constet & subsistat. Nempe si pręcipuę enunciationis alicuius partes sint, terminus subiectus & terminus prędicat⁹, per verbalem copulam vniti, simplex est propositio: si autem pręcipuę sint partes duę simplices propositiones per coniunctionem vnitę, coniuncta dicitur. Quod autem propositio quęlibet dicatur vniuersalis, aut particularis, aut indefinita, ad quantitatem spectat, quoniã per signa vniuersalia aut particularia declaratur, pro quãtis vel quot supposi tis fieri indicetur ꝓpositionis verificatio, an videlicet pro omnibus vel tantũ pro aliquibus. Denique, affirmatio & negatio ad qualitatẽ ipsius spectant enunciationis. Secundum enim quod copula vario modo disponitur varius est enunciãdi modus secundum affirmationem aut negationẽ. Hac quoque consideratione triplex solet in hoc loco distingui quęsitiuum, quo de huiusmodi distincte interrogatur. Cum enim interrogare volumus de propositione aliqua num sit categorica aut hypothetica, vtimur quęsitiuo vocabulo, quę interrogã tes, quęnam sit hęc, aut illa propositio. Cum autem scire voluerimus num propositio vniuersalis sit aut particularis, interrogam⁹, quãta sit. Denique scire volentes, an affirmatiua sit propositio an negatiua, rogamus, qualis sit ipsa.

De propositione vera & falsa.

Examinata præuia, diligenti consideratione, natura enunciationis veræ aut falsæ, visum est descriptionib⁹ eius aliquid addere. Et primo dico quod enunciatio vera est illa quæ sic se habet, quòd qualitercũque per ipsam significatur (de significatione totali & propositionali stante significatione terminorum, vltra insolubiles) ita est in re, vel ita fuit, vel ita erit. Et quia ista clarent intuenti, non adduntur exempla nec expositiones. Propositio vera quid.

Secundo dico quòd per oppositum potest dici seu describi ꝓpositio falsa sic, videlicet, Propositio falsa est quę aliter significat quã res per ipsam significata se habet, habuit, vel habebit, & hoc semper intelligatur extra insolubiles. Propositio falsa.

Tertio dico, quod propositio necessaria dicitur ratione materiæ, & sic quælibet propositio in materia naturali est necessaria, vt Sortes est homo, Sortes est rationalis, Sortes est risibilis, vel dicitur secũdo necessaria gratia formæ, & est illa cuius prædicatum est disiunctum, constitutum ex partibus contradictoriis: vt Antichristus saluabitur, vel nõ saluabitur. Adam fuit, vel nõ fuit, Tertio dicitur ꝓpositio necessaria, quia sicut Propositio necessaria multiplex.

ipsa significat ita necesse res se habet, vel habuit, vel habebit & hoc de significatione totali, &c.

Propositio necessaria, secundum quid. ¶ Item omnis propositio de præterito est necessaria secundum quid vt, Caim occidit Abel.

Propositio impossibilis. ¶ Propositio autem dicitur impossibilis, non quia non potest non esse, sed quia impossibile est ita esse, vel fuisse, vel fore sicuti per illam significatur, vt homo est asinus.

Propositio possibilis, vel contingens. ¶ Propositio autem dicitur possibilis, vel cötingens, quæ ita potest esse, & aliter esse sicut per ipsam significatur, vt homo currit, sed contra iam dictam materiam.

Primũ. ar. ¶ Primo arguitur sic. Secunda intentio non est in genere, ergo non potest diffiniri. Sequela est bona, & antecedens probo: quia secundum Philosophum. v. methaphysicę, prædicamēta sunt entia realia, sed oratio secundæ intentionalitercapta, nõ est ens reale, & ex consequenti non habet genus, nec differentiam, ergo diffiniri non valet, cum omnis diffinitio detur per genus & differentiam.

¶ Secundo sic. Omnis diffinitio data per passiones deffiniti est

ij. argumẽ. insufficiens, sed diffinitio orationis enunciatiuę datur per passiones deffiniti, ergo est insufficiens. Minor est nota, quia verũ aut falsũ sunt passiones ꝓpositionis, sed maior ꝓbatur, quia passio non notificat naturã diffinitià priori quod requiritur.

iii. argum. ¶ Hæc diffinitio datur per disiunctiuam dictionẽ, ergo est mala, quod sic probo. Dictio disiunctiua cõiungit diuersa, sed partes diffinitionis, vt animal rationale significant vnum per se.

iiij. argum. ¶ Quarto arguitur sic. Nulla propositio est vera, nec falsa, ergo male deffinitur per verum, & falsum. Antecedens probo de propositione mentali. Si enim aliqua propositio mentalis esset vera, sequeretur quòd per motum digiti hominis, mutaretur intellectus angelicus quòd videtur ridiculosum. Et sit casus, ponatur ista propositio. Digitus Petri non mouetur in intellectu angelico, vel ista, musca non volat, moueat postea Petrus suum digitum, vel volet musca: tunc iam intellectus angelicus mouebitur de veritate in falsitatem.

Confirma. ¶ Cõfirmatur. Si aliqua propositio esset vera aut falsa, sequeretur quòd aliqua res alia à Deo posset esse, quam Deus non

possent creare, quod videtur impossibile. Et ponatur casus quod Deus nihil creet in præsenti tunc quæro, vel ista propositio, Deus creat est vera, vel falsa, & dicendum est quòd est falsa per casum datū, tūc arguo sic, vel falsitas istius ꝓpositionis creatur à Deo, vel non, nō est dicendum primum quia est cōtra casum ergo fatendum est secundum, ergo datur aliqua res quā De⁹ non creat, nec creare potest, quod sic cōfirmo. Quia falsitas est relatio rationis, quę sine fundamēto & termino, esse nō potest Similiter potest fieri argumentū de ista propositione, De⁹ nihil creat, quæ potest esse vera, quo facto quæritur, Vtrum veritas illius propositionis creetur à Deo vel ne? Confirma.

¶ Vltimo arg. sic. Omnis diffinitio data per opposita est mala sed prædicta diffinitio datur per opposita, putà, verum vel falsum, ergo est insufficiens. v. argumē.

¶ Pars responsiua.

¶ Ad primum respondetur per propositiones. Ad primū argumentū

¶ Prima propositio. Secunda intentio, licet sit in genere signi vel entis rationis, non tamen est in genere entis realis. Prima .p.

¶ Secunda propositio. Relatio rationis reductiuè est in prædicamento reali cum attribuatur primis intentionibus, id est, rebus cognitis, vel cognoscibilibus, & sic dicitur habere genus & differentias, saltem per accidens. ij. proposi.

¶ Tertia propositio. Secūda intentio diffinitur per suum fundamentum & terminum, quæ aliquando sunt genera, aliquando species, & sic patet solutio ad primum argumentum. iij. propo.

¶ Ad secundum respondeo distinguēdo antecedens, quia vel diffinitum habet genus & differentias per quæ diffiniatur, vel nō habet. Si primo cōceditur quód esset mala diffinitio data per passiones illi⁹ diffiniti, si vero differētiæ illi⁹ diffiniti sunt nobis ignotę, tūc dico quòd diffinitio data per passiones est sufficiēs, cū sumantur passiones illę loco differētiarū essentialiū. Ad. ij. arg

¶ Ad tertium respondeo concedendo antecedens, & nego sequelam, & ad probationem dico quòd illa coniunctio sumitur pro aliquo complexo significante vnum per se sicut ani- Ad. iij. arg.

mal rationale significat vnum per se.

Ad.iiij.ar. ¶ Ad quartum respondeo negando antecedens, & ad probationem respondeo per propositiones.

Prima p. ¶ Prima propositio intellectus angelicus nō mouetur, neq; est mobilis motu generationis nec corruptionis.

ij. proposi. ¶ Secunda propositio. Intellectus angelicus potest moueri localiter vt, Si angelus intelligat me deorsum & in via & sursum, id est, in patria.

iij. propo. ¶ Intellectus angelicus non potest moueri motu augmentationis, nec diminutionis.

iiij. propo. ¶ Intellectus angelicus potest moueri motu alterationis, scilicet de non intelligente ad intelligentem.

v. proposi. ¶ Vltima propositio est responsiua. Intellectus angelicus potest moueri de vero in falsum & ē contra, & sic patet responsio ad arg. quia in his respectiuis non est inconueniens intellectū angelicum moueri de vno contrario in alterum.

Ad confir. ¶ Ad confirmationem nego sequelam, & ad probationem respondeo per propositiones.

Prima. p. ¶ Prima propositio. Casus non est admittendus.

ij. proposi. ¶ Secunda propositio. Deo non creante, vel producēte impossibile est quòd aliqua propositio mentalis vocalis nec scripta producatur. Ex quo infertur quod in illo casu nulla propositio erit. Ex quo infertur quòd nec erit vera, vel falsa, & ex ista infertur quod nulla erit veritas, nec falsitas, & sic nihil aliud à Deo erit quòd à Deo non sit comproductum, vel creatum.

Ad.v. arg. ¶ Ad vltimum respondeo negando antecedens, & dico quod diffinitio propositionis in materia contingenti datur per opposita est enim contingens quod potest esse, & potest nō esse,

Contingēs quod. similiter diffinitio propositionis cathegoricę datur per opposita, putà verum aut falsum. Item diffinitio cōtradictoriorum incomplexorum datur per opposita: patet & similiter cōtrariorum.

¶ Sequuntur aliqua dubia circa materiam propositionis.

Primum. ¶ Primum dubium. An Deus sit propositio?

ij. dubium. ¶ Secundum. An veritas, & falsitas reperiantur in propositione vocali & scripta?

¶ Tertium

¶Tertiū. An veritas vel falsitas distinguantur realiter à propositione mentali? iij. argumē

¶Ad primum respondetur per duas propositiones. Ad pri. du:

¶Prima proposi. Deus secundum quosdam est propositio. Probatur, significat sibi verè, ergo est propositio. Antecedēs patet, significat sibi Antechristum fore, Adam fuisse &c. Ex quo infertur quòd est propositio singularis, vniuersalis, indefinita & particularis, affirmatiua & negatiua, cathegorica & hypothetica, non habens subiectum neq; prædicatum neq; copulam. Pri. pro.

¶Secunda propositio, Deus nullo pacto est propositio logica, probatur quia non mentalis (cum sit qualitas creata) non vocalis (cum Deus non sit ens successiuum,) non scripta cum Deus non sit ens lineatum. ij. propoſi

¶Ad secundum, Videtur quòd veritas & falsitas reperiuntur in propositione vocali & scripta, quòd probatur sic, Sunt propositiones, ergo veræ vel falsę. Sed pro clariori notitia huius dubij ponuntur propositiones. Ad secūdū. dubium.

¶Prima prop. Propositio vocalis & scripta nec est vera nec falsa, Nisi in quantum subordinatur mentali veræ vel falsæ. Pri. pro.

¶Secunda propositio, Propositio vocalis vel scripta dicetur vera vel falsa, non denominatione intrinseca, sicut mentalis, sed extrinseca, sicut circulus ante tabernam, significās vinum venale, dicitur verum vel falsum denominatione extrinseca & hoc habet Scotus sexto metaphysicæ, quest. tertia, & libro primo sententiarum, distinctione tertia. q. iiij. art. secundo. ij. propoſi.

¶Ad tertium dubium, Dicitur breuiter quòd si veritas capiatur pro habitudine, seu relatione propositionis mentalis ad suum significatum, veritas & falsitas distinguuntur à tali propositione. Probatur dupliciter, Primo, quia accidit propositioni quòd sit vera vel falsa. Patet, ponatur ista propositio, Digitus Sortis mouetur, moto digito est vera, quiescente digito est falsa. Ad iij. du.

¶Cōfirmatur. Propositio manet non manente veritate eius, ergo distinguuntur realiter. Secundo probatur sic propositio mentalis est qualitas realis absoluta, veritas autem est rela Confir.

tio, ergo distinguuntur realiter.

¶ Vltima propositio, Aliqui dicunt, quòd veritas non est nisi propositio vera, & falsitas nihil aliud est quàm propositio falsa, quibus non assentior tum propter dicta, tum etiam quia verũ & falsum sunt passiones separabiles à propositione mẽtali, ergo distinguuntur.

Caput. xij.

¶ De oppositione in generali.

HIs vero ita de propositione & varijs eius diuisionibus ac speciebus vtcunque declaratis, poscit ordo, vt ad propositionum simplicium oppositiones transeamus. Iocunda enim pariter & vtilie erit huiusmodi consideratio, vt cognoscatur, quę propositio, cui, quomodo, & quęcunque opponatur siue repugnet, secundum veritatẽ aut secundum falsitatem, aut secundum vtrunque simul: varias quoque oppositionum species abinuicem discernere, singularumque leges & naturas tenere. ¶ Pro quarum rerum faciliori & pleniori intellectu, pręmittendę sunt duę diuisiones, alię propositionum, quarum prior hęc est, Propositionum quędã participant vtroque termino, quędã altero tantũ, quędã vero neutro termino participant. Primi mẽbri exemplũ sunt hę duę propositiones, Omnis homo est animal, Nullus homo est animal. Secundi, Omnis homo est animal, Nullus homo est asinus. Tertij, Omnis homo est animal, Nulla arbor est brutum. In illis autem solis potest inueniri oppositio, quę vtroque termino participant. ¶ Secunda diuisio est, qua subdiuiduntur propositiones vtroque termino participantes, in hunc modum, Propositionum vtroque termino participantium, quędam secundum eundẽ ordinem participant: alię vero secundum alium & inuersum ordinẽ. Primi exemplum sunt, hę duę, Omnis homo est animal, Nullus homo est animal. Secundi hę, Omnis homo est animal, Nullum animal est homo. In illis autem solis proprie inuenitur oppositio, quę vtroque termino secundum eundem ordinem participant. ¶ His pręmissis quidnam sit oppositio, & quot sint eius species declarabimus. Ex Aristotele itaque hęc colligitur definitio oppositionis.

Definitio oppositionis.

Contradictio siue oppositio est affirmatio & negatio oppositæ.

¶ Cuius definitionis hic est sensus, Oppositio est repugnantia inter duas propositiones, eiusdem omnino subiecti & eiusdẽ omnino pręedicati, quarum altera est affirmatiua, altera negatiua. Vel sic, Oppositio, id est, propositiones oppositę, sunt, propositio affirmatiua & propositio negatiua, eiusdem subiecti & eiusdem pędicati. Et inter has,

Omnis homo est bonus Nullus homo est bonus, vera est opposi-tio. Sub hac autem definitione, non continetur oppositio subalter-na, quę est inter propositiones eiusdem qualitatis, et sumitur tantum secundum diuersam quantitatem: propter quod nō meretur dici op-positio, nisi admodum improprie. Clarius quoque et generalius so-let definiri oppositio hoc modo, Oppositio est repugnantia duarum propositionum, vtroque termino participantium, secundum eundē ordinem, vel in qualitate tantum, vel in quantitate tantū, vel in qua-litate et quātitate simul. Quę definitio etiam oppositionem subalter nam intra se concludit. Sub primo definitionis membro continen-tur oppositio contraria et oppositio subcontraria, quarum vtraque est inter propositiones solum qualitate differentes. Sub secūdo mē-bro est oppositio subalterna, quę (vt iam dictum est) propositionum est sola quantitate differentium. Sub tertio est oppositio contradi-ctoria, quę est inter propositiones qualitate simul et quantitate repu-gnantes. Quę omnia insequentibus fient clariora, vbi ante oculos singularum oppositionū constituentur exempla.

Nōis defi-nitio op-positionis

¶Determinata materia enunciationis quò ad quid est, & quò ad diuisionem essentialem & accidentalē, nunc aggrediendum ad quasdam proprietates enūciatio-nis simplicis, quæ sunt oppositio, conuersio, & æqui pollentia, primò de oppositione.

¶Et primò nota quòd hic sumitur oppositio pro repugnan-tia propositionum & non terminorum.

¶Secundū notādū est, quod oppositio potest capi tripliciter. *Opposi-tio capitur tripliciter.*

¶Vno modo quo ad apprehensionem & sic nulla est repugnā tia inter propositiones, contrarias contradictorias &c. quia possunt simul apprehendi. *Opposi-tio quo ad appre-hensionē.*

¶Secundo modo potest capi oppositio pro repugnātia dua rum propositionum, quò ad esse in eodem subiecto, & sic nul-la est repugnantia quia istæ duæ contradictoriæ possunt esse in eodem intellectu, Quilibet homo est iustus, Aliquis homo non est iustus. *Opposi-tio pro re pugnantia*

¶Tertio modo capitur oppositio pro repugnātia quò ad as-sensum & dessēsum, & sic capitur in proposito, quia nullo pa cto intellectus potest assentire his duab⁹ cōtrarijs, Quilibet hō est iustus, Nullus hō est iustus: sed bene dissentire vtriq; cū possint simul esse falsæ, & sic dicēdum est de alijs oppositioni bus secundum suas leges, vt infra patebit. *Opposi-tio pro re pugnantia*

¶ Sed contradicta in textu,& in commento authoris sic arguitur.

Pri.arg. ¶ Prima diuisio est insufficiens, ergo non tenenda, puta propositiones aliq participant vtroq; termino, aliæ vno tantum, aliæ nullo,&c.

¶ Primo contra primum membrum sic, Nullæ sunt propositiones participantes vtraq; voce, ergo illa regula falsa. Seque la est bona, antecedés probo. Ait enim Philosophus, quod se mel dictum est amplius resumi non potest. Probatur etiam, Quòd sunt prolationes tot sunt voces, vt ista, Homo est homo, tres sunt prolationes, ergo tres sunt voces,& fortius in hac, Homo est animal, cum sit maior differentia inter extrema istius, quam illius.

ii.arg. ¶ Secundo arguitur sic contra secundum mébrum, Ex secundo membro illius diuisionis sequeretur quod hæ duæ propositiones, Leo est lapis,& Homo est lignum, participarent vtroq; termino tantum. Sequelam probo, quia participant eadem copula, sed consequens est contra vsum logicorũ, ergo regula nulla.

iij.arg. ¶ Tertio arguitur sic, Contra primum membrum illius diuisionis, Sequeretur quòd istę duæ propositiones participarent vtroq; extremo, putã, Homo albus est animal,& Homo est animal, sed consequens est falsum, (vt patet) cum subiectum vnius non sit subiectum alterius.

iiij.arg. ¶ Quarto sic, Ex eadem diuisione istæ contradictoriæ non participant vtroq; extremo quod est falsum, id est, aliquis homo currit,& nullus homo currit, quod probo, cum subiectum affirmatiuæ sit totum hoc, Aliquis homo,& negatiuæ solum ly Homo, ergo diuisio illa est insufficiens.

Ad primũ ¶ Ad primum respondetur, Negando antecedens,& ad probationem concedo authoritatem philosophi,& etiam confirmationem,& respondeo quòd propositiones non dicuntur participare vno termino in numero, sed vno in specie vel in æquiualentia, quia secundũ Scotum in secundo, distinctione secunda, eadem res numero exprimitur per plures voces; vt

Hō est risibilis, animal rationale est risibile, risibile currit, &c.

¶ Ad secundum respondeo negando sequelam, & ad probationem dico, quòd terminus in proposito sumitur pro prædicato & subiecto, non pro copula. Ad secūdū

¶ Ad tertium respondetur quòd regula intelligitur de extremis totalibus vel principalibus, & sic potest dici quòd illæ duę propositiones non participāt extremis totalibus, sed bene principalibus. Ad tertiū.

¶ Ad quartum respondetur negando sequelam, & ad probationem dico duo, primum, quod istę participant vtroque extremo, & si aliqua est variatio hoc non prouenit ex parte extremorum, sed ex parte signorum quòd non impedit: vt aliquis, nullus. Secūdo dico, & magis logicaliter, negādo quòd ly Aliquis sit pars subiecti, cum virtus eius transeat in prædicatum, denotando ipsum dici de subiecto particulariter, de quo visum est in materia suppositionum. Ad quartū

Caput. xiij.
De speciebus oppositionis.

Assignat Aristoteles oppositioni tres species, propositiones oppositas diuidens, in contrarias, subcontrarias, siue (vt ipse eas appellat) non contrarias, & contradictorias. Ex eo quoque singul. rum assignantur definitiones in hunc modum.

Contrariæ enunciationes sunt, si quid enuncietur vniuersali vniuersaliter inesse & nō inesse. Subcontrarię enunciationes sunt, si quid enuncietur vniuersali particulariter inesse & non inesse. Contradictoriæ sunt affirmatio & negatio eiusdem de eodem, quarum altera significat vniuersaliter: altera verò non. Contrarię Subcōtrarię. Contradictorię.

¶ Quarum definitionum hic est sensus. Cōtrarię sunt, cum aliquod idem prędicatum de eodem subiecto termino communi prędicatur in altera vniuersaliter & affirmatiue, in altera vniuersaliter & negatiue. Subcontrarię sunt, cum idem prędicatum de eodem subiecto aliquo termino cōmuni prędicatur, in altera particulariter & affirmatiue, in altera particulariter & negatiue. Contradictorię vero sunt, cum idem prędicatum de eodem subiecto termino communi prędi-

catur, in altera vniuersaliter ⁊ affirmatiue, in altera autem particulariter ⁊ negatiue, Vel in altera vniuersaliter ⁊ negatiue, in altera particulariter ⁊ affirmatiue. Multo vero clarior est modus posteriorum qui prędictas oppositionis species ita definiunt, Contrarię sunt, vniuersalis affirmatiua ⁊ vniuersalis negatiua eiusdem subiecti ⁊ eiusdem prędicati. Subcontrarię sunt, particularis affirmatiua ⁊ particularis negatiua eiusdem subiecti ⁊ eiusdem prędicati. Contradictorię sunt vniuersalis affirmatiua ⁊ particularis negatiua: vel, vniuersalis negatiua ⁊ particularis affirmatiua, eiusdem subiecti ⁊ eiusdem prędicati. Subalternas quoque similiter definiunt in hunc modum, Subalternę sunt vniuersalis affirmatiua, ⁊ particularis affirmatiua, vel vniuersalis negatiua ⁊ particularis negatiua, eiusdem subiecti ⁊ eiusdem prędicati. ¶ Nunc in singulis ante oculos constituamus exempla. Istę sunt cõtrarię, Omnis homo est iustus, Nullus homo est iustus. Ambę enim sunt vniuersales, altera affirmatiua, altera negatiua, idem habentes subiectum homo, ⁊ idem prędicatum iustus. Hę sunt subcontrarię, Quidam homo est iustus, Quidam homo non est iustus, ambę enim sunt particulares: altera affirmatiua, altera negatiua. Istę sunt contradictorię, Omnis homo est iustus, Quidam homo non est iustus. Item ⁊ istę, Nullus homo est iustus, Quidam homo est iustus. Illę nanque sunt vniuersalis affirmatiua ⁊ particularis negatiua. Hę vero sunt vniuersalis negatiua ⁊ particularis affirmatiua, omnes eiusdem subiecti ⁊ eiusdem prędicati. Denique hę sunt subalternę, Omnis homo est iustus, Quidam homo est iustus. Item ⁊ istę, Nullus homo est iustus, Quidam homo non est iustus. Sunt enim duę priores vniuersalis affirmatiua, ⁊ particularis affirmatiua. Alterę vniuersalis negatiua, ⁊ particularis negatiua, omnes eiusdem subiecti, ⁊ eiusdem prędicati. Quę omnia in hac figura ad oculum licet intueri.

Omnis homo est iustus.

CONTRARIAE.

Nullus homo est iustus.

Contra- Contra-

SVBALTERNAE

DIC-

toria toria

SVBALTERNAE

Quidam homo est iustus.

SVBCONTRARIAE

Quidam homo non est iustus.

Caput. xiiij.

¶ De conditionibus quibusdam ad perfectam oppositionem requisitis.

NOtandũ vero est, quod definitiones specierũ oppositionis iam positę nõ penitus vniuersales sunt & omnino sufficiẽtes, nisi insuper singulis cõditio vna addatur. Videlicet ad perfectã cõtrarietatẽ requisita cõditio hęc est, Ut nõ sit in ꝓpositionibꝰ assignatis aliquis terminꝰ, qui nõ vt minimũ i altera vniuersaliter ponat. Huiꝰ

conditionis defectu istę non sunt vere contrarię, Omnis homo est animal, omnis homo aliquod animal non est. Tota enim definitio contrariarum suprapositaeis conuenit: quoniam sunt duę propositiones: quarũ altera est vniuersalis affirmatiua, altera vniuersalis negatiua, idẽ prorsus habẽtes subiectũ, idẽq; pr̨edicatũ. Sed est in eis terminus animal, qui in neutra vniuersaliter ponitur. Non enim in prima, vt manifestũ est: nec in secũda: quoniã negatio ei postponitur Dictũ est autẽ supra negationẽ nõ habere vim nisi in ea, quę sequuntur. Quod autẽ hę non sunt contrarię, patet, quoniã simul verę sunt quod est contra naturam contrariarũ, vt posterius declarabitur. De veritate istius, Omnis homo est animal, certissimum est. De altera, Omnis homo aliquod animal nõ est, declaratur quod vera sit, Omnis enim homo leo nõ est, igitur omnis homo aliquod animal nõ est Eiusdem conditionis defectu hę quoque non sunt contrarię, Uniuscuiusque hominis altera manus est dextera, & Uniuscuiusque hominis altera manus nõ est dextera. Ambas enim constat veras esse. De secunda patet quoniã vniuscuiusque hominis sinistra manus non est dextera, igitur vniuscuiusque hominis altera manus nõ est dextera. Si autẽ verã velimus assignare contrarietatẽ, curandum est, vt terminus ille qui in neutra positus est vniuersaliter, vt minimũ in altera sic assignetur. Unde hę sunt contrarię, Omnis homo est animal, Omnis homo non est animal: vel, Omnis homo omne animal non est: vel, Omnis homo nullũ animal est, quę tres ęquiualent. Item hę cõtrariantur, Uniuscuiusque hoĩs vtraque manꝰ est dextera. Uniuscuiusq; hoĩs altera manꝰ nõ est dextera. Uel sic, Uniuscuiusque hominis altera manus est dextera. Uniuscuiusque hominis vtraque manus nõ est dextera. ¶ Pro subcõtrarijs autẽ quasi opposita requiritur conditio, ne sit aliquis terminus in vtraque vniuersaliter positus. Id enim impediret subcontrarietatẽ. Cuius defectu istę nõ sunt subcontrarię, Quidam homo omne animal est, Quidã homo nõ est animal. Hic enim terminus animal, in vtraque tenetur vniuersaliter Quod autẽ non sunt subcontrarię, patet: quia ambę simul falsę sunt, quod est contra naturam subcontrariarum. Sic autem assignabuntur subcontrarię, Quidam homo est animal, Quidam homo non est animal. Uel sic, Quidam homo omne animal est, Quida homo aliquod animal non est, caute sic pr̨eponendo terminum animal in secunda, ne vniuersaliter accipiatur. ¶ Porro in contradictorijs, vtramque ęquali vigilantia cauendũ, videlicet vt nec in vtraque sit idem terminus vniuersaliter positus, nec in vtraque particulariter. Utrunque enim contradictionẽ impedit: quoniã oportet in contradictorijs talem fieri propositionum comparationẽ, vt omnis terminus qui in priori positus est vniuersaliter, in posteriori ponatur non vniuersaliter, & ecõtrario, omnis qui in priori pticulariter, in posteriori vniuersaliter cõstituatur. Huius defectu istę nõ cõtradicunt, Omnis hõ omne animal est, Quidã hõ nõ est animal: in quibꝰ terminus animal vtrobique vniuersaliter ponitur. Neque istę, Omnis hõ est animal, Aliquis hõ aliquod animal nõ est, in quibꝰ terminꝰ animal vtrobiq;

particulariter ponitur. Due priores sunt simul falsę, posteriores am bę simul verę: quod est contra naturam contradictoriarum, quę non possunt esse simul verę, aut simul falsę. ¶ In subalternis vero cautio est adhibenda, ne aliquis terminus vniuersaliter ponatur in particulari qui non item vniuersaliter ponatur in vniuersali. Huius deffectu istę non sunt subalternę, Omnis homo animal est, Quidam homo omne animal est. Animal enim in particulari tenetur vniuersaliter, cum in vniuersali non vniuersaliter positum fuerit. Quod autem hę nō sint subalternę, patet, quoniam secundum legem subalternarum, ad veritatem vniuersalis sequitur veritas particularis, & ad falsitatē particularis sequitur falsitas vniuersalis. Hic autē nō ita res habet. Ista enim vniuersalis, Omnis homo est animal, vera est: illa autē particularis, Quidā homo omne animal est, falsa est. Vt igitur verę sint subalternę oportet signum vniuersale abijci in secunda, a termino animal dicendo, Quidam homo animal est. Addunt recentiores quidam, singulis speciebus oppositionum alias cautiones: sed nos impręsentiarū rudi ista determinatione contenti abscedimus, ne longe nimium ad inania progressi, in feces sophisticas forsitan incidamus.

¶ Visa & examinata diffinitione cōtrariarum, subcontrariarū propositionū, atque subalternarū, vt clari9 appareat veritas cōtra aliqua tāgentia ipsam materiā, argu. sic.

¶ Primo sic, Duæ cōtrariæ possunt simul esse veræ, ergo dicta nulla. Antecedens probo, & sequela est bona. Syllogismus est subiectum in ligica, & Nullus syllogismus est subiectum in logica, ergo lex contrariarum nulla, antecedēs est Scoti in sua logica, & consequens probo inductiuē, Iste syllogismus non est subiectum in logica, & iste syllogismus non est subiectum in logica & sic de alijs, ergo intentum. Pri.arg.

¶ Secundo arguitur sic. Omnis homo est terminus cōmunis signo vniuersali determinatus, & aliquis homo est termin9 cōmunis signo non vniuersali determinatus & ambæ sunt veræ ergo lex contradictoriarum nulla. ii.arg.

¶ Ter. argui. sic, Omnis homo currit, & aliquis homo nō currit, sunt cōtradictoriæ tamē in casu possunt simul esse verę, ergo lex cōtradictoriarum nulla. Et sit casus quod nullus vir sit in mūdo, sed solæ mulieres & currant omnes affirmatiua est vera, vt patet per eius descendētes & negatiua similiter, cum subiectum eius pro nullo supponat, ergo intentum. iij.arg.

¶ Quarto arguitur sic, Nullū ens contingēter est Deus, nullū ens contingenter non est Deus, sunt cōtrarię & ambæ veræ, iiij.arg.

ergo lex cōtrariarum nulla, quæ dicit ea sposse esse simul falsas in materia contingenti, sed veras non.

v. argumē. ¶Quin. sic. Omnis hō est omne animal, omnis homo nō est animal sunt cōtrariæ & in materia naturali, tamen vna nō est necessaria & alia impossibilis sicut dicit author, sed ambę sunt falsæ & in materia naturali quod est inconueniens, patet, quia prima est falsa, ergo non necessaria. Negatiuam probo non esse impossibilem, patet, quia æquiualens eius est vera, ergo & illa, videlicet hæc, omnis homo animal non est. Patet, Hic homo animal non est, & hic hō animal non est, & sic de aliis, ergo omnis homo animal non est. Et ex consequenti, omnis homo non est animal.

vi. argumē. ¶Sexto arguitur sic contra illud quod dicitur, quòd particularitas in vna debet esse vniuersalitas in alia, Hæ sunt contrariæ, Quilibet homo est Sortes, & nullus homo est Sortes, tamen ly Sortes in vtraq; remanet indistributum, ergo intentū.

Confirma. ¶Confirmatur. Quilibet homo est ipsemet, & quilibet homo non est ipsemet, ly ipsemet manet eodem modo in negatiua, sicut in affirmatiua, cum habeat dependentem suppositionem à suo antecedenti.

vij. argum. ¶Septimo argui. sic. Omne animal fuit in arca Noe, & omne animal non fuit in arca Noe, sunt contrariæ, tamen ambę veræ, & in materia contingenti, ergo lex illarum nulla est.

iij. argu. ¶Octauo argui. contra illud, quod debet esse vna vniuersalis affirmatiua, alia vniuersalis negatiua. Non est verum, ergo intentum, quod sic patet, Omnis homo est iustus, & omnis homo est iniustus sunt contrariæ, tamen nulla est negatiua.

Confirma. ¶Confirmatur. Omne bonum est bonum, & Omne malum est malum, sunt contrarię, tamen nulla est negatiua, ergo intentum.

ix. argumē ¶Nono arguitur sic. In materia naturali dantur duæ contrarię simul falsæ, ergo dicta nulla. Patet, omnis homo nō necessariò nō est animal, & omnis homo necessariò non est animal.

x. argumen ¶Decimo arguitur sic. In materia remota dantur simul duæ verę, ergo dicta nulla. Patet, Nullus homo non contingenter est asinus, & Omnis homo contingenter non est asinus.

Pars responsiua.

Ad primum respondetur negando antecedens, & ad probationem dico, quòd illę nō sunt oppositę contradictoriè. Ratio quia extrema non supponunt eodem genere suppositionis subiectum enim primę supponit simpliciter subiectum verò negatiuę supponit personaliter, & ita non opponuntur pro quo ponitur talis regula. Extrema propositionum oppositarum debent supponere eodem genere suppositionis, scilicet ambo simpliciter, aut ambo personaliter, vel ambo materialiter, exempla sunt facilia. Ad primū. Regula.

Ad secundum, omnis homo est terminus signo vniuersali determinatus, concedo illas esse veras, sed nego quòd sint contradictorię, cum ambę sint indefinitę, subiectū primę est, ly omnis homo, subiectum secundæ, est ly aliquis homo, & sic etiam non sunt eiusdem subiecti, quod requiritur. Pro quo nota φ termino supponenti materialiter addēdum est signum in neutro genere ad hoc quòd distribuatur vt ly omne omnis homo vel particularizetur, vt ly aliquid, aliquis. Et sic istę sunt contrarię, omne ly homo est dictio, nullū ly homo est dictio. Istæ cōtradicūt, Omne ly homo est dictio, ly homo non est dictio. Item hoc ly homo est dictio, hoc ly homo non est dictio. Ad.ij. Nota.

Ad tertium dico, quòd in illo casu illę non sunt contradictorię, sed contradictoria primę est ista, non omnis hō currit, quæ est falsa, posito quòd omnis fœmina currat. Vna est regula φ in omni oppositione termini debēt teneri ęquè amplè, & ęquè restrictè, & quia ly homo stat in affirmatiua pro fœminis, stat & in negatiua pro viris solum. Ad.iij. Regula.

Ad quartum dico quòd hæ nullum ens contingenter est Deus æquiualet istis, Nullum ens necessario est Deus vel Omne ens impossibiliter non est Deus, & secunda æquipollet huic, Omne ens necessario est Deus, vel omne ens impossibiliter est Deus, & conuertuntur in oppositam qualitatem, & sic non sunt contrariæ propriè. Item ad hoc, quòd istæ propositiones cōtrarientur opportet ea esse de va Ad.iiij.

Modi oppositi. rijs, vel oppositionis modis, vt necessariò impossibiliter, vt omnis homo necessariò est animal,& omnis homo impossibiliter est animal,& contradictoriæ de contradictorijs modis vt omnis homo necessariò est animal, homo possibiliter non est animal, omnis homo impossibiliter est equus, homo possibiliter est equus,& sub cõtrariæ homo possibiliter currit, homo possibiliter nõ currit. Cõtrariæ necesse & impossibile: sub contrariæ, possibile & possibile nõ: subalternæ, necesse & possibile, impossibile & possibile nõ. Aequipollentia, non necessariò possibile, non possibile non necessariò, non possibile impossibile, non impossibile possibile, non possibile non impossibile, non impossibile non possibile non.

Modorum equipollentia.

Ad.v. ¶Ad quintũ dico quòd non omnis propositio affirmatiua in materia naturali est vera,& hoc est verum quando prædicatũ nõ supponit pro aliquo cõmuni generico, vt homo est animal vel, specifico, vt Sortes est homo & cæ. Sed supponit prædicatum pro suppositis generis, vt est in proposito, secundo dico quòd omnis propositio affirmatiua in materia naturali cuius prædicatum nõ distribuitur, est vera, vt homo est animal Ad negatiuam dico illam esse impossibilem,& ad probationẽ dico quòd arguitur à nõ distributo ad distributum, ex parte de ly animal & sic nego sequelam. Item hæ non sunt contrariæ, omnis homo est animal,& omnis homo animal non est cum ly animal sit particularitas in vtraq; propositione, sed ista omnis homo non est animal.

Ad.vi. ¶Ad sextum respondeo ponendo propositiones.

Prima propositio. ¶Potest dici quòd illæ non sunt contrariæ. Ratio, quia prædicatum non est terminus cõmunis, supponens communiter, quod requiritur, sed sunt oppositæ in genere & in nulla specie oppositionis, vel de lege & non de modo enunciandi.

ij. propos. ¶Potest dici quòd illæ sunt contrariæ, tamen quia vna vniuersalis affirmatiua, alia vniuersalis negatiua de subiecto cõmuni distributo, tamen ambæ falsæ quod non est inconueniens in contrarijs.

Ad confir. ¶Et ad confirmationem concedo totum propter, suppositionẽ dependentẽ relatiui reciproci,& sic ly ipse met in negatiua

ſupponit deſtributiuè, ſicut in affirmatiua. Ex quo infertur q̃ negatio aliquando non diſtribuit terminum ſequentem diſtribuibilem, vt in caſu.

¶ Ad ſeptimum dico, quòd ſi ſubiectum in affirmatiua diſtribuatur pro generibus ſingulorum, illa eſt vera, & negatiua ꝑ eodem eſt falſa, vel ſenſus affirmatiuæ eſt iſte, De qualibet ſpecie animalium aliquod animal fuit in arca Noe, quæ eſt vera. Sensus negatiuæ eſt iſte, De nulla ſpecie animalium aliquod animal fuit in arca Noe. Si vero ambarum ſubiectum diſtribuitur pro ſingulis generum, ambæ ſunt falſę: ſi autem in vna diſtribuatur pro generibus ſingulorum in altera pro ſingulis generum non opponuntur. Ad. vij. argumentum

¶ Ad octauum, concedo illas eſſe de contrarijs extremis, ſed non de contrarijs modis e nunciandi, quod requiritur ad hoc quòd ſint contrariæ, de quibus eſt propoſitum præſens. Ad. viij. argumentum

¶ Ad nonum reſpondeo diſtinguendo hanc. Non neceſſariò non eſt animal, quæ æquipollet huic, Poſſibiliter eſt animal, & tunc dico quòd ſi ly poſſibiliter non ponitur loco de contingenter ad vtrumlibet. Illa eſt vera & alia falſa, quia æquiualet iſti, Omnis homo impoſſibiliter eſt animal, quæ eſt impoſſibilis de impoſſibili. Et nota quòd hæc propoſitio (contrariæ non poſſunt ſimul eſſe veræ) eſt diſtinguenda, quia ſi ly Simul determinat ly Eſſe, vera eſt, ſi vero ly poſſunt falſa eſt, cum vtraque habeat potentiam ad eſſe vera, vt patet de his duabus, Omnis homo currit, Omnis homo non currit, quæ ambę ſimul poſſunt eſſe veræ. Ad. ix. arg.

Caput. xv.

¶ De legibus oppoſitionum.

Colliguntur quoque ex Ariſtotele certę quędam leges ſingularum oppoſitionum, quibus indicatur, quomodo inter ſe propoſitiones oppoſitę repugnẽt, vel ſecundum veritatem tantum, vel ſecundum falſitatem tantum, vel ſecundum veritatem & falſitatem ſimul.

Lex contrariarum, Impoſſibile eſt, contrarias eſſe ſimul veras, ſimul autem falſas eſſe, eſt poſſibile. Lex cõtrariarum.

¶Hoc est, si contrariarum altera sit vera, alteram oportet esse falsam: non autem econtrario, quoniam possunt due contrarię dari simul falsę. Exempli gratia, Si hęc sit vera, Omnis homo est iustus, eius contraria erit falsa, Nullus homo est iustus. Secundum veritatem enim hę manifestissime opponuntur, quemadmodum facile percipit quisquis aures consulit suas, mentemq́ʒ auditui accomodit. Non autem consequitur, si hęc falsa sit, Nullus homo est iustus, ob hoc veram esse contrariam, Omnis homo est iustus. Ambę enim falsitatem habent, & neutra veritatem. Unde contrarię propositiones opponuntur tantū secundum veritatem, in qua nunquam conuenire possunt, non autem secundum falsitatem, in qua possunt.

Lex subcōtrariarum.

Lex subcontrariarū, Subcontrarias cōtingit simul esse veras, simul autem esse falsas non contingit.

¶Hoc est, propositionum subcontrariarum, si altera sit falsa, reliquā oportebit esse veram, quoniam simul ambę falsę esse non possunt. Nō autem necesse est, si altera sit vera, ob hoc alterā esse falsam, quoniam ambę simul possunt esse verę. Exempli gratia, Si ista sit falsa, Quidā homo non est animal, consequitur alteram veram esse, Quidam homo est animal. Quamuis autem vera sit hęc, Quidam homo est iust9, non tamen ob hoc oportebit alteram esse falsam, Quidam homo nō est iustus. Ambę enim veritatem simul habent. Unde subcontrarię repugnant tantum secundum falsitatem, in qua non possunt conuenire: non autem secundum veritatem, in qua possunt. Propter quod forsitan subcontrarię signāter sunt nominatę, quasi minus cōtrarię. Prior enim & potior videtur contrarietas secūdum veritatem, quemadmodum veritas prior est falsitate, & prius ipsa cōsideratur. Uel ideo subcontrarię dictę sunt quia in falsitate contrarię, sub alijs in veritate contrarijs positę.

Lex contradictoriarū.

Lex contradictoriarum, Contradictoriæ non possunt simul esse verę, nec simul falsæ, sed necesse est earum alteram esse veram, & alteram falsam.

¶Hoc est, Contradictoriarum si altera sit vera, alteram cōsequitur esse falsam: & si altera sit falsa, consequens est alteram esse veram. Exempli gratia, Si hęc vera est, Omnis homo est animal, recte colligitur, istam esse falsam, Quidam homo non est animal. Rursum si hęc sit falsa, Quidam homo est leo, recte infertur hanc esse veram, Nullus homo est leo. Pugnant enim omnibus modis cōtradictorię, & secundū veritatem & secundum falsitatē. Propter quod oppositio inter istas est maxima: quę appellatur contradictoria, eo quod tam secundum veritatem quam secundum falsitatem ambę sibi inuicem contradicant. Hanc legem participant etiam propositiones singulares illę, quarum altera est affirmatiua altera negatiua eiusdem subiecti & eiusdem prędicati. Ut Petrus viuit, Petrus non viuit. Non enim possunt istę

simul esse veræ, aut simul esse falsæ, Propter quod merito cõtradictorijs adnumerantur. ¶ Adijciũt posteriores legem pro subalternis, in hunc modum, Subalternarum si vniuersalis sit vera, particularẽ consequitur esse veram, non autem e contrario. Et si particularis sit falsa consequitur vniuersalem esse falsam, non autem econtrario. Hoc est, Inter subalternas, ad veritatem vniuersalis sequitur veritas particularis, quam vocant subalternatam: in ecõontrario, veritas particularis infert veritatem vniuersalis. At vero falsitas particularis infert falsitatem vniuersalis, non econuerso falsitas vniuersalis falsitatem particularis. Exempli gratia: si hęc est vera, Omnis homo est animal euidenter infertur hanc quoque particularem esse veram, Quidam homo est animal. Non tamen econtrario consequẽs est, si vera sit hęc particularis, Quidam homo est iustus, ob hoc veram esse eius vniuersalem subalternam, Omnis homo est iustus. Rursum si falsa sit hęc particularis, Quidam homo est brutum, statim consequitur, vniuersalem quoque falsam esse, Omnis homo est brutum. Nec tamen vicissim consequitur, si falsa sit hęc vniuersalis, Omnis homo est iustus, falsam propterea esse particularem, Quidam homo est iustus. Hęc enim vera est, cum illa sit falsa, Unde apparet, subalternas nullo modo repugnare, neque secundum veritatem, neque secundum falsitatẽ, multo vero minus secundum vtrunque. Passim enim inueniuntur simul veræ, aut simul falsæ. Lex subalternarum.

¶ Contra legem contradictoriarum arguitur sic. Primum argumentum.

¶ Sortes currit, & Sortes non currit, sunt contradictoriæ, & ista, Sortes currit, potest esse vera, & illa, Sortes nõ currit, potest esse vera, ergo vtraq; potest esse vera. ij. argumentum.

¶ Secundo arguitur sic. Deus videns omnes saluos faciẽdos est nostra fœlicitas, Deus videns omnes saluos faciendos non est nostra fœlicitas, sunt contradictoriæ, & tamen ly videns in nulla distribuitur, & ly saluos faciendos in vtraq;.

¶ Ter. sic. Nullus equus requiritur ad equitandũ, & Ad equitandũ requirit equus, sunt cõtradictoriæ, & ābæ veræ, ergo lex nulla. iij. argumẽ.

¶ Quar. sic. Omnis homo animal fuit, & Homo animal nõ fuit pma est nota secũda patet sic, Sortes equus nõ fuit, ergo hõ animal nõ fuit ab inferiori ad superius ex parte vtriusq; extremi. iiij. argum.

¶ Quinto sic. Nullus homo cognoscit veniẽtem, & Homo venientem cognoscit, in casu faciali ambæ sunt veræ tamen sunt contradictoriæ. v. argumẽ.

¶ Sexto sic. Omnis substãtia homo nõ est, & A substãtia homo non est, sunt contradictoriæ, tamen ambæ veræ, ergo lex contradictoriarum nulla. vj. argumẽ.

vij.argum. ¶Septimo, Quilibet homo est, b, animal, homo nõ est animal sunt contradictoriæ, & ambæ falsæ, vt patet ergo & cętera.

¶Contra legem subalternarum.

¶Subalternæ se inferunt in bona consequentia, vt omnis homo est animal, ergo aliquis homo est animal, ergo non sunt oppositę.

Ad primũ ¶Ad primum respondetur concedendo quòd Sortes currit, & Sortes non currit sunt cõtradictoriæ de lege: quia nec possunt simul esse veræ nec simul falsæ, non tamen de modo nunciandi, cum nulla illarum sit vniuersalis, Et ad confirmationẽ,

Ad confir. Hęc potest esse vera Sortes nõ currit, distinguo, vel ly simul determinat ly esse & sic negatur, vel determinat ly potest & sic conceditur quòd vtraque potest esse vera, & vtraq; potest esse falsa imò in eodem instanti in quo hæc est vera, Sortes currit potest esse falsa.

Ad.ij. ¶Ad secundum respondetur, ponendo propositiones.

Prima propositio. ¶Prima propositio. Vniuersalitas vniuscõtradictoriæ debet esse particularitas alterius, sine oppositione & è contra.

ij.proposi. ¶Secunda propositio. Propositio prima est vera, dum modo non sit acceptio vnica, quia tunc in vtraq; distribuitur vel in nulla distribuitur, & sic patet respõsio quia ly saluos faciendos est terminus acceptus vnica acceptione, qua propter manet vniformiter in vtraq;.

Ad.iij.arg. ¶Ad tertium respondetur, negando quòd illæ sint contradictoriæ, & si arguas, Sunt vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua eiusdem subiecti & prædicati, ergo sunt contradictoriæ. Respondeo, quòd cõtradictoria primæ est ista, Aliquis equus requiritur ad equitandum, & est falsa & illa vera, Nullus equus requiritur ad equitandum, Secundo dico quòd contradictoria istius, Ad equitandũ non requiritur equus, est ista Ad equitandum omnis equus requiritur, vel ista, Ad equitandum requiritur omnis equus, quæ est falsa. Pro quo nota, quòd

Nota. ad inferendam contradictionẽ in propositionibus, in quibus ponũtur signa specialia cõfusiua (sicut est ly requiritur) semper est necesse negationem poni in principio propositionis, vel ad signum speciale confusiuum. Vnde hæ sunt cõtradictoriæ, ad

riæ,ad equitandum requiritur equus,& non ad equitandum requiritur equus, vel ista,Ad equitandum non requiritur equus. De distributione completa & incompleta quę fit circa ista signa specialia confusionis dictum est in materia de distributione.

¶Ad quartum respondetur,concedendo quòd ambæ sunt veræ,& negando quòd sint contradictoriæ,tum quia sunt propositiones de modo loquendi incõsueto, tum quia ly animal in vtraq; est particularitas,& sic non seruatur lex contradictoriarum. Ad quartũ

¶Ad quintũ respõdetur concedendo illas esse veras in casu facili,& sit casus q; aliquis hõ cognoscat aliquid, sub ratione hominis vel animalis,vel alicuius superioris, non tamen sub ratione venientis,tunc ambæ sunt veræ, Et quando infers,ergo duæ cõtradictoriæ sunt veræ,nego sequelam.Ratio,quia ly cognoscit,non appellat æque amplè,& æquè restrictè, in vtraq; quod requiritur ad dandam contradictionem,in prima enim appellat restrictè sub ratione venientis, in secunda vero amplè,sub ratione venientis vel sub aliqua alia ratione sibi conuenienti,erit ergo contradictoria primæ, Aliquis homo cognoscit venientem, & non ista aliquis homo venientem cognoscit. Ad quintũ

¶Ad sextum,concedo quòd ambæ sunt veræ, sed nego quòd sint contradictoriæ, quia ly Homo debet distribui in negatiua,& particularizari in affirmatiua,& propter modum inconsuetum loquendi,ly Homo non distribuitur in negatiua Philosophus enim non dedit oppositionem propositionum de modo loquendi inconsueto,vel melius fortè dicendũ est quòd ista. A substantia omnis homo est æquipollet hijs,Aliqua substantia omnis homo est:& substãtia omnis homo est, quoad veritatem,& falsitatem,& sicut illæ duæ sunt falsæ ita ista,A substantia omnis homo est. Ad sextum

¶Ad vltimum in subalternis dico concedendo totum, quòd non est propria contrarietas nisi in sola quantitate. Ad septimum.

Caput.xvi.

¶De diuersa materia propositionum.

✠✠✠ QUoniam autem supra diximus, cõtrarias interdum simul posse falsas inueniri, subcontrarias autem simul veras: ad cognoscendum, que illarum possint aut nõ possint simul esse false aut vere, distinguitur triplex materia enunciationum, nempe naturalis, contingens, & remota. Per materiã autem totius enũciationis intelligimus ambo simul extrema, subiectũ & predicatũ, & secundũ habitudinẽ horũ duorũ adinuicem, sumitur ista distinctio materie. ¶ Propositio illa dicitur esse de materia naturali, in qua subiecto predicatũ conuenit essentialiter, vel vt minimum necessario. Ut cum gen⁹ predicatur de specie, species de indiuiduo, differentia de specie cõstituta, aut proprium de subiecto. Ut he enunciationes, Omnis homo est animal, Omnis homo est risibilis, Omne animal est sensibile, sunt ex materia naturali. De contingenti autem materia esse dicitur propositio illa, in qua predicatum subiecto conuenit contingenter, sic vt possit adesse & abesse. Huiusmodi est predicatio, accidẽtis de subiecto. Postremo, de remota materia dicitur esse illa propositio, cuius predicatũ non potest vere affirmari de subiecto Ut omnis homo est asinus. ¶ Ratio autẽ horũ nominum est satis manifesta. In primis enim enunciationibus, quia predicatũ se habet ad subiectũ naturaliter, hoc est essentialiter vel necessario, ideo de materia dicuntur esse naturali In secũdis, quia predicatũ se habet ad subiectum contingenter, de materia dicũtur esse cõtingenti. In tertijs quia predicatũ non potest cũ subiecto cõuenire, sed abinuicẽ sunt penitus remota & disparata. ideo merito de materia dicũtur esse remota siue disparata. ¶ His premissis, nota quod propositiones cõtrarie de materia naturali nõ possunt vnquam simul esse false, similiter nec in materia remota. In materia enim naturali semper affirmatiua est vera, imo necessaria. In materia autẽ remota, semper negatiuã oportet esse verã. Neque hic igitur neque illic, possunt ambe cõtrarie simul esse false, In materia autẽ cõtingenti, inueniri possunt ambe simul false. Ut, Omnis homo est iustus Nullus homo est iustus, Omne animal volat, Nullum animal volat. Proportionabiliter dicendum est de subcontrarijs, quod in naturali materia, aut remota simul non possunt inueniri vere: quoniã in naturali negatiua est impossibilis, & in remota affirmatiua item est impossibilis.



In materia autem contingenti simul possunt esse vere.

Caput. xvij.

¶ De equipollentijs propositionum.

POst oppositiones enunciationum, conuenientissimum videtur statim de earum equipollentia tractatum adiungere, quod equipollentiarum regule cognitionẽ recentẽ presupponant oppositionũ, vt statim patebit ex ipso regularũ pro hac re constituendarũ tenore. Consideremus autem hic propositiones equipollentes siue equiualentes, non ex parte ipsorũ terminorũ subiecti aut predicati, quo modo istas dicimus equipollere. Tullius dicit, Marcus loquitur: sed ex parte signorũ vniuersalium aut particulariũ, affirmantiũ & negantiũ certo modo & ordine adinuicẽ dispositorum. Ualet que huius equi-

Tres regulę pro ęquipollentijs

pollentię notitia, ad obscuriores propositiones alijs clarioribus exlucidandas. ¶ Ponũtur autẽ ęquipollentiarũ tres regulę. Prima regula, Si alicui signo vniuersali vel particulari pręponatur negatio, ęquipollebit suo cõtradictorio. Secunda, Si alicui signo vniuersali postponatur negatio, ęquipollebit suo cõtrario. Tertia. Si alicui signo vniuersali vel particulari pręponatur & postponatur negatio, ęquipollebit suo subalterno. ¶ Primę regulę hic est sensus, Si in aliqua ppositione pręponatur negatio alicui signo vniuersali vel particulari, illa tota enunciatio sic prępositam habens negationem ęquipollebit cum ea quę prioris sine negatione erat contradictoria. Exẽpli gratia, Omnis homo est iustus, antequam pręmittatur negatio, habet hanc contradictoriam, Quidam homo non est iustue, Nũc itaque, si libet adijce negationem priori ante signum vniuersale, dicẽdo Non omnis homo est iustus. Si hanc queris explicare per aliam claziorem ęquiualentem, cape illam contradictoriam prioris, Quidam homo non est iustus. Prorsus enim idem valẽt. Similiter ista, Quidam homo est iustus, hanc habet contradictoriam, Nullus homo est iustus. Si igitur pręponas negationem priori, dicendo, Non quidã homo est iustus, huius ęquipollens est illa prioris contradictoria, Nullus hõ est iustus. Oportet autẽ secundũ hanc regulam, negationem pręponi toti propositioni. ¶ Secunda regula sic est intelligenda Si in aliqua propositione signo vniuersali postponatur negatio, prędicatum negans, illa ęquipollebit ei quę prioris nondum postposita negatione fuerat contraria. Exempli gratia. Hę contrarię sunt, Omnis homo est iustus, Nullus homo est iustus. In prima si libet, postpone negationem, dicendo, Omnis homo non est iustus. Uis scire cui ęquipolleat? Illi scilicet contrarię prioris, Nullus homo est iustus. Ac rursum, in hac postpone negationem dicẽdo, Nullus homo nõ est iustus. Uis scire modo cui ęquipolleat? Illi nimirum prioris contrarię, Omnis homo est iustus. Notandum autem est in hac regula non fieri sermonem nisi de signis vniuersalibus. In particularibus enim secundum postpositionem negationis, specialis non sumitur ęquipollentia. ¶ Tertia regula sic est intelligenda, Si alicui propositioni geminam adijcias negationem, alteram ante signum vniuersale vel particulare, alteram post ipsum, illa ęquipollentem habebit eam quę erat subalterna prioris, in qua nondum adiecta erat gemina negatio. Ut istę sunt subalternę, Omnis homo est iustus, Quidam homo est iustus. Adde priori geminam negationem, hoc modo, Non omnis homo nõ est iustus. Uis scire cui ęquipolleat? Illi videlicet, Quidam homo est iustus. Ita vicissim hęc, Non quidam homo non est iustus, ęquipollentem habet illam primam, Omnis homo est iustus. ¶ Quanquam autem regulas istas iam exposuimus de propositionibus ipsis, facilius tamen signis applicantur, vt ipsa signa in se considerantur. Quemadmodum (exẽpli gratia) secundũ primã regulam, non omnis ęquipollet, quidã non: quoniam, quidam non, cõtradictorię opponitur signo omnis. Non quidam, ęquipollet nullus: quoniã quidã cõtradictorie opponitur signo nullus. Iuxta secundã

regulam omnis non, equipollet nullus: quoniam omnis, cui postponitur negatio, contrariatur signo nullus. Item, nullus non, simili ratione, equipollet, omnis. Iuxta tertiam regulam, nõ omnis nõ, equipollet quidam. Adijcitur prędictis & alia regula, ordine quarta, ex duabus prioribus velut contexta, Si duo signa vniuersalia negatiua ponantur in eadem propositione, alterum ex parte subiecti & alterũ ex parte prędicati, prius ęquipollet suo contrario, iuxta secundã regulam, & posterius suo contradictorio per primam. Exempli gratia In ista propositione, Nullus homo nullum animal est, duo ponũtur signa negatiua, Nullus & nullum: alterum ex parte subiecti, nullus: alterum ex parte prędicati, nullum. Assignando ergo huius propositionis ęquipollentem, pro primo signo ponendum est signum cõtrarium, omnis: pro secundo contradictorium, aliquod. Atque ita habetur ęquipollens, Omnis homo aliquod animal est. Sic ista, Nihil nihil est, ęquipollet huic, Quodlibet aliquid est. Ista, Ex nihilo nihil fit, huic, Ex quolibet fit aliquid. Hęc autem, Nihil ex nihilo fit, huic ęquipollet, Quodlibet fit ex aliquo. Ista, Nemo nusquam est, huic, Quilibet alicubi est. Nullus homo nunquam aberrat, isti, Quilibet homo aliquando aberrat. Omittimus autem hoc in loco prolixissimas, & mõstris adsimiles enũciationes in mediũ adferre, quod omnia fere quę in authoribus & vsu vulgato contingit occurrere, ad rẽ istam spectantia, his paucis abunde existimamus comprehensa.

Caput. xviij.

De conuersione propositionum.

PReter iam determinatas simplicium enunciationum proprietates, & oppositionem & ęquipollentiam, est alia nunc suo ordine paucis explicãda, quę vulgato nomine appellatur cõuersio. Quẽadmodum enim propositionibus conuenit, adinuicem opponi vel ęquipollere, sic & cõuerti, siue verti secundũ extremorũ transmutationem, ita vt ex subiecto fiat prędicatum, & ex prędicato subiectum. Est autem conuersio huiusmodi duplex, altera simplex, altera per accidẽs.

Simplex conuersio.

Conuersio simplex est, quando de subiecto fit prędicatum, & de prędicato subiectum, manente eadem quãtitate & qualitate propositionum. Hoc est, Tunc fit alicuius propositionis simplex conuersio, quando subiectum mutatur in prędicatum, & econtrario, sic vt nec quantitas mutetur, nec qualitas propositionis. Ut ista enunciatio, Nullus homo est animal, simplici conuersione conuertitur in istam, Nullum animal est homo. Quod enim in priori est subiectũ, est prędicatum in posteriori, & econtrario. Est insuper eadem quantitas vtriusque, quoniam ambę sunt vniuersales: eadẽ quoque qualitas, quoniã ambę sunt negatiuę. Sic ista, Quidã homo est animal, simplici cõuersione in hanc conuertitur, Quoddã animal est homo. Uniuersalis autem affirmatiua hoc modo nõ potest recte conuerti. Ut ista, Omnis hõ est animal, nõ recte conuertitur in istã, Omne animal est homo. In omni enim bona conuersione oportet propositionem cõuersam inferre ipsam in quam vel per quam cõuertitur, quę cõmu-

nitet appellatur conuertens. Manifestum est autem non valere hanc consequentiam, Omnis homo est animal: igitur omne animal est homo: cum antecedens sit verum & necessarium, consequens autem falsum & impossibile. Non item hac conuersione potest conuerti particularis negatiua. Et ista, Quoddam animal non est homo, non recte in istam vertitur, Quidam homo non est animal, Non enim hęc ad illam consequitur. Relinquitur ergo, solam vniuersalem negatiuam & particularem affirmatiuam conuerti simpliciter.

¶De conuersione.

¶Explanata materia conuersionis secundum textualem expositionem, pro clariori notitia exercitij gratia arguitur sic.

¶Nulla est conuersio propositionum, ergo insufficienter determinatur materia conuersionis à Logico, seu impertinēter quod sic probo, Omnis cōuersio vel est rerum significatarū, vel terminorū significantiū, vel propositionum ex ipsis cōpositarum, primum patet, quia pertinet ad physicum, secundū etiam patet, quia terminus non conuertitur in terminum, & si dicantur conuertibiles hoc est quia vnus verificatur de altero, & è contra, non tamen quia vnus conuertatur in aliū, sed tertium probo, scilicet, quòd non fit cōuersio propositionū, quia bene sequitur, hæc propositio, Homo est animal conuertitur in illam, Animal est homo, ergo prima corrumpitur & secunda generatur, quod est falsum, solius enim substantię est generatio, & corruptio probatur iterum, Corruptio enim vnius est generatio alterius, & è contra: vt habetur in libro de generatione, & corruptione. Pri. argu.

¶Secundo arguitur sic contra cōuersionem simplicem. Deus cōtingenter est creans, ergo deus cōtingenter non est creās, sunt propositiones particulares, tamē in conuersione illarū non manet eadem qualitas. Forte respondebis (sicut responderi est) quòd hæ propositiones sunt de contingenti specialiter capto quæ conuertuntur in oppositam qualitatem. Item hæc nō est propria cōuersio, cū de subiecto non fiat prædicatum & è contra. Sed contra hoc arguitur sic. In prima responsione ex vero sequitur falsum, ergo responsio nulla: Antecedens probo, Bene sequitur, conuertuntur in oppositam qualitatem, Deus contingenter est creans, ergo deus non contin- Ij. argumē.

genter est creans, ergo deus necessariò est creans, vel deus im possibiliter est creans. Sic enim exponitur propositio de contingenti negato, sed hæ sunt hæreticæ & impossibiles, ergo ex vero sequitur falsum in consequentia conuersionis.

iij. argu. ¶ Tertio sic. Omnis sol planeta non est, ergo omnis planeta sol non est. Prima est vera, secũda vero falsa, ergo ex vero sequitur falsum in cõuersione simplici. Quod prima sit vera patet per suam contradictoriam, Sol est omnis planeta, Quòd secunda sit falsa patet per suam contradictoriam, Planeta est omnis sol, quę est vera.

iiij. argu. ¶ Quarto sic. Quòd ex vero sequitur falsum, Nullus homo est Maria, ergo Maria non est homo, prima est vera, secunda falsa, ergo intentum.

Confir. ¶ Confirmatur, Nullus homo est omne animal, ergo nullum animal est homo, antecedens est verum, (vt patet,) & consequens falsum, ergo intentum.

v. argumẽ. ¶ Quinto arg. sic. Nullus homo falsé est animal, ergo nullũ animal est homo, antecedens est verum, & consequens falsũ, ergo conuersio simplex, vel modus arguendi est insufficiens.

vj. argumẽ ¶ Vltimo arg. Sic. Domus fit, ergo quod fit est domus, antecedens est verũ, in casu quòd incipiat fieri domus & nondum fit facta, & consequẽs falsum, ergo conuersio simplex est insufficiens modus arguendi, & sic non est consequentia formalis, vt communiter fertur.

¶ Pars responsiua.

Ad primũ. ¶ Ad primum respondetur per propositiones.

Pri. pro. ¶ Prima propositio, Determinatio conuersionis rerum pertinet ad physicum.

ij. propoſi. ¶ Secunda propositio, Conuertibilitas est passio terminorũ & non est præsentis tractatus.

iij. propo. ¶ Tertia propositio, Conuersio est passio propositionũ cathegoricarum de qua in proposito tractatur.

iiij. pro. ¶ Quarta prop. Propositio non dicitur conuerti in aliã, nisi secundũ modum expositũ in textu, quod ẽ facere de subiecto prędicatũ &c.

¶ Ad secundum, quando arguis, Deus cōtingenter est creās, &c. Respondetur sicut responsum est vsq; ad replicam, & ad ipsam replicam respondeo negando hanc consequentiā, Deus contingenter est creans, ergo deus nō cōtingenter est creans sed bene concedo istam, ergo deus contingenter nō est creās, & ratio diuersitatis est, quia ly contingenter debet manere vniformiter in vtraq; conuertibilium. Secundo dico quòd sicut ista disiunctiua, Deus necessariò est creans vel Deus impossibiliter est creans, est impossibilis, ita ista, Deus non contingenter est creans, cū sint ęquipollentes. Tertio dico quòd conuertens istius, Deus cōtingenter est creans, est ista, Quod contingenter est creans est deus, & conuertens istius, Creans necessariò est Deus, est ista, quod necessariò est deus possibiliter est creans. Et cōuertens istius, Deus impossibiliter est peccans, est ista, Quod impossibiliter est peccans est deus. Ad.ij.arg.

¶ Ad tertium respondeo, quòd illae propositiones sunt de modo loquendi inconsueto, de quibus non est modus cōuersionis determinatus à philosopho, sed sic deberent formari, vt vniuersalis negatiua conuerteretur in vniuersalem negatiuā omnis sol nō est planeta, ergo omnis planeta nō est sol. Ad.iij.ar.

¶ Ad quartū cōcedo antecedēs & nego sequelā & cōsequens similiter, & dico quod conuertens istius, Nullus hō est Maria, est ista, Maria nō est aliquis homo, ratio est quia termini debent stare pro tot, & tantis in vna sicut in alia, ly homo in prima stat pro solis masculis, & in conuertente debet etiā stare pro solis masculis, & ita, sicut prima est vera, ita ista Maria nō est aliquis hō, sed ista est falsa Maria non est homo. Ad.iiij.ar.

¶ Ad confirmationē dico, quòd illa nō est sua conuertens sed ista, Nihil quod est omne animal est homo. Ad confir.

¶ Ad quintū respōdetur q illa nō ē sua cōuertēs sed ista nihil quod falsē est animal, est hō, quae est vera sicut & antecedens. Ad.v.arg.

¶ Ad vltimū respōdeo q non bene conuertitur sed sic debet conuerti, ergo quod fit est vel pot est esse domus. Ad.vj.ar.

¶ Altera est conuersio per accidens, quę sic definitur. Conuersio per accidēs est, quādo de subiecto fit pr̄dicatū, & de pr̄dicato subiectum manēte quidē eadē qualitate, sed quātitate mutata. Et quotiens vniuersalis propositio conuertitur in particularem: Uniuersalis qui- Conuersio per accidens.

dem affirmatiua, in particularem affirmatiuam: Uniuersalis autẽ negatiua, in particularem negatiuam. Ut ista, Omnis homo est animal recte conuertitur in hanc. Aliquod animal est homo. Ubi qualitas manet eadẽ, quia ambę sunt affirmatiuę, sed quãtitas est diuersa, quonia altera est vniuersalis, altera particularis. Itẽ ista, Nullus hõ est animal, recte cõuertitur in hanc, Aliquod animal nõ est homo. Particularis autẽ, siue affirmatiua, siue negatiua, non potest sic conuerti, quoniã ex particulari non potest inferri vniuersalis conuertẽs. Nõ enim sequitur, Quidã homo est animal, igitur omne animal est homo. ¶ Ratio autẽ harum nominationum, quare prior conuersio dicatur simplex, posterior per accidens, videtur ex hoc desumpta: quia in cõuersione simplici cõuertẽs infertur immediate ex cõuersa, nõ gratia alicuius illationis intermedię. In conuersione autẽ per accidens conuertens ex conuersa non immediate, sed quasi per medium alicuius, infertur. Exempli gratia, Ista propositio, Omnis homo est animal, non videtur immediate ex se inferre hanc, Quoddam animal est hõ: sed immediatius videtur inferre, iuxta subalternarũ legẽ, hãc suã subalternam, Quidam homo est animal, Et quia ad hanc, Quidam homo est animal, simplici conuersione sequitur ista, Quoddã animal est homo, hinc quasi per medium, illa posterior conuertens sequitur ad primam, quę est cõuersa. Secundum naturalem enim & immediatum ordinem argumentando ab alia ad aliam, sic foret procedendũ, Omnis homo est animal, igitur aliquis homo est animal: & si aliquis homo est animal, igitur aliquod animal est homo. A primo ergo ad vltimum valet illatio, Omnis homo est animal igitur, quoddam animal est homo. Ita vniuersalis negatiua non immediate infert particularem conuertentem, sed immediatius infert vniuersalem negatiuam, per quã conuertitur simpliciter. Ex ista enim, Nulius homo est brutum, sine medio infertur ista, Nullum brutũ est homo, ac deinde ex ista infertur tertia, Aliquod brutum non est homo. In conuersione autem simplici, non videtur inter conuertentem & conuersam aliquod medium. Unde ista, Quidam homo est animal, sine medio infert istam, Quoddam animal est homo: & ista, Nulius homo est brutum, hanc, Nullum brutum est homo. Ideo scilicet, ista conuersio vniuersalis negatiuę in vniuersalem negatiuam, & particularis affirmatiuę in particularem affirmatiuam, dicitur simplex. Conuersio autẽ vniuersalis affirmatiuę in particularẽ affirmatiuã, & vniuersalis negatiuę in particularem negatiuam, dicitur conuersio per accidẽs.

Contra conuersionem per accidens specialiter arg. sic.

Pri. argu. ¶ Primo. Omnis meretrix erit virgo, ergo quod erit virgo est meretrix. Antecedens in casu potest esse verum & consequens falsum, ergo consequentia nulla. Et sit casus quòd tertio cras fiant virgines meretrices, antecedens est verum, consequens est falsum vt notum est.

¶Secundo arguitur sic. Ex congruo sequitur incongruum, ergo modus arguendi nullus. Anteced͂es probo, Ego sum om nis homo, ergo omnis homo est ego, in casu quòd sim solus in mundo, antecedens est verum & congruum, consequens est incongruum, & prima persona prædicatur de tertia. ij. argum͂e.

¶Tertio sic argu. Ad omnem equitatum requiritur equus, ergo equus requiritur ad omnem equitatum, antecedens vide tur verum cum non fiat equitatio sine equo, sed consequens est falsum, ergo patet per suam contradictoriã, Nullus equus requiritur ad equitandum, ergo illa est falsa, Equus requiritur ad equitandum. iij. argum͂e tum.

¶Quarto sic. Parisius & Romę venditur piper, ergo piper v͂e ditur Parisius & Romæ, antecedens asseritur verum communiter, & consequens falsum, cum nullum piper vendatur Parisius & Romæ. iiij. argu.

¶Quinto sic. Posito quod, a, in nulla propositione sit prædicatum, non videtur qualiter ista cõuertatur, Nullum a est prædicatum, quia si conuertitur in illã, Nullum prędicatum est a iam est contra casum, ergo modus cõuersionis est insuffici͂es. Item non videtur qualiter istæ conuertantur, tædet animam meam vitę meæ, campana pulsatur, pluit, tonat, grãdinat, & similes. v. argum͂e.

¶Pars responsiua.

¶Ad primum respondetur quòd illa non est sua cõuertens, sed ista, quòd erit virgo, est vel erit meretrix. Ad primũ.

¶Ad secundum respondeo quòd sic debet cõuerti, Omnis homo est Petrus posito quòd ly ego in anteced͂eti supponat pro Petro. Ad.ij.

¶Ad tertium respondeo concedendo anteced͂ens & negando sequelã, & dico quòd illa non est sua cõuertens, sed ista, Equus possibiliter habetur ad equitandum, vel ista æquus requiritur ad equitandum. Ad.iij.

¶Ad quartum respondetur quòd illa propositio potest resolui sic, Vtroq; istorum locorum venditur piper, & tunc sua cõuert͂es erit ista: quod venditur in altero istorum locorum est Ad.iiij.

piper, vel Parisius & Romæ venditur piper, ergo a Piper venditur Parisius & Romæ, vel sic tertio, Piper venditur Parisius vel Romæ: quia multitudo importata per copulatiuam, con iunctionem, in conuersa debet resolui in multitudinem impor tatam per disiunctiuam coniunctionem.

Ad v. arg. ¶ Ad Quintum respondetur quòd casus repugnat modo con uersionis, & sic fortè non est admittendus. Secũdo dico quòd conuertitur in istam, Nullum prędicatum est, a, & si oppo nens arguat, quòd est contra casum, debes respondere quód ve rum est, sed debes negare quòd, a, sit prædicatum in illa pro positione, & quotiens petat conuertentem debes dare illi il a m, & negare te dare talem conuertentem repugnantem casui sicut fit in insolubilibus.

Conuersio per contrapositionem ¶ Prędictis quoque adijcitur tertius modus conuersionis, qui dici tur per contrapositionem, quę sic definitur. Conuersio per contrapo sitionẽ est, quando de subiecto fit prędicatum, & de prędicato subiectũ seruata eadem qualitate & quãtite, sed mutatis terminis finitis in in finitos & econtrario. Ut ista, Omnis homo est animal hęc conuersio ne in istam conuertitur, Omne non animal est non homo. Ubi mani festum est in vtraque esse eandem quantitatem, cum sint ambę vniuer sales: eandem quoque qualitatẽ, cũ sint ambę affirmatiuę: sed in prima subiectum & prędicatum sunt termini finiti, in secunda ambo sunt ter mini infiniti, nempe non homo & non animal. Hoc autem modo con uertuntur propositiones, vniuersalis affirmatiua & particularis nega tiua. Dicitur autem ista conuersio per contrapositionem: eo quod fiat secundũ terminos oppositos, & contradictorios. Termin9 enim infinitus, contra opponitur & contradicit termino finito. Proprie ta men non meretur conuersionis nomen, quoniã in cõuersione proprie dicta oportet eadem prorsus esse extrema, ordine conuerso disposita vt subiectũ vnius sit alterius prędicatum, & econtrario, quod non est in prędicta conuersione. Extrema enim cõuersę sunt duo termini fini ti, extrema autem conuertentis sunt, termini infiniti. ¶ Et generaliter in omni conuersione hoc diligenter obseruãdum est, vt totũ subiectũ vnius sit prędicatum alterius, & totum prioris prędicatũ alterius sub iectum. Unde si quis hãc velit conuertere. Petrus videt Paulũ, nõ assignabit hanc pro conuertente, Paulus videt Petrum (Non enim hęc ad illam consequitur) sed istam potius assignabit, Uidens Pau lum est Petrus. Item ista, Petrus est in domo, non vertitur in hanc domus est in Petro, sed in istam, Existens in domo est Petrus, Ita in alijs semper est diligenter ad extrema considerandum.



¶ Contra conuersionem per contrapositionem, specialiter arguitur.

¶ Primo sic, Omnis homo est existens, ergo omne non existens est homo, antecedens potest esse verum, & de facto est verum pro omnibus existentibus, consequens est falsum cum Antichristus sit non existens, tamen non est non homo. Primum argumentū

¶ Secundo sic. Quędam chimera non est homo, ergo quoddam non homo est chimera, antecedens est verum cum sit ꝑ positio negatiua cuius subiectum non supponit. Ad hoc dicitur quòd bene probat, quia conuersio per contrapositionem non est consequentia formalis, maximè quando prædicatum est transcēdens, vt homo est ens, ergo non ens non est non homo. Secundo quando subiectum pro nullo supponit: vt, chimera non est homo. Tertio quando importat in se rationem impossibilem, vt homo est irrationalis. Quarto dicitur quòd propositio vniuersalis negatiua non conuertitur formaliter in particularem negatiuam de terminis transpositis, licet bene inferat illam, Scotus libro primo, dist. xxi. in solutione vltimi argumenti in forma. ij. argumē:

¶ A quodam ponitur hęc propositio, Nullus lapis est homo, ergo aliquis lapis non est homo, bene infert illam, sed non conuertitur in illam. Non enim sequitur. Aliquis lapis non est homo, ergo nullus homo est lapis, cum antecedens sit verum & consequens falsum. Patet, quia Christus est homo, & Christus est lapis, de quo inquit Psalmista. Lapis quem reprobauerunt ædificantes factus est in caput anguli.

Caput. xix.

¶ De propositionibus hypotheticis.

POst absolutum vtcunque tractatum de simplicibus enunciationibus (his exceptis quę modales appellantur, de quibus posterius agetur) ratio ordinis videtur exposcere, vt pauca quędā de enūciationibꝰ cōpositis siue cōiunctis dicamus, quę (vt supra diximꝰ) ex pluribus constant simplicibus enunciationibus cōiunctionali aliqua

particula adinuicem coniunctis, propter quod ab Aristotele appellantur enunciationes coniunctę. Alij vero hypotheticas appellant, idest, conditionales, speciei vocabulo ad genus trāslato, cum proposito hypothetica siue conditionalis, sit species pręcipua ꝓpositionis coniunctę. ¶ Diuiditur autē propositio coniuncta, in propositionem conditionalem, copulatiuam, & disiunctiuam. Quarum specierum distinctio sumitur ex dictione coniunctionum simplices enunciationes connectentium, per quas & definiuntur hoc modo, Propositio conditionalis est illa, in qua coniunguntur duę propositiones cathegoricę per coniunctionem conditionalem. Propositio copulatiua est, in qua cōiunguntur duę cathegoricę per coniunctionem copulatiuā. Propositio disiunctiua est, in qua coniunguntur duę cathegoricę per coniunctionē aliquam disiunctiuam. Ut hęc est cōditionalis, Si pater est, filius est. Hęc est copulatiua, Deus est verax, & homo est mendax. Hęc est disiunctiua, Iustus saluabitur, vel mendax est Deus. In singulis enim videntur duę enunciationes simplices, adinuicem coniunctę per coniunctionalem particulam. ¶ Quantū vero ad propositionem conditionalē, specialiter hoc notandum est, non esse necessarium vt ipsa explicite duas habet simplices enūciationes, quę sigillatim sumptę per se sint verę enunciationes, verū aut falsum significantes: sed sufficit quod in conditionali positę orationes locū obtineāt verarum enunciationum, sic vt tota oratio coniūcta non aliud significet, quam si duę enunciationes formaliter verum aut falsum significātes, earum loco essent suppositę. Quod dicimus exemplo clarebit. Cum dico, Si lapis esset homo, lapis esset animal: proculdubio: tota hęc enunciatio veritatem continet, & enūciatio vere est cōposita. Neutra tamen pars per se sumpta, formaliter verum aut falsum explicat. Cum enim dico, Lapis esset homo, lapis esset animal (quoniam verbo non vtor indicatiui modi) verum aut falsum nō indico. Attamen propter naturam & vim conditionalis coniunctionis, propositionū locū obtinent illic positę, suntq; propositionū formaliū velut vicarię. Idem enim illa valet quod ista, Si lapis est homo, lapis est animal. Non autē inuenitur hoc in copulatiuis aut disiunctiuis enūciationibus. Nā si dixeris, Deus esset bonus & homo esset malus, neque verū, neque falsum tota indicat oratio. Ratio autē diuersitatis est, ex natura diuersa cōiunctionum. ¶ Sciendū quoque est ꝓpositiones istas cōiunctas non habere quātitatem, idest, nō dici vniuersales vel particulares, indifinitas aut singulares. Sumitur enim quātitas secundum rationē subiecti, quod sic vel sic, idest, cum signo vniuersali vel particulari, vel absque vtroq; ponitur. In his autē enunciationibus, non est cōsideratio subiecti aut prędicati. Qualitas autē, idest, affirmatio & negatio vtiq; inuenitur in eis. Quę sumitur nō ex affirmatione, vel negatione partiū, sed tantū ex affirmatione vel negatione copulę cōiunctionalis. Ita enim se habet cōiunctionalis copula in ꝓpositionibus istis cōpositis, quomodo se habet copula verbalis in simplicibus: & ita se habēt in cōpositis duę ꝓpositiones simplices, quomodo in simplicibus extrema, subiectū & prędicatū. Unde hic copula cōiunctionalis

Quid propositio cōditionalis copulatiua & disiunctiua.

+ + +

habet rationem formę, & duę simplices enunciationes rationem materię, sicut illic verbalis copula formę rationem obtinet, duo autem extrema rationem materię. Unde quemadmodum in simplicibus considerata est affirmatio & negatio, non ex parte subiecti aut predicati, sed ex parte verbalis copulę, sic in istis compositis sumenda est affirmatio & negatio, non ex partibus, sed ex coniunctionali copula. Unde ista est negatiua enunciatio, Non si animal est homo est, quoniam si coniunctio negatur, quamuis vtraque pars maneat affirmatiua. In partes enim non agit illa negatio, sed in totam ipsam enunciationem & immediate in ipsam fertur coniunctionem. Contra hęc est affirmatiua enunciatio, Si animal non est, homo non est: cum tamē vtraque pars sit negatiua, eo quod pręcipua copula coniunctionalis, si, manserit intacta. ¶ Ex eo autem quod iam dictum est, solam qualitatem in hypotheticis considerari, non etiam quantitatem, sequitur & alterū nimirū quod sola oppositio contradictoria in eis inueniatur, nō autē contraria, subcōtraria aut subalterna. Cū enim istę tres oppositiones sumantur secundū diuersam quātitatē, manifeste consequens sit, vbi nō est quātitas nō illic talium oppositionū aliquam reperiri posse. Contradictio vero, ex sola potest qualitate inueniri, quemadmodū in propositionibus patet de subiecto singulari: quę ambę cum sint eiusdem quantitatis, opponuntur tamen contradictorię. Quod siquis putet, ex partium oppositione tali vel tali, ipsam quoque totam hypotheticam sic aut sic opponi, errabit, qui id asserere tentauerit. Ista enim cōditionalis, Si omnis homo est animal rationale, omnis homo est capax disciplinę, non est contraria huic, Si nullus homo est animal rationale, nullus homo est capax disciplinę. Sunt enim ambę simul verę. Ista item copulatiua. Aliquis homo est animal rationale, & aliquis homo est animal irrationale, non subcontrariatur huic. Aliquis homo non est animal rationale, & aliquis homo non est animal irrationale. Ambę enim sunt simul falsę quod est contra naturam subcontrariarum. Ista quoque, Si dies est, non est nox, non est huius contradictoria. Si non est dies, est nox. Ambę enim sunt simul verę. Similiter de his disiunctiuis dicendum, Vel dies est, vel nox est, vel nō est dies vel non est nox.

¶ Pro hypotheticis propositionibus nota, quòd vltra textum aliqua sunt inserenda pro maiori declaratione materiæ, & primum notandum est quòd si, potest capi tripliciter. *Si, capitur tribus modis.*

¶ Primo conditionaliter: vt, si haberem equum libenter equitarem. *Si conditionaliter.*

¶ Secundo promissiuè, vt si veneris ad meridiem tueris optimo poculo refocillatus. *Si promissiue.*

¶ Tertio illatiuè, vt si asinus haberet alas volaret. Primus modus, & secundus faciunt propositionem conditionalem largo *Tertio modo capitur si illatiue.*

modo sumptam, tertius vero propriè dictam.

¶ Secundo notandum est, quòd propositio conditionalis ponit tantum conditionaliter veritatem sui consequentis non absolutè, videlicet, quòd si antecedens sit verum, denotet consequutionē vnius propositionis ad aliam, vt, si homo currit, homo mouetur, si effectus est, causa est vel fuit.

¶ Tertio notandum est quòd non omnis propositio cōditionalis habet ly. Si, pro copula, sed aliquādo aliquid æquiualēs vt est, ergo & igitur, vel aliquid aliud. Item, ad veritatem cōditionalis exigitur quòd antecedens non possit esse verum cō sequētie existente falso. Vnde omnis cōditionalis vera est necessaria. Pro quo nota, quod duplex est necessitas, necessitas consequentiæ, & necessitas consequentis, necessitas cōsequētiæ est, quando impossibile est ita esse sicut per antecedens significatur, quin ita sit sicut per consequens significatur, vt si lapis est homo, homo est lapis. Sed necessitas consequentis est, quando consequens est propositio necessaria vt Sortes currit ergo Sortes est risibilis. Ad veritatē igitur cōditionalis nō est necessaria secunda necessitas, putà, quod consequens sit necessarium, sed requiritur primum, scilicet quod consequens necessariò sequatur ex antecedenti. Item nota quòd copulatiua se habet, sicut totum integrale, ad cuius compositionem requiritur compositio cuiuslibet partis principalis eius, & ad falsitatem sufficit deffectus vnius partis, vt domus non est nisi habeat omnes partes, quia deficiente vna, domus non est, & sic copulatiua requirit omnes partes veras ad sui veritatē & sufficit deffectus vnius partis. Similiter disiunctiua se habet sicut totum vniuersale, vt animal; quia ad compositionem eius sufficit positio vnius vel alterius partis subiectiuæ: vt, est bos, capra, vrsus, & cætera. Quę sunt partes subiectiuę animalis.

¶ Sed cōtra dicta arguitur sic. Primo, Si hominis est pœnitere hominis est mœreri, secundum dicta hęc conditionalis est vera, sed hoc est falsum, falsitas consequentis patet primo quia nulla pars est propositio, secundo quia quęlibet est de extremis obliquis, ex quibus nulla enuntiatio constituitur.

Duplex necessitas. Necessitas consequentię.

Necessitas cōsequētis

Primum argumentū

¶ Secundo arguitur sic, Si nulla propositio est negatiua, aliqua propositio est negatiua. ij. argu.

¶ Confirmatur. Si asinus volaret, asinus haberet alas. Confir.

¶ Tertio arguitur sic, Aliquod animal est & si tu es illud tu es asinus, antecedens est verum, patet per suam contradictoriã falsam putà, Nullum animal es, tamẽ cõsequens est falsum: vt patet. iij. argu.

¶ Quarto argu. sic. Petrus qui currit disputat, hęc est propositio hypothetica, patet, componitur ex duabus cathegoricis, ergo antecedens verum, tamẽ partes non coniunguntur per aliquam coniunctionem, ergo diffinitio propositionis hypothetic ę mala. iiij. argu.

¶ Ad primum respondetur concedendo antecedens, & quòd illa conditionalis sit vera, & nego minorem, & ad probationem dico, quòd ad veritatem cõditionalis sufficit quòd sit bona consequentia. Et ad probationem dico, quòd licet partes non sint propositiones cathegoricę, nec etiam de extremis rectis sufficit quòd sint reducibiles ad propositiones de extremis rectis, videlicet ad istã, Si homo pœnitet, hõ mœretur. Ad primũ.

¶ Ad secundum dico (negando veritatem illius conditionalis) quòd est falsa. Et si arguas, antecedens non potest esse verum sine consequẽte, hoc distinguo, vel intelligis quòd antecedens non potest esse propositio vera & sic concedo, vel intelligis quòd non potest esse ita sicut per antecedens significatur, & non est ita sicut per consequens significatur, & sic nego. Ad. ij.

¶ Ad confirmationem dico illam esse veram, & conditionalem, & necessariam, Ad confir.

¶ Ad tertium concedo antecedẽs quòd aliquod animal es, & distinguo ly illud, quia vel refert restrictè vel non, si autẽ refert restrictè, nego sequelam, quia sensus est, si aliquod animal est & tu es illud animal quod est, tu es asinus quod est falsum, & sic est mala cõsequẽtia & si loco relatiui ponatur suũ antecedens, etiã est falsa conditionalis, cuius sensus est, aliquod animal est, & animal quod est es tu, & reducitur ad vnã copulatiuam veram, Ad. iij.

Ad.iiij. ¶ Ad quartum. Petrus currit,&c, Hæc est propositio hypothetica, nego antecedens,& ad probationem respondeo ponēdo propositiones.

Que regule relatiui qui, quę, quod. ¶ Prima quādo ponitur qui, quæ, quod, inter copulas verbales ęquiualet, Et ille: vt Petrus currit qui disputat resoluitur in istam copulatiuam, Petrus currit,& ille disputat.

¶ Quādo qui, quæ, quod ponitur intra partes subiecti, seu antecopulas, est mere cathegorica de subiecto implicationis, vt Sortes qui currit disputat, totum hoc Sortes qui currit est subiectum, exempla sunt facilia de quæ & quod.

Obiectio. ¶ Si quis Arguat, Hæc propositio Christus non est crucifix⁹ quādo Adam fuit videtur hypothetica tamen ex antecedēte vero sequitur consequens falsum. Probatur minor, Christus non est crucifixus quando Adam fuit, ergo Christus non est cricifixus & Adam fuit, hæc est vna copulatiua falsa, ergo ex vero antecedēti sequitur consequens falsum.

Solutio. ¶ Respondeo quód non bene reducitur sed sic est reducenda, in aliquo tempore Adam fuit & in eodem tempore Christus non est crici fixus, quę est vera.

Caput.xx.

¶ De veritate aut falsitate propositionum hypotheticarum cognoscenda.

Quomodo autem veritas vel falsitas harum enunciationum cognosci debeat, diligenter est notandum. Ad veritatē enim conditionalis affirmatiuę requiritur hoc tantum, vt altera recte sequatur ex altera, consequens videlicet ex antecedēte. Ut hęc est vera, Si homo est, animal est, quoniam posterior illa recte ex priori infertur. Non autē requiritur vllius partis veritas. Ista enim, si lignū est homo, lignum est animal, vera est conditionalis, vtraque tamen eius pars euidentissimę est falsitatis. Propter quod vulgo dici solet propositionem conditionalem nihil ponere, id est, nullā partē vt veram astruere, sed tantum sequelam indicare vnius partis ex altera. Ad veritatem autem conditionalis negatiuę satis est, non esse bonā illationem consequentis ex antecedēte. Ut ista est vera, Non si leo animal est, leo est homo. Quę sic potest explicari, Non est consequens, si leo animal sit, ipsum esse hominem. ¶ Ubi nota, in omni conditionali esse antecedens & consequens. Antecedens est illa propositio, ex qua significatur alia inferri. Consequens vero, illa quę significatur inferri ex altera. In cōditionali illa est antecedēs, quę statim post cōiunctionē ponitur,

ponitur, siue precedat, siue sequatur. Ut cum dico, Si homo est, ani-
mal est, ⁊ iterum, animal est, si homo est, vtrobique homo est dicitur Que ratio
antecedens, altera consequens. ¶ Sub conditionali autem proposi- nalis, ⁊ que
tione, solent cōprehendi rationalis ⁊ causalis. Rationalis est, cuius causalis.
partes coniunguntur per coniunctionē rationalē, Ut ista, homo est, ergo animal est. Pater est, igitur filius est. Causalis dicitur, in qua partes per coniunctionē causalē coniunguntur, vt, Quia sol lucet, dies est. Ad veritatem autē rationalis amplius aliquid requiritur, quam ad veritatem cōditionalis. Nam preter bonam illationem antecedentis ex consequente, requirit insuper vtriusque partis veritatē. Ut ista est vera, Homo est, igitur animal est, quia bona est illatio, ⁊ vtraque pars est vera. Ista autē falsa est, Lignū est homo, igitur lignum est animal: quoniā licet bona sit illatio, partes tamen false sunt

¶ Amplius vero ad veritatem causalis, dum propriissime accipitur coniunctio, requiritur vltra bonam illationē ⁊ vtriusque partis veritatem, quod veritas antecedentis sit causa veritatis consequentis. Unde ista est falsa, Quia homo risibilis est, ideo ⁊ discipline capax est. Est tamen illatio bona alterius ex altera, ⁊ ambe partes vere sunt, sed quia antecedens nō ponit caussam veritatis consequentis, ideo tota causalis veritate caret. Ista autem est vera, Quia homo est rationalis, est ⁊ capax discipline siue beatitudinis. Hic enim antecedēs explicat causam veritatis ipsius consequentis. ¶ Ad veritatem autē propositionis copulatiue affirmatiue requiritur, vtranque partem esse verā: falsa autem erit, si altera partiū fuerit falsa. Ut hec est vera, Deus est bonus, ⁊ homo est malus. Similiter ⁊ ista, Quidam homo est probus, ⁊ quidam homo non est probus, quoniam partes earum ambe sunt vere. Ista autem est falsa, Homo est animal, ⁊ Deus non est, quoniam altera pars est falsa. Item ⁊ ista, Homo non est animal, ⁊ Deus non est bonus, vbi vtraque pars est falsa. Ubi ⁊ hoc specialiter notandum est, posse dari copulatiuam impossibilem, cuius ambe partes sunt possibiles. Ut omnis copulatiua composita ex propositionībus contrariis aut contradictoriis contingentibus, cuiusmodi est ista, Omnis homo sedet, ⁊ nullus homo sedet, vel aliquis homo nō sedet. Ambe partes sunt possibiles, tota tamē est impossibilis. Oportet autem ad possibilitatem totius copulatiue, non solum possibiles esse ambas: sed etiam cōpossibiles, ita vt possint ambe simul esse vere. Ad veritatem autem copulatiue negatiue sufficit, alteram partem non esse veram. Ut hec est vera. Non homo est animal, ⁊ Deus est mendax. Que sic explicatur, Non est verum simul, ⁊ hominem esse animal ⁊ Deum esse mendacem. ¶ Subcopulatiua autem propositione, solent constitui propositiones temporales ⁊ locales, item ⁊ ille que aduerbium habent similitudinis: que omnes in propositiones copulatiuas vidētur resolui. Ut ista est temporalis, Quando postulat homo, Deus exaudit. Ista est localis, Ubi duo sunt congregati in nomine Domini, illic ipse est in eorum medio. Prior sic resoluitur in copulatiuā, Aliquando homo petit, ⁊ tunc Deus exaudit. Posterior sic, Alicubi duo sunt congregati in nomine Domini: ⁊ illic ipse

adest in corum medio. Ista autem adverbium habet similitudinis, sicut erga proximum se gerit homo, ita erga eum se geret Deus: sicque resolvitur, Homo aliquo modo se habet erga proximū suum, atque hoc modo se habebit Deus erga illum. ¶ De disiunctiva autem propositione varię videntur loqui recentiores & antiqui. Ad veritatem disiunctivę putant recentiores sufficere si altera sit vera, nec obesse si ambę sint verę. Unde istam dicunt veram disiunctivam, Homo est animal, vel arbor est substantia. Secundum veteres autem, videntur disiunctivę verę partes, altera veritatem continere, altera vero falsitatem: ita ut si pars altera sit vera sit altera falsa, & econtrario. Ut ista est proprie disiunctiva vera, Aut dies est, aut nox est. Petrus est homo, vel Petrus non est homo, est homo vel est brutum. Cui sententię satis consonat appellatio nominis quo coniunctionem disiunctivam dicimus ab officio, scilicet disiungendi partes secundum veritatem & falsitatem. Unde iuxta hanc sententiam, ad veritatem disiunctivę requiritur, alteram partem tantum esse veram, alteram autem falsam. Ad falsitatem autem requiritur, utrāque partem falsam esse, aut utranque partem veram. Atque hanc sententiam facile videbit ex veterum animo esse, qui formulas argumentationum ab eis traditas, secundum huiusmodi hypotheticas propositiones, diligenter considerauerit, de quibus & posterius in libro sequenti tractabitur.

Caput. xxi.

¶ De propositionibus quę modales vocantur.

Totū hūc de modalibus tractatū sine gravi dāno lector festinus transilire poterit, ad finē usque libri.

Inveniuntur autem & alię quędam enunciationes simplices, ratione certorum quorundam modorum peculiarem difficultatē habentes, quantum ad oppositiones & ęquipollentias, quę secūdum regulas enunciationum simpliciū suprapositas, non possunt examinari. Propter quod earū determinatio in hunc usque locū, in extremā scilicet libri huius partem, consulto est reservata. Sunt autē modi isti peculiaris difficultatis authores quatuor, nempe possibile, cōtingens, impossibile, & necesse. A quibus, modales dicuntur enunciationes, quę modorum illorum aliquem in se habent. ¶ Assignantur autem interdum adverbialiter hoc modo, possibiliter, contingēter, impossibiliter, necessario, Aliquando nominaliter, hoc pacto: possibile, cōtingēs, impossibile, necessariū, vel necesse. Ac rursum, interdū separatim ex altera parte constituuntur, non intra partes dicti. Ut cū dico, Hominē esse iustū est possibile vel cōtingens, Interdū vero locantur intra partes ipsius dicti. Ut cū dico, Hominē possibile est esse iustū. Hominē impossibile est volare. Hominem necesse est spirare, Dictū hic appellatur, aggregatū ex accusativo & verbo infinitivi modi. ¶ In his autem ponunt recentiores talem differentiā, ut eas quę modum habent adverbialem vel nominalem intra partes dicti cōstitutū, vocent modales divisas: illas autem quę partes dicti habēt cōiunctas, & modū separatim positū, appellent modales cōpositas, Exēpli gratia. Propositiones istas appellāt modales cōpositas,

Hominem esse iustum est possibile, est contingens, est impossibile, est
necessarium, neque refert, si modi præponantur, hoc modo, Possibile
est hominē esse iustum. Atque in his modos ita solent explicare, vt
possibile idem sit quod propositio possibilis. Impossibile idē quod
propositio impossibilis: necesse idem quod ꝓpositio necessaria. Vn-
de huius propositionis, hominē esse iustum est possibile, sensum hūc
assignant, Hæc enunciatio est possibilis, homo est iustus. Diuisæ autē
modales hę erunt, Hominem possibile est esse iustum. Hominem im
possibile est volare. ¶ Similis fere distinctio videtur ponenda, & in-
ter eas quę de modo sunt aduerbiali. Et si inter subiectum & prædica-
tum ille diuidat, faciet diuisam: si vero ab altera parte se teneat, sub-
iectum vero & prædicatum simul coniungantur, compositam. Et hę
sunt modales diuisę, Homo possibiliter est iustus. Homo impossi-
biliter est brutum. Homo necessario est animal. Istę vero composi-
tę, Possibiliter homo est iustus, Impossibiliter homo est brutum,
necessario homo est animal. ¶ Neque vero modicam esse arbitran-
tur hanc differentiam modalium compositarum a diuisis, quoniam
interdum compositam contingit esse falsam, diuisa ex eisdem termi-
nis composita, existente vera, & econtrario. Has enim diuisas, Al-
bum possibile est esse nigrum, Iustum possibile est esse iniustum, appa
ret esse veras. Significatur enim, id quod modo est album, posse a-
liquando habere in se nigredinem, & nigrum denominari: item, eum
qui modo virtutem habet, posse illam perdere, ac vitiosum fieri. At-
que ita dubio procul res se habet. Si autem coniunxeris partes, & mo
dū separatim constituas, hoc modo, Possibile est albū esse nigrū, pos
sibile est iustum esse iniustum: aut vertendo, Albū esse nigrū est possi-
bile. Iustū esse impiū est possibile, falsitas videtur his pronūciatis in-
esse: quoniā hoc videtur significari, quod possibile aliquādo sit, vt al
bum sit nigrum, aut iustus sit impius, cū sint hęc impossibilia. Idē vi-
detur dicendum de istis, Possibiliter albū est nigrum, & albū possibi-
liter est nigrū: Possibiliter iustus est impius, & iustus possibiliter est
impius. Priores enim falsę videntur, posteriores verę. ¶ Hāc autem
distinctionē modalis cōpositę & diuisę, alij veterū dictis pertinacius
inhęrētes minime approbant, prorsusque reijciunt, eo quod nō videa
tur Aristoteles in hoc tractatu nisi de cōpositis modalibus facere ser
monem. Verū hi posteriorū diligentiam nimium mordaciter redar-
guentes, non omnino iuste id faciunt. Tametsi enim verum, Aristo-
telē hoc loco nō nisi de modalium cōpositarū oppositionibus & ęqui
pollentijs specialium facere tractatum, eo quod modales diuisę per
omnia subiaceant legibus supra alijs simplicibus enunciationibus as-
signatis, non tamen ex hoc consequens est, fictitiam & vanam omnino
esse distinctionem illam inter compositas & diuisas modales. Imo
vero quisquis aures diligenter consuluerit, & proprietates sermonū
exactius perpenderit, facile percipiet inter cōpositas & diuisas nonni
hil secundum significationē esse distantię, & verā esse alteram sine alte
ra aut falsam deprehendet. Non omnino igitur irridendi videntur,
qui sic modales ex modi varia constitutione distinguunt. Sed &

hoc fatendũ est, in pręsenti tractatu de cõpositis pręcipue fieri sermonẽ. In his enim peculiaris latet difficultas, non diuisis quę per omnia (vt iam dictum est) leges sequuntur simplicium enunciationum, quas de inesse solent appellare. Quibus proinde supersedentes, de compositis dicamus.

Caput. xxii.

¶ De ęquipollentia modalium compositarum.

Et primum quidem de earum inter se ęquipollentia siue consequentia, posterius de oppositione, videndum. Est itaq; aduertendum, vnamquanq; modalem compositam quemcunq; tandem habuerit modum quatuor modis posse efferri. Primo quidem, prorsus affirmatiue, ita vt neq; ad verbum dicti neq; ad modum ponatur negatio. Ut hominem esse iustum est possibile, est cõtingens, est impossibile, est necessarium. In omnibus enim his, nulla negatio, neque ad verbum dicti, neq; ad modum ponitur. Secundo constituendo negationem ad verbum dicti, modo tamen non negato. Ut, hominem non esse iustum est possibile, est contingens, est impossibile, est necessariũ. Tertio, cõstituendo negationẽ ad modũ tantum, nõ autẽ ad verbũ dicti, vt, hominẽ esse iustũ nõ est possibile, non est contingens, non est impossibile, non necesse. Quarto, constituendo negationẽ simul ad verbũ dicti & modum. Ut, hominẽ non esse iustũ non est possibile, atq; ita deinceps. ¶ Est autẽ harũ propositionũ talis habitudo adinuicem, vt omnis propositio de possibili aliquã habeat de contingenti cui omnino ęquipolleat, & cum qua conuertatur secundum consequentiã aliquam, item de impossibili, & aliquam de necessario: ac rursum, quęlibet propositio de impossibili, aliquam habeat ęquipollentem de possibili, aliquam de contingenti, & aliquam de necessario, atque ita in reliquis. Fit autem hęc ęquipollentia propositionũ diuersos modos habentium, secundum varias negationes aut affirmationes dicti siue modi. Atque hinc manifestum est, quatuor cõplexiones consurgere quatuor ęquipollentiũ propositionũ. Pro quibus debite assignandis solent poni quatuor regulę, secundũ quarũ vnamquãque vna inuenitur complexio quatuor propositionum ęquipollentium. ¶ Prima regula hęc est, Cuicunque dicto affirmato attribuitur possibile, eidem attribuitur contingens, ab eodem remouetur impossibile, & ab eius contradictorio remouetur necesse. Secunda regula, Cuicumque dicto negato attribuitur possibile, eidem attribuitur contingens, ab eodem remouetur impossibile, & ab eius contradictorio remouetur necesse. Tertia regula, A quocunque dicto affirmato remouetur possibile, ab eodem remouetur contingẽs eidẽ attribuitur impossibile, & eius contradictorio attribuitur necesse. Quarta regula, A quocunque dicto negato remouetur possibile, ab eodẽ remouetur cõtingens, eidẽ attribuitur impossibile, & eius contradictorio attribuitur necesse. Iuxta primã regulã, hę sunt ęquipollentes, Ioannẽ sedere est possibile, Ioannẽ sedere est contingẽs, Ioannem sedere non est impossibile, Ioannẽ non sedere non est ne-

Quatuor regulę pro ęquipollẽtia modalium.

esse: Iuxta secundam he equipollent, Ioannē nō sedere est possibile Ioannem non sedere est contingens, Ioannem non sedere non est impossibile, Ioannem sedere non est necesse. Iuxta tertiam he equipollent, Ioannem sedere non est possibile, Ioannem sedere non est contingens, Ioannem sedere est impossibile, Ioannem non sedere est necesse. Iuxta quartam autem regulam sic assignabis equipollentes, Ioannem non sedere non est possibile, Ioannem non sedere non est contingens, Ioannem non sedere est impossibile, Ioannem sedere est necesse. ¶ Ad quas regulas promptius memorie tenendas, effice sunt a tractoribus huius negotii quatuor voces, singule quatuor syllabas continentes que per singularum syllabarum vocales literas indicant, quomodo secundum affirmationem vel negationem debeant disponi singule propositiones. He sunt, Amabimus, Edētuli, Iliace, Purpurea. Pro quarum vocum intellectu notapet primam syllabam vbique significari propositionem de possibili, que sic debet disponi secūdum affirmationem vel negationē, quomodo per suam vocalem ipsa indicat. Per secundā, significatur propositio de contingenti. Per tertiam, illa de impossibili: per quartā, illa de necesse. Vocalis autem a, significat omnimodam affirmationē & dicti & modi: e, significat negationem dicti tantum: i, modi tantum: v, negationem vtriusque. ¶ Exempli gratia, considerando dictionem illam, Amabimus, per hoc quod in duabus prioribus ponitur a, significatur, duas priores de possibili & de contingenti debere assignari sine omni negatione, tam dicti quam modi. Per hoc autem quod in tertia syllaba ponitur vocalis i, significatur, tertiam que est de impossibili assignandam esse cum negatione solius modi. Dum vero in quarta ponitur u, indicatur, illam de necesse residuam debere assumi cum duplici negatione, quemadmodum ad oculum factum vides in suprapositis exemplis prime regule. Similiter considerandum est in aliis tribus vocabulis, Edentuli, Iliace, & Purpurea, adhibita collatione regularum & exemplorum suprapositorū. ¶ Possunt vero predicte quatuor regule in duas concludi. Quarum prior hec est, Si aliqua propositio sit possibilis, eadem est contingens, eadem non est impossibilis, & eius contradictorium non est necessarium. Secunda regula, Si aliqua propositio non est possibilis, eadem non est cōtingens, eadem est impossibilis, & eius contradictorium est necessarium. Sub prima regula continentur due superius assignate priores: sub secunda due posteriores.

» Due regule pro equipollētia modalium.

Caput. xxiiii.

¶ De conditione quadam ad bonam equipollentiam obseruanda.

Et quidē pro assignatione equipollentium modalium de dicto singulari, cuiusmodi iam posite sunt, nihil superest difficultatis. In iis vero que sunt de dicto cōmuni hoc peculiariter obseruandum est, vt postrema semper sit alterius quantitatis, quam tres priores: vt si tres prime assignentur de dicto particulariter sumpto, quarta

sit de dicto sumpto universaliter: ⁊ econtrario, si tres primę sint de dicto sumpto universaliter, quarta erit de dicto sumpto particulariter. Et verbi gratia hę equipollent, Aliquod animal esse hominē est possibile, Aliquod animal esse hominem est contingens. Aliquod animal esse hominem non est impossibile. Omne animal non esse hominem non est necesse. Similiter ⁊ hę equipollent, Omne animal esse hominem est possibile, Omne animal esse hominem est contingēs Omne animal esse hominem non est impossibile. Aliquod animal nō esse hominem non est necesse. ¶ Quod autem debeat necessario fieri huiusmodi mutatio quantitatis, manifeste demonstratur, tum ex suprapositis regulis, tum ex vi rationis cogentis. Ex regulis quidem suprapositis id patet. In singulis enim, quarto loco dicebatur, eius contradictorio attribuitur necesse, vel ab eius contradictorio remouetur necesse. In alijs autem tribus prioribus locis, dicebatur eidē attribui vel ab eodem remoueri. Manifestum est autem, contradictorias de dicto communi debere esse diuersas secundum quantitatem. Sūt enim universalis affirmatiua ⁊ particularis negatiua, vel universalis negatiua ⁊ particularis affirmatiua. ¶ Ex ratione autem cogente ita id monstratur: quoniam nisi mutetur quantitas, poterit dari propositio de possibili vera, propositione de necessario in eadē linea siue in eodem angulo existente falsa. Quod licet non possit in quibuslibet propositionibus passim monstrari, in duobus tamen casibus clare id monstratur. Primum quidem in ista, Aliquam personam in diuinis esse patrem est possibile, Aliquam personam in diuinis esse patrem est contingens, Aliquam personam in diuinis esse patrem non est impossibile, Aliquam personam in diuinis non esse patrem non est necesse. Hic manifestū est tres priores esse veras. Quarta autem falsitatem habet. Significat enim, hanc propositionem non esse necessariam, aliqua persona in diuinis nō est pater, quod falsum est. Omnino enim necessarium est, aliquam personam in diuinis non esse patrem. Necesse est enim, semper esse filium, item ⁊ spiritum sanctum, quorum neuter est pater, sed sunt distinctę personę. Si autem mutato secundum quantitatem dicto, sic quartam assignaueris, Omnem personam in diuinis non esse patrem non est necesse, rectam habebis ęquipollentiam. Est enim hęc vera, sicut reliquę. Econtrario, si omnes assignatę fierent universales, hoc modo, Omnem personam in diuinis esse patrem est possibile, est contingens, non est impossibile: ⁊ omnem personam in diuinis nō esse patrem non est necesse, tres primę sunt falsę, sola quarta vera est. Significat enim istam non esse propositionem necessariā, Omnis persona in diuinis non est pater. quod procul dubio est verum. Adeo enim illa non est necessaria, ut etiam non sit possibilis. Si autē quarta fuerit particularis, erit falsa, sicut reliquę. Si enim dixeris, aliquam personam in diuinis non esse patrem non est necesse falsitatem eloqueris: cum omnino sit necessarium, aliquam personam non esse patrem, videlicet filium, vel spiritū sanctum. ¶ Prętcrea extra terminos huiusmodi in diuinis declarari idem poterit, in his propositionibus,

Aliquod animal esse hominem est possibile,
Aliquod animal esse hominem est contingens,
Aliquod animal esse hominem non est impossibile.

Aliquod animal non esse hominem non est necesse: supposita opinione Aristotelis, falsa quidem illa, sed in naturali ratione probabili, quod ab eterno fuisset mũdus sine principio ꝛ fine, quodque ab eterno fuissent ac in perpetuum forent singulę rerum species, ꝛ quod necessario fuissent ac forent omnes species vniuersi. Secundum hanc suppositionem tres primę veritatem habent, quarta sola falsitatem. Significat enim hanc propositionem, Aliquod animal non est homo non esse necessariam, cum vere sit illa necessaria, secundum hanc suppositionem. Si enim necesse est equum esse ꝛ leonē, quę non possunt esse homines, ꝛ necessario sunt animalia, necesse quoque est aliquod animal non esse hominem. Econtrario, si omnes assignaueris vniuersales, tres primę erunt falsę, quarta sola vera. Hę enim falsę sunt, iuxta prędictam suppositionem, Omne animal esse hominem est possibile, ꝛ contingens, non est impossibile. Ista est vera, Omne animal non esse hominem non est necesse. Sensus enim istius est, Hęc non est necessaria, Omne animal non est homo, atque id verum est. Quomodo enim esset necessaria, quę neque possibilis est? Si autem quartam assignaueris vniuersalem cum prioribus particularibus, omnes simul habebis veras: si quartam particularem cum primis vniuersalibus, oēs simul habebis falsas, sicque vere ęquipollentes habebis. ¶ Hoc autem vniuersaliter notandum est in omnibus istis quatuor angulis illam quę simplicissima est, id est, illam quę non habet modum negatũ in suo angulo, siue in sua linea considerari vt pręcipuam, vtpote quę sit intellectu facilior: cetera vero, secundum ęquipollentiam ad hanc considerantur. Ut in linea, Amabimus, propositio de possibili est pręcipua: item in linea secunda, Edentuli. In tertia autem, Iliace, illa de impossibili pręcipua est. In quarta vero, illa de necesse. Possibile autem ꝛ contingens, capiuntur pro eodem. Ideo de vtrisque idem est iudiciũ. Capitur enim hic cõtingens, generaliter, pro omni eo quod sic esse potest, etiam si non possit aliter se habere. Alias vero accipitur specialiter, pro eo quod potest esse ꝛ potest non esse: quomodo non conuertitur cum possibili. Nam ꝛ necessaria possibilia sunt, non autem contingentia, hoc sane modo.

Caput. xxiiii.

¶ De oppositionibus modalium.

DE modalibus diuisis iam supra diximus, eas per omnia sequi legem propositionum simplicium, quas vocant de inesse. Sunt enim hę contrarię, Omnis homo necessario spirat, Omnis homo impossibiliter spirat. Hę subcõtrarię, Quidā homo possibiliter spirat, Quidā hō possibiliter nō spirat. Hę contradictorię, Omnis homo necessario spirat. Quidam homo possibiliter non spirat. Itē Omnis homo impossibiliter spirat, Quidam homo possibiliter

spirat. He subalterne, Omnis homo necessario spirat. Quidā homo possibiliter spirat, Omnis homo impossibiliter spirat, Quidam homo possibiliter non spirat. Nec est speciale quid obseruandū in huiusmodi oppositionibus: nisi quod in cōtrarijs caueatur, ne modus ponatur vtrobiqз particularis: in subcōtrarijs, ne vtrobiqз ponatur modꝰ vniuersalis: in cōtradictorijs, ne idē modꝰ sit vel vniuersalis vel particularis in vtraqз. In subalternis, ne ponatur modꝰ vniuersalis in particulari qui non fuerit positus in vniuersali. ¶ He enim nō sunt contrarie, Omnis homo possibiliter sedet, Omnis homo possibiliter non sedet: quoniam sunt ambe simul vere. He non sunt subcontrarie, Aliquis homo necessario sedet, Aliquis homo necessario nō sedet. Ambe enim simul sunt false. He non sunt contradictorie, Omnis homo necessario sedet, Aliquis homo necessario nō sedet, quoniam sunt ambe simul false. Neque item he contradicunt, Omnis homo possibiliter sedet. Aliquis homo possibiliter non sedet, quoniā sunt ambe simul vere. Nec he sunt subalterne, Omnis homo possibiliter spirat, Aliquis homo necessario spirat. Est enim vniuersalis vera, particulari existente falsa. In primis duabus, est idem modus particularis, cum deberet vt minimum in altera esse vniuersalis. In secundis est idem modus vniuersalis, cum deberet vt minimum in altera esse particularis. In tertiis, est idem modus vniuersalis, vel idē particularis, cū deberet in altera esse vniuersalis, ꝛ in altera particularis. In quartis est modus vniuersalis in particulari, qui nō est in vniuersali. ¶ Et hec quidē de modalium diuisarū oppositionibus obiter dicta sufficiant. Quantū vero ad compositas, que hic ex proposito speciali opera tractātur, primum est cognoscendum, que linee quibus, quomodo opponantur. Sunt enim linee contrarie, illa que significatur per vocabulum effictum, Purpurea, cū illa que per Iliace. Subcōtrarie vero sunt, Amabimus ꝛ Edentuli. Contradictorie, Purpurea ꝛ Edentuli: item, Iliace ꝛ Amabimus. Subalterne autem Purpurea ꝛ Amabimus: itē Iliace ꝛ Edētuli. Unde propositiones in Purpurea ꝛ Iliace adinuicem contrariantur: in Amabimus ꝛ Edētuli subcontrariantur. In Purpurea ꝛ Edentuli, in Iliace itē ꝛ Amabimus contradicunt. In Purpurea ꝛ amabimus, itē in Iliace ꝛ Edētuli subalternantur adinuicem. Et quidem in ijs que sunt de dicto singulari, specialis nulla occurrit difficultas, nisi quod in suis lineis eo modo quo supradictum est constituantur. Omnes enim que in lineis sic vel sic oppositis inueniuntur, sic aut sic erunt opposite. Uerū in ijs que sunt de dicto cōmuni, est difficultas specialis. Non enim indifferēter quelibet in lineis contrarijs posite contrariantur, neque in subcōtrarijs lineis quelibet indifferenter opponuntur subcontrarie, neque in contradictorijs contradictorie: sed in singulis magna cautio est adhibēda, vt debita fiat oppositarū assignatio. ¶ Pro cuius clariori intellectu notandum est in singulis oppositionibus aliquē modū precipuum vel modos plures precipuos inueniri secundū quos consideretur primaria oppositio talis vel talis: ꝛ que tales modos precipuos continent propositiones, vt primario sic vel sic


opposite veniũt considerande. Cętere vero in eisdem lineis, secundum comparationem ad has pręcipuas considerari debent. Videlicet in lineis contrarijs, Purpurea ⁊ Iliace, pręcipuus modus est necesse: ac proinde propositiones modum illum continẽtes: vt pręcipuas inter contrarias oportet considerare. In lineis subcontrarijs Amabimus ⁊ Edẽtuli, ꝓpositiones de possibili ambę principaliter veniunt spectandę. In lineis contradictorijs, altera de necesse ⁊ altera de possibili. In subalternis item, de necesse altera ⁊ altera de possibili. Vt ergo sciatur quarumlibet propositionum in Purpurea ⁊ Iliace recta cõtrarietas, pręcipue oportet cõsiderare illas de modo necesse quę si inuentę fuerint vere contrarię, ⁊ cęterę ęquipollentes contrarię erunt sin aliter, nec illę erunt contrarię. Ita dicendum de habentibus modũ possibile, quantum ad subcontrarietatẽ, ⁊ ita in cęteris. ¶ Ad hoc autem vt propositiones de modo necesse in lineis contrarijs positę, vere contrarientur, cautio est adhibenda, vt dictũ non ponatur in vtraque particulariter, sed vt minimũ in altera vniuersaliter: quod si in vtraque, tanto erit fortior contrarietas. Si vero in neutra; ponatur, vniuersaliter non solum non erunt contrarię, verũetiam nullã participabunt oppositionis legem. Vt ista in Purpurea, Omnem hominem spirare est necesse, contrariatur huic in Iliace, Omnem hominem nõ spirare est necesse. Imo ⁊ istę contrariantur, Omnem hominem spirare est necesse, Aliquem hominem spirare est necesse, Legem enim cõtrariarum istę participant, quoniã simul falsę inueniri possunt, simul verę non possunt. Sed nõ ita proprie, nec ita fortiter contrariantur, vt priores ambę de dicto vniuersali. Istę vero non opponuntur contrarię, Aliquem hominem spirare est necesse, Aliquem hominem nõ spirare est necesse, cum dentur eiusmodi simul verę, vt (iuxta Aristotelis supradictam opinionem.) Aliquod animal esse hominem est necesse, Aliquod animal non esse hominem est necesse. Item illę, Aliquã personam in diuinis esse patrem est necesse, Aliquã personã in diuinis nõ esse patrẽ est necesse. ¶ In cęteris autem propositionibus dispositis in Purpurea ⁊ Iliace, nempe in ijs de possibili, contingenti ⁊ impossibili, non est hęc cautio obseruanda, imo non licet in eis dictum vtrobique sumi vniuersaliter, sed vt minimum in altera particulariter poni debet: ⁊ melius fuerit, si particulariter in vtraque. Cuius ratio ex dictis manifesta est. Si enim tres primę, de possibili, cõtingẽti ⁊ impossibili, fuerint de dicto vtrobique vniuersali, quartę ergo de necesse erũt ambę de dicto particulari: eo quod in quarta oporteat mutari quantitatem dicti, vt in pręcedentibus declaratũ est. Nõ ergo erunt illę de necesse contrarię, nec proinde reliquę. Et si tres primę tã in Purpurea quam in Iliace fuerunt de dicto particulari, tanto erit oppositio cõtraria fortior: quoniã sic ambę de necesse erunt de dicto vniuersali, in quibus diximus esse maximam contrarietatem. Ad hoc ergo vt propositiones de dicto communi in Purpurea, ⁊ Iliace vere contrarientur, primę tres assignentur de dicto particulari, vltimę duę de dicto vniuersali, ⁊ erit optima cõtrarietas. Si vero ordine cõuerso in vtraque linearũ assignatę fuerint tres primę vniuersales, ⁊

duę vltimę particulares, non habebitur contrarietas imo oppositio nulla erit. ¶ Ad hoc autem vt verę sint subcontrarię in Amabimus ⁊ Edentuli, ppositiones de possibili (quas diximus in oppositione ista esse pręcipue spectandas) cautio est adhibenda ne dictum teneatur in vtraqꝫ vniuersaliter, sed vt minimū in altera particulariter, ⁊ si in vtraque, melior erit subcontrarietas. Si vero in vtraque dictum penatur vniuersaliter, non solū non erunt subcōtrarię, sed nullam omnino oppositionis legem participabunt, Ut hę sunt subcōtrarię, Aliquem hominem sedere est possibile, Aliquem hominem non sedere est possibile. Item ⁊ istę, Aliquem hominem sedere est possibile, Omnē hominem non sedere est possibile. Nam ⁊ hę subcontrariarū legem participant, quoniam simul verę esse possunt ⁊ sunt, simul autem falsę esse nō possunt. Sed priores videntur melius opponi oppositione subcontraria, eo quod in vtraque dictum particulariter teneatur. Hę vero non sunt subcontrarię. Omnem hominem sedere est possibile, Omnem hominem non sedere est possibile: quoniam similes duę possunt inueniri simul falsę, vt hę, Omne animal esse hominem est possibile. Omne animal non esse hominem est possibile, iuxta supradictam opinionem Aristotelis. Item istę, Omnem personam diuinam esse patrem est possibile, Omnem personam diuinam nō esse patrem est possibile. Non ergo legem participant subcontrariarum. Sed neqꝫ contrariarū, quoniam similes duę dantur simul verę, nempe istę, Omnem hominem sedere est possibile, Omnem hominem non sedere est possibile. Multo minus autem participabunt legem contradictoriarum, quę nec simul verę, nec simul falsę esse possunt. De subalternis vero nulla est apparētia. Nullam ergo legem participant. ¶ Ad hoc autem vt oppositiones de necesse ⁊ possibili vere contradicāt in Purpurea ⁊ Edentuli, siue in Iliace ⁊ Amabimus, necesse est dictum nec in vtraque vniuersaliter, nec in vtraqꝫ ꝑticulariter poni, sed in altera vniuersaliter ⁊ in altera particulariter, vt. Omne animal esse hominē est necesse, in Purpurea, contradicit huic in Edentuli, Quoddam animal non esse hominem est possibile: ⁊ ista in Iliace. Omne animal non esse hominem est necesse, contrariatur huic in Amabimus. Quoddam animal esse hominem est possibile. Si vero dictū teneatur in vtraque vniuersaliter, vt in his, Omne animal non esse hominem est necesse. Omne animal esse hominem est possibile, non erunt contradictorię: cum simul dentur falsę. Et hę in Purpurea ⁊ Edentuli ambę de dicto particulari, Aliquod animal esse hominem est necesse, Aliquod animal non esse hominem est possibile, similiter non contradicunt, tametsi in lineis contradictorijs, quoniam dantur simul verę. ¶ Non dicimus tamē in hac cautione sicut in prioribus diximus, eas quę cōtra cautionem assignantur, nullam omnino legem participare, Nam illę quę dictum habent in vtraque vniuersaliter positum, legem contrariarum participant: eo quod simul falsę possint dari, non simul verę. Quę autem ambę sunt de dicto particulari, legem participant subcōtrariarum: quoniam simul verę esse possunt, non autem simul falsę, id quod ex suprapositis exemplis facile patebit consideranti.

¶ Postremo ad hoc vt, ppositiones de necesse & possibili assignatę in Purpurea & Amabimus, item in Iliace & Edentuli, verę sint subalternę, cauendum est, ne dictum teneatur in illa de possibili vniuersaliter, cum in illa de necesse positum fuerit particulariter. Hę enim nõ sunt subalternę, Aliquod animal esse hominem est necesse. Omne animal esse hominem est possibile. Potest enim prior dari vera, quę est de modo vniuersali, posteriori existente falsa, quę est de modo particulari: sed istę subalternantur, Omne animal esse hominem est necesse, Omne animal esse hominem est possibile: vel aliquod animal esse hominem est possibile. Vt ergo in omnibus angulis singulę propositiones secundum angulorum oppositionem vere opponantur, & opponantur commodissime: assignandę sunt in omnibus quatuor angulis vbique tres primę de dicto particulari, & quarta vbique de dicto vniuersali. Ita enim habebitur perfecta contrarietas, subcontrarietas, contradictio, & subalternatio, nec erit vlla querela. Propter quod, pro clariori omniũ intelligentia, corã oculis subiectã figurã proponimus.

CONTRARIAE.

Purpurea.	Iliace.
Aliqđ aĩal nõ esse hoĩem nõ ẽ pos.	Aliqđ aĩal esse ho. nõ est possi.
Aliqđ aĩal nõ esse ho. nõ est cõtigẽs	Aliqđ aĩal esse ho. nõ est contin.
Aliqđ aĩal non esse ho. est impossi.	Aliqđ aĩal esse ho. est impossibi.
Omne aĩal esse hominẽ est necesse.	Omne aĩal nõ esse ho. est necesse



Amabimus.	Edentuli.
Aliqđ aĩal esse hominem est possi.	Aliqđ aĩal non esse ho. est possi.
Aliqđ aĩal esse hoĩem est cõtingẽs.	Aliqđ aĩal nõ esse ho. est contin.
Aliqđ aĩal esse hoĩem nõ est impos.	Ali. aĩal nõ esse ho. nõ est impos.
Omne aĩal nõ esse ho. nõ est neces.	Oẽ aĩal esse ho. non est necesse.

SVBCONTRARIAE.

Caput. xxv.

¶ De conuersionibus modalium.

Superest, ad plenam modalium determinationem paucis earũ conuersionem explicare. Et primum quidem, quantum ad modales diuisas, per omnia fit conuersio vt supra dictum est, de simplicium propositionum conuersionibus. Uniuersalis videlicet

affirmatiua conuertitur in particularem affirmatiuam, per accidens. Ut ista, Omnis homo possibiliter est animal conuertitur in hanc, aliquod animal possibiliter est homo. Uniuersalis negatiua conuertitur simpliciter. Ut ista, Omnis homo impossibiliter vel non possibiliter est leo in hanc, Omnis leo impossibiliter vel non possibiliter est homo. Conuersione quoque per accidens, conuertitur eadem in particularem negatiuam. Ut ista, Omnis homo impossibiliter est leo conuertitur per accidens in hãc, aliquis leo impossibiliter est homo. Particularis affirmatiua cõuertitur simpliciter. Ut ista, Aliquis homo possibiliter est animal, in hãc, Aliquod animal possibiliter est homo. ¶ Hoc tantũ cauendum est, vt modus vniuersalis affirmatiuꝰ in conuersa positus, in conuertente mutetur in particularẽ, id est, vt ꝓ necessario in conuersa affirmatiua, ponatur possibiliter in cõuertente eo modo quo supra dictũ est, signum vniuersale affirmatiuum in conuersa positum, non debere poni in conuertente, sed pro eo accipiendum esse signum particulare. Quod autem talis debeat mutatio fieri, manifeste probatur. Si enim non fiat dabitur conuersa vera, conuertente existente falsa. Ista enim est vera, Creans necessario est Deus. Significatur enim ipsum qui est creator, & creans esse necessario Deũ quod procul dubio ita est. Ista tamẽ falsa est, Deꝰ necessario est creãs quoniam potest non creare. Debet ergo illi priori pro conuertente hęc assignari, Deus possibiliter est creans. ¶ De modo autem impossibili, per omnia sicut de signo vniuersali negatiuo, dicendum est. Unde sicut signum vniuersale negatiuum supra diximꝰ in conuersione non debere mutari in signũ particulare, sed facit conuersionẽ simplicẽ in propositione vniuersali, in particulari nullã nisi per cõtrapositionem: ita impossibiliter non opus est mutari in conuersione propositionis vniuersalis: in particulari autem nullam facit conuersionem nisi per contrapositionem. Non enim sequitur, Aliquod animal impossibiliter est homo, igitur aliquis homo impossibiliter est animal. Sed per cõtrapositionem sequitur, Aliquod animal impossibiliter est homo, ergo aliquid quod non est homo impossibiliter est non animal.

¶ Quantũ vero ad modales cõpositas, nõ accipimus conuersionẽ nisi ex parte dicti. Et quędam quidem conuerti possunt, quędam nõ possunt. Ille quę habent modum necesse non negatum conuerti possunt secundũ exigentiam dicti: vt ista, Nullum hominẽ esse leonem est necesse conuertitur in hanc, Nullum leonẽ esse hominẽ est necesse. Itẽ ista, Aliquem hominẽ esse animal est necesse, in hanc, Aliquod animal esse hominem est necesse, idque conuersione simplici. Ista, Omnem hominem esse animal est necesse, in hanc conuertitur, Aliquod animal esse hominem est necesse, conuersione per accidens. Et vniuersaliter vbi modus est necesse non negatum, sic dicitur propositio conuerti vel non conuerti, quomodo eius dictum conuertitur aut non conuertitur. Unde ista, Aliquod animal non esse hominem est necesse conuerti non potest nisi per contra positionẽ in hanc, Aliquid quod est non homo non esse non animal est necesse. Similiter dicendũ est de modo possibili nõ negato, quod secundũ rationẽ dicti cõuertatur.

aut non cõuertatur propositio in qua ille positꝰ fuerit. ¶ Propositiones autẽ de impossibili affirmato aut de possibili, negato nõ possunt vniuersaliter conuerti secundum conuersionem dicti, Exempli gratia, hęc propositio, Omne animal esse hominem est impossibile, non potest conuerti in hanc per accidens, Aliquem hominem esse animal est impossibile, cum prima sit vera (iuxta suppositionem frequenter faceam) ⁊ posterior falsa. Neque ista, Nullum hominem esse animal est impossibile, recte conuertitur in hanc, Aliquod animal non esse hominem est impossibile, cum prior sit vera ⁊ posterior falsa. Veruntamẽ in conuersione simplici poterit sumi conuersio ex parte dicti. Et ista Nullum hominem esse animal est impossibile, recte cõuertitur in hãc, Nullum animal esse hominem est impossibile. Item ista, Aliquem hominem esse leonem est impossibile, recte in hanc conuertitur. Aliquẽ leonem esse hominem est impossibile. Similiter valet in conuersione per contrapositionem. Omnem hominem esse leonem est impossibile: igitur omnem non leonem esse non hominem est impossibile. Aliquem hominem non esse animal est impossibile, ergo aliquod non animal non esse non hominem est impossibile. ¶ In sola ergo conuersione per accidens impossibile affirmatum ⁊ possibile negatum (hęc enim ęquipollẽt) non patiuntur ex parte dicti conuersionem. Ordine tamen contrario propositio de impossibili quę dictum habet particulare, per accidens conuerti potest in eam quę dictum habet vniuersale. Et ista valebit conuersio, Aliquod animal esse lapidem est impossibile, ergo, Omnem lapidem esse animal est impossibile, Item ista. Aliquem hominem non esse animal est impossibile, ergo, Nullum animal esse hominem est impossibile. ¶ Verum hęc cuiquã fortasse futilia ⁊ superuacanea videbuntur. Qui tamen penitius ea inspexerit ac diligẽter ea meditatus fuerit. Videbit admirabilem profecto horum modorum virtutem, merito que hanc talem vel cohęrentiam vel differẽtiam modorum admirabitur. Neque sophistica prorsus ⁊ inanis horũ modorum consideratio existimanda est, neque omnino superuacanea, quę ad cognoscendum occultas modorũ horũ vires adhibetur inuestigatio. Nunquã enim veteres illi Philosophi ingenio acerrimo prędiri, tãtam rebus istis peruestigãdis ⁊ pertractandis impẽdissent operam, si vel nihil vel minimum vtilitatis exestimassent in eis contineri.

Deo semper ⁊ vbique gloria,

LIBRI QVARTI CONSIDERATIONIS Dialecticæ, qui inscribitur de Syllogismo.

PRAEFATIO.

Recipuus Dialecticę finis est, de vnaquaque re proposita posse disputando veritatem inquirere, falsitatem refutare. Hactenus autem nō nisi de simplicibus vocibus, aut enunciationibus, item simplicibus tractatus vllus est habitus, quibus illud quod est pręcipuum Dialecticę officium pręstari nequit. Nō enim quęstionis dubię veritas poterit inueniri, donec tātum considerationi siplicium vocum aut simplicium enunciationum intendit animus. Uerum vbi enunciationem coeperit enunciationi secundum debitum ordinem & modum componere, aliamque ex alia conectendo colligere, hoc pacto ex dubijs rebus, quid verum, quid falsum, poterit diiudicari. Nunc itaque post simplicium vocum & enunciationum determinationem figuraliter absolutam, restat argumentationum formas deliniare, modosque describere, quibus commode alterius inferatur ex altero. Sunt autem argumentationis formę siue species quatuor numero, syllogismus, inductio, enthymema, & exemplum: de quibus hoc libro erit tranctandum: pręcipue tamen & omnium maxime de syllogismo, quę est omnium specierum argumentationis pręcipua & pręstantissima: ad quam & cęterę quodammodo, vt solent imperfectiora ad perfecta, reducuntur. Et de his igitur suo loco posterius dicendum, prius tamen tota syllogismorum vis, & omnes secundum formam syllogisticam concludēdi rationes explicandę.

Caput primum.

¶ De syllogismorum principijs materialibus.

PRincipio autem de syllogismorum materia dicendum, ac deinde quid syllogismus, & quotuplex, & quot figuris ac modis fiat, constituendum. Est autem materia syllogismorum, simplices enunciationes & termini, illa quidem propinquior, hęc autem remotior. Ex simplicibus nanque enunciationibus, tanquam ex partibus suis immediatis, componitur syllogismus: ex terminis autem, tanquam ex partibus remotioribus, cum ipsę enunciationes simplices ex terminis, tanquam partibus pręcipuis & materia proxima componantur. Terminum ita definit Aristoteles.

Definitio termini. Terminus est, in quem resoluitur propositio vt prędicatum, vel de quo prædicatur.

¶ Hoc est, terminus est alterum extremū propositionis, vt pote vel subiectum vel prędicatum, ex quo tantum ex parte propositio ipsa componitur, Ut cum dico, Homo est animal, duo huius propositionis termini sunt, homo & animal, atque in ipsos ꝓpositio illa resoluitur, Dicitur enim res vnaquęque resolui in suas partes integrales, ex quibus cōponitur, vt domus resoluitur in tectum, parietes, & fundamentum, homo in omnia sua membra resoluitur, aut in quatuor elementa ex quibus componitur. ¶ Dicuntur autem termini in propositionibus, secundum similitudinem & comparationem ad terminos locorum, vt agrorum aut ditionū. Sicut enim in his terminorum, alter est principium, alter finis siue clausula, & medium est spaciū, quod vtrūque connectit extremum: sic & in propopositione consideratur, alterū extremum tanquam oppositum alteri; nimirum vt subiectum prędicato, & econtrario: media autem est verbalis copula: quę adinuicem connectit extrema. Unde liquet verbalem copulam non dicendā esse terminum propositionis, sed potius ipsius medium, amborumque extremorum copulam. ¶ De propositione autem, materia propinqua syllogismi, quoniam plene tractatum est libro pręcedenti, simul & de omnibus eius speciebus atque cōditionibus in pręsentiarum latius tractare omittimus.

Caput. ij.

¶ De definitione syllogismi.

Syllogismum ita definit Aristoteles.

Definitio syllogismi. Syllogismus est oratio, in qua quibusdā positis, aliud quiddam ab his quæ posita sunt ex necessitate accidit, eo quod hęc sunt.

¶ Quę definitio sic est exponenda, Syllogismus est oratio hypothetica siue composita, in qua pro antecedente quibusdam positis, id est, pręmissis duabus in certo modo & certa figura dispositis, secundum necessariam illationem aliud quiddam, nempe ipsa conclusio cōsequitur, eo quod hęc sunt, id est, ex vi pręmissarum illarū, eo quod illę sic sint certo modo & figura disposite. Exēpli gratia, Hic est syllogismus Omne animal est substantia, & omnis homo est animal, igitur omnis homo est substantia. In hac enim totali composita oratione, duę propositiones pręmittuntur in certo modo & figura adinuicem dispositę, videlicet, Omne animal est substātia, & omnis homo est animal: ex quibus ita dispositis virtute talis dispositionis sequitur conclusiō, Omnis homo est substantia: estque ipsa conclusio aliud quiddā a pręmissis,

missis, quoniam neutri pręmissarum est eadem, sed cum vtraque partim conuenit, partim differt. Conuenit secundum vnum extremum, differt secundum alterum. Vtriusque enim pręmissę alterum tantum extremum habet conclusio. ¶ Et quidem signanter dictum est, aliud quiddã ex necessitate accidit. Alioqui hic posset videri syllogismus, Omne animal est substantia, ⁊ omnis homo est animal, igitur omne animal est substantia, vel igitur omnis homo est animal. Hic autem conclusio non est aliud quiddã ab vtraque pręmissarum, sed cum altera eadem. Similiter neque iste syllogismi meretur appellationem, Omnis homo est homo, ⁊ omnis homo est homo, ergo omnis homo est homo. Est enim hic conclusio eadem cum vtraque pręmissarum. Propter quod, syllogismus plane fatuus ⁊ ridiculus ille solet nominari. ¶ Ex necessitate autem accidere est, necessario consequi, siue secundum necessariam consequentiam inferri, ita vt non possint esse verę propositiones illę sic pręmissę in certa dispositione sua, nisi ⁊ conclusio veritatem habeat simul. Huius defectu iste non est syllogismus, Omne animal est substantia, ⁊ omnis homo est animal, igitur omnis homo saluabitur. Non enim conclusio ex pręmissis per necessariam consequentiam infertur. Hac particula excluduntur a definitione syllogismi, omnes illi qui in modis fiunt inutilibus, de quibus dicetur posterius. Mali enim syllogismi simpliciter syllogismi non merentur appellari. ¶ Postremo adiicitur, eo quod hęc sunt, Non enim satis est, conclusionem sequi necessario ex pręmissis dispositis, sed oportet conclusionem inferri ex pręmissis, ex virtute talis dispositionis, qua adinuicem sunt dispositę. Unde hic non est syllogismus Omne animal est substatia, ⁊ omnis homo est animal, igitur omnis homo est risibilis. Conclusio quidem sequitur necessario ex pręmissis, quoniam (iuxta communẽ regulam) necessariũ sequitur ad quodlibet vel ex quolibet, sicut ad impossibile vel ex impossibili sequitur quodlibet. Verũ conclusio illa non infertur ex pręmissis, ratione illius certę dispositionis, qua adinuicem disponuntur in primo modo primę figurę, de qua posterius dicetur. Non enim ista conclusio, Omnis homo est risibilis, maiorem habet habitudinem vel proportionem ad pręmissas illas quam ista conclusio, Omnis homo est asinus, quę tamen non potest ex illis pręmissis inferri. Unde quod conclusio illa prima sequatur, ex sua necessitate tantum habet. ¶ Excludũtur autem ab hac syllogismi definitione tres alię species argumentationis, enthymema, inductio, exemplum: quoniam in eis vel nõ sunt plures propositiones pręmissę pro antecedente vel si plures sint nõ sunt in figura ⁊ modo dispositę, eo modo quo disponuntur syllogismi, nec conclusio in eis sequitur propter talem dispositionem. In enthymemate quidem plerunque vna tantum propositio pro antecedente ponitur, ⁊ altera subticetur. In exemplo similiter vna tantũ. In inductione vero, ⁊ si propositiones plures pręmittantur, non tamen in figura ⁊ modo ad inuicem sunt dispositę.

Caput. iii.

¶ De syllogismo perfecto ⁊ imperfecto.

Diuiditur autem syllogismus in syllogismum perfectum, & syllogismum imperfectum, qui ab Aristotele ita definitur.

Definitio syllogismi perfecti & imperfecti

Syllogismus perfectus est, qui nullius alterius indiget, preter ea quæ sumpta sunt, vt appareat necessariũ. Syllogismus imperfectus est, qui vnius aut plurium indiget, quæ sunt quidem necessaria per sumptos terminos, non autem per sumptas propositiones.

¶ Quarum definitionum hic est intellectus, Syllogismus perfectus ille est, qui in concludendo tam est euidens ex ipsa premissarum dispositione, vt non indigeat vlla reductione ad alium modum euidentiorem, ad ostendendum necessariam illationem conclusionis ex premissis: neque opus est adhibere conuersionẽ vllius ꝓpositionis, aut premissarum trãspositionẽ, aut reductionẽ per impossibile, ad demõstrandum talis consequentię necessitatem: sed ex ipsa premissarum dispositione per se euidens est illatio conclusionis. Syllogismus autem imperfectus ille est, qui licet bene & necessario inferat conclusionem, non est tamen ex se euidens illatio, sed vt constet de bonitate illationis, opus est adhibere vnum vel plura, vt pote vel conuersionẽ vnius aut plurium propositionũ, aut transpositionẽ premissarum, vel simul vtrunque, vel reductionem ad impossibile, vt sic reducendo modum minus euidentem ad alium euidentiorem & perfectiorem appareat ille necessario concludens. ¶ Propter hoc in definitione dicitur: quę sunt quidem necessaria, id est, quę vnum vel plura, sunt necessaria ad ostensionem bonitatis sylogismi, vt constet de necessaria illatione. Quod autem sequitur, per sumptos terminos, nõ autẽ per sumptas propositiones, indicat, in reductione syllogismi imperfecti ad perfectum debere quidem seruare eosdem omnino terminos, sed non easdem propositiones: cum plerunque in huiusmodi reductione vsus sit conuersionis alicuius, aut assumptionis cõtradictorij, quemadmodũ suo loco posterius dicetur, & per singula plenius declarabitur. ¶ Nũc autem exemplo vnico clarum faciamus quod dicitur. Hic syllogismus, Omne animal est substantia, omnis homo animal est, igitur omnis homo est substantia, est perfectus syllogismus: quoniã tam est per se euidens, tam apparẽs est, ex ipsa premissarum tali dispositione, illatio bona cõclusionis, vt nemo sanę mentis de ea possit dubitare. Naturę enim lumen statim docet, illam collectionem esse optimam. Unde syllogismus ille ad hoc vt appareat necessarium, id est, necessario concludens, nullius indiget sed per ea quę sumpta sunt, id est, per assumptas premissas suas habet euidentiam. Cuius enim bonitas & necessitas per se euidens est, non eget reductione vlla vt appareat, sicuti id quod per se lucidum vel luminosum est, nõ indiget adhibitione alterius luminis, vt ipsius lumen manifestũ fiat. ¶ At vero hic syllogismus, Omne animal est substãtia, & omnis homo est animal, igitur

quędam substantia est homo, imperfectus est. Non enim per se euidens est eius bonitas siue necessitas illationis, sed vt appareat illa, opus est syllogismum istum reduci ad alium alterius modi, per mediũ conuersionis ipsius conclusionis. Ex illis nanque pręmissis, immediate & euidenter sequitur hęc conclusio, Omnis homo est substãtia: ac deinde, quia ad hanc sequitur per conuersionem per accidens ista, Quędam substantia est homo, inde patet, quod recte & ista illata fuerit ex iisdem pręmissis. Atque ita manifeste patet quomodo syllogismus iste vt appareat necessario concludens, eget alicuius nempe adminiculo conuersionis, per quam reducitur ad alium modum perfectum. Quot autem sint modi perfecti, & quot imperfecti, quomodo etiam singuli modi imperfecti ad singulos perfectos possint & debeant reduci, posterius suo quodque loco dicetur.

Caput. IIII.

¶ De principiis regulatiuis syllogismi.

VNde autem vim & robur suę illationis habeat syllogismus, breuibus indicat Aristoteles, cũ definit dici de omni, & dici de nullo hoc modo,

Dici de omni est, quãdo nihil est sumere subiecti, de quo nõ dicatur prædicatũ. Dici de nullo est, quando nihil est sumere subiecti à quo non remoueatur prædicatum. Quid dici de omni & dici de nullo.

¶ Duas definitiones sic intellige. In illa propositione dicitur prędicatum de omni, quę sic significat prędicatum conuenire subiecto secundum affirmationem, vt nihil possit sumi contentum sub subiecto de quo nõ dicatur siue dici denotetur prędicatum. In illa autẽ propositione est dici de nullo, quę sic significat prędicatũ negari de subiecto, vt nihil possit sumi sub subiecto illo, de quo non negetur siue negari denotetur prędicatum. In omni scilicet propositione vniuersali affirmatiua est dici de omni & in omni propositione vniuersali negatiua, est dici de nullo. Conuenitque ipsum dici de omni vel de nullo, prędicato talis propositionis ipsius enim est dici vel prędicari. ¶ Non refert autem, siue vere dicatur, siue false: vere item negetur aut false. Cum enim dico, Omnis homo est leo, prędicatum de omni dicitur: & cum dico, Nullus homo est animal, prędicatum de nullo dicitur. Non enim quid sit, sed quid propositiones significent consideratur. In prima enim hoc significatur, prędicatum subiecto conuenire, secundum omnia supposita eius, ita vt nihil subsumi possit sub eo, cui non conueniat prędicatum. In altera denotatur prędicatum negari de subiecto pro ipsius quolibet supposito, ita vt nihil possit subsumi sub eo de quo non negetur prędicatum. ¶ Ex his eu-

tem definitionibus dici de omni et de nullo, solent elicere duas regulas siue maximas, quas vocant principia syllogismorum regulatiua, eo quod syllogismorum bonitas tota videatur illis inniti et corroborari. Regulę autem hę sunt, Quicquid de subiecto quopiam dicitur vt de omni, dicitur et de quolibet subsumpto sub eo. Quicquid de subiecto quopiã dicitur, vt de nullo, remouetur a quolibet subsumpto sub eo. Per primam regulantur syllogismi affirmatiui, per secundam negatiui. Et perfecti quidem immediate his regulantur, imperfecti vero mediate tantum, quatenus videlicet ad perfectos reducuntur, qui eis immediate regulantur.

Caput. v.

¶ De triplici figura syllogismorum.

Sciendum autem in primis, quod omnis syllogismus simplex (de quo in proposito loquimur) ex tribus tantum terminis cõstat, et ex tribus propositionibus, conclusione adnumerata pręmissis, quę semper sunt duę. Cũ igitur tres propositiones debeat habere syllogismus, et non possit nisi tres habere terminos, oportet vnũquemque illorum bis sumi, vt ternarius habeatur propositionum. Horũ autem trium terminorũ vnus vocatur medium, alter maior extremitas siue maius extremum, tertius minor extremitas vel minus extremum. ¶ Medium est terminus, qui bis sumitur ante conclusioné. Maior extremitas est terminus, qui sumitur cum medio in maiori propositione. Minor extremitas est terminus qui sumitur cũ medio in minori ꝓpositione. Maior propositio illa ꝓprie dicitur, in qua est principale robur syllogismi, et in qua potissimum virtus fundatur illationis. Minorem vero illam dicimus, quę minus videtur habere roboris ad illationem. Exempli gratia, in hoc syllogismo, Omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia, terminus animal est medium, quia ante conclusionem bis sumitur substantia est maior extremitas, quia cum medio sumitur in maiore propositione: homo vero est minor extremitas, quia cum medio sumitur in minori propositione. ¶ Ad discernẽdum autem, quę premissarum secundum veritatem sit maior, quę minor, non solum considerandus est localis situs, ita vt illa vniuersaliter existimetur maior quę priori loco ponitur. Sępe enim quę primo loco ponitur, in veritate minor est: et quę secundo loco, maior. Ut in hoc syllogismo, Quidam homo est animal, et nullus leo est homo, igitur quoddam animal non est leo, prior pręmissa secundum veritatem est minor: secunda maior, Ita et in aliis plerisque dicendum, Generaliter ergo illa, ex qua est pręcipuum robur, et quę est veluti basis syllogismi, maior dicitur: illa autem quę adijcitur tanquã minus principalis minor. Et quidem in prima figura, satis facile est hęc cõsiderare. Semper enim illa in qua fit subsumptio dicitur minor, et altera sub cuius subiecto fit subsumptio, dicitur maior. In alijs autem figuris et modis, per reductio-

Quid medium maior extremitas et minor.

nem ad modos perfectos primę figurę, certissima est discretio. Ueruntamen in sequentibus ad vitandam confusionem plerunque maiorem appellamus priorem premissam, minorem autem secundam. Difficile enim foret inexercitatis adolescentum ingeniis statim quolibet proposito syllogismo dignoscere, vtra secūdum veritatem sit maior aut minor. ¶ Ex horum autem trium terminorum varia dispositione triplex consurgit figura syllogismorum. Figura enim in syllogismis consideratur, secundum certam ordinationem trium terminorum, secundum subiectionem et prędicationem: pręcipue autem, ex parte medii. Contingit enim interdum medium subiici in vna pręmissarum, et in altera prędicari. Atque hinc consurgit prima figura. Interdum in vtraque pręmissarum medium prędicatur, et hinc secunda nascitur figura. Interdum in vtraque subiicitur, et hinc oritur tertia. Exemplum primę figurę, Omne animal est substantia, omnis homo est animal, igitur omnis homo est substantia. Hic medium animal, in altera subiicitur, et in altera prędicatur. Exemplum secundę figurę. Nullus lapis est animal, omnis homo est animal, igitur nullus homo est lapis. Hic mediū, animal, vtrobique est prędicatum. Exemplum tertię figurę, Omnis homo est substantia Omnis homo est animal, igitur quoddam animal est substantia. Hic homo medium, vtrobiqꝫ subiicitur. Pręter autem has tres figuras, non est inuenire aliam: quoniam inter tres tantum terminos in tribus tantum propositionibus, alius situs a prędictis non potest inueniri.

Caput. vi.

¶ De quinque regulis generalibus omnium syllogismorum.

Ante vero quā singularum figurarū modos in particulari describamus, ponendę sunt et explicandę regulę aliquot generales, quę in omnibus syllogismis, cuiuscunque figurę aut modi, debēt obseruari, ita vt quisquis syllogismus contra aliquam illarum quinque peccare deprehensus fuerit, propter hoc sit reiiciendus. Regulę autem istę sic habent.

Prima, Ex puris particularibus nihil syllogisticè conficitur. Secunda, Ex puris negatiuis nihil item cōficitur. Tertia, Si altera præmissarum fuerit particularis, conclusio quoque particularis erit. Quarta, Si altera præmissarum fuerit negatiua, conclusio quoque negatiua erit. Quinta, Medium nunquam ingredi potest conclusionem.

¶ Primę regulę hic est sensus, Cum ambę premissę fuerint particulares, nulla conclusio, neque vniuersalis, neque etiam particularis, po

test ex illis syllogistice inferri: sed oportet in omni bono syllogismo ut minimum alteram esse universalem. Exempli gratia, iste syllogismus nõ est bonus, Aliquod animal est homo, et aliquis equus est animal, ergo equus est homo. Si autem prima fiat universalis, dicendo, Omne animal est homo, erit syllogismus bene concludẽs. Sub particularibus cõprehenduntur indefinitę, cum pro particularibus usurpantur, utpote in contingenti materia extra necessaria, atque moralia. Comprehenduntur quoque propositiones singulares, quę non sunt de medio singulari. Unde non valet syllogismus, Comedẽs volat, homo est comedens, igitur homo volat. Nec iste valet ex singularibus, Plato est Philosophus, et Socrates est Philosophus, igitur Socrates est Plato. ¶ Signanter autem dictum est, ex singularibus nihil sequi, cum fuerint de medio non singulari, quoniam ex puris singularibus, cum medium fuerit terminus singularis, recte conficitur syllogismus. Ut cum ita colligo, Joannes est animal, et Joannes est hic homo, igitur hic homo est animal. Cuiusmodi syllogismus cõmuniter vocatur expositorius. Ita quoque intelligendum est, ex puris particularibus nihil sequi, cum medium fuerit terminus communis. Medio enim existẽte singulari etiam ex particularibus valet hic syllogismus, Aliqua substantia est Petrus, et aliquod animal est Petrus, igitur aliquod animal est substantia. ¶ Ratio autem huius regulę est, quia non est necesse, si aliqua duo in uno tertio communi particulariter conveniant, ob hoc illa inter se convenire. Possunt enim a se remota esse et omnino disparata, imo contraria, quę in uno tertio particulariter conveniunt, ut duę species immediatę sub uno genere contentę. ¶ Secunda regula hunc habet intellectum, Cum ambę pręmissę fuerint negativę, non potest ex eis fieri syllogismus bonus, sed alteram ut minimum pręmissarum oportet esse affirmativam. Unde non valet hic syllogismus, Nullus homo est arbor, et nulla pirus est homo, igitur nulla pirus est arbor. Ambę enim pręmissę sunt verę, et conclusio falsa. Ratio autem huius regulę est, quia nõ est necesse, si aliqua duo extrema ab uno tertio removeantur secundum negationem propter hoc illa abinvicem removeri. Possunt enim illa quę adinvicem optime conveniunt de eodem tertio negari.

¶ Tertia regula docet, non esse inferendam conclusionem universalem, cum altera pręmissarum fuerit particularis. Non enim valet hic syllogismus, Omne animal est corpus, et aliqua substantia est animal, igitur omnis substantia est corpus. ¶ Quarta regula docet, non esse inferendam conclusionem affirmativam, cum altera pręmissarum fuerit negativa. Unde non sequitur, Nullum animal est arbor, homo est animal, igitur homo est arbor. Ratio harum duarum regularum una est, quia effectus sequitur partem suę causę debiliorem magisque malignam. Unde conclusio, quę est quodammodo effectus pręmissarum: quoniam ex pręmissis infertur, debet sequi pręmissam debiliorem et imperfectiorem. Est autem particularis debilior universali, et negativa ignobilior magisque maligna quam affirmativa. ¶ Quinta regula docet, non esse ponendum medium in conclusione. Unde hic

non est bonus syllogismus, Omne animal est substantia, omnis homo est animal, igitur omne animal est substantia. Hic enim conclusio non distinguitur ab vtraque pręmissarum, quod est contra difinionē syllogismi. Neque hic est syllogismus, Omne animal est substātia, omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo, tametsi conclusio cum nulla pręmissarum sit eadem. Ratio autem huius regulę est quoniam in omni syllogismo quilibet triū terminorum debet bis sumi, ⁊ bis dumtaxat. Quando autem medium ponitur in conclusione, oportet alteram extremitatum non nisi semel accipi, ⁊ medium necesse est ter poni. Bis enim ante conclusionem debet constitui, quoniā id poscit ratio medij. Pręterea in omni syllogismo oportet in cōclusione alteram extremitatum de altera pręدicari. Hęc enim est natura syllogismi, vt ex coniunctione certa secundum affirmationem aut negationem extremorum duorum cum eodem medio in pręmissis, ipsa quoque adinuicem coniungantur secundum affirmationem aut negationem in conclusione. Medium igitur intra pręmissas debet contineri, neque in conclusionem se ingerere. ¶ Possunt autem pręدictis adijci alię duę regulę satis notatu dignę, quarum prior hęc est. In omni syllogismo de medio comuni, oportet medium saltem in altera pręmissarum poni vniuersaliter. Posterior hęc est, In omni syllogismo cauendum est, ne vllus terminus ponatur vniuersaliter in cōclusione, qui non fuerit vniuersaliter positus in altera pręmissarum. In quibus duabus regulis fundantur duę suprapositę, nempe prima ⁊ tertia. Ob hoc enim ex puris particularibus nihil sequitur, quoniam cū ambę pręmissę fuerint particulares ⁊ affirmatiuę, mediū in neutra accipitur vniuersaliter, si modo propositiones fuerit de consueto more loquendi. Unde si per morem aliquem inconsuetum fiat: vt medium in altera pręmissarum vniuersaliter teneatur, recte ex puris particularibus inferetur conclusio. Et hic est syllogismus bonus, Aliquod animal est leo, ⁊ homo omne animal est, igitur homo est leo. Si vero inter pręmissas particulares altera fuerit negatiua, ita vt per negationem medium in altera ponatur vniuersaliter, iam contra alteram regulam peccabitur: quoniam a termino non posito vniuersaliter in pręmissis, proceditur ad eundem in cōclusione vniuersaliter positum quod breuitatis causa recentiores vocant argumentari a termino nō distributo ad distributum. Exempli gratia, hic syllogismus ex puris particularibus non valet, Aliqua substantia non est animal, ⁊ aliquis homo est animal, ergo aliquis homo non est substantia. Defectus autem eius non est ex eo quod medium in neutra tenetur vniuersaliter cum in prima medium per vim negationis vniuersaliter positum sit: sed contra posteriorem regulam peccatur, quoniam in cōclusione maior extremitas animal vniuersaliter ponitur, quę non sic fuit in pręmissis posita. ¶ Tertia quoque regula in eadem ratione fundatur: quoniam cum ex pręmissa particulari infertur vniuersalis conclusio, proceditur a termino nō vniuersaliter sumpto in antecedēte, ad eūdem in conclusione vniuersaliter sumptum. Et in hoc syllogismo malo ad oculum patet, Omne animal est corpus, aliqua substantia est

Regulę duę generales.

animal, ergo omnis substantia est corpus: substantia minor extremitas in conclusione ponitur vniuersaliter, non autem in premissis. Unde si hic defectus per aliquem inconsuetum modum possit vitari nihil obstabit quo minus ex particulari premissa inferri possit vniuersalis conclusio. Et si ita fiat syllogismus in tertia figura. Aliquod animal est corpus, et omne animal omnis substantia est, igitur omnis substantia est corpus. Vel ita in secunda figura. Aliqua substantia non est arbor, omnis pirus est arbor, igitur omnis pirus aliqua substantia non est, vel non omnis substantia est. Si duo syllogismi recte suas conclusiones inferunt, et ametsi vniuersales ex altera premissarum particulari, propter cautelam ab offensione propositę regulę. In priori enim syllogismo per additionem signi vniuersalis curatur, vt etiam in antecedentes minor extremitas ponatur vniuersaliter, sicut in consequente, in posteriori autem ne in conclusione maior extremitas ponatur vniuersaliter, sicut nec in antecedente: sicque fit vtrobique, vt termminus similiter in antecedente et consequente teneatur vniuersaliter vel non vniuersaliter. Hos autem syllogismos ex enunciationibus secundum inconsuetum loquendi modum factis proponimus, non quod eorum magnus sit vsus in disciplinis, sed in hoc tantum, vt ex ipsa radice cognoscatur ratio predictarum duarum regularum. Pleraque etiam regulę speciales singularum figurarum posterius declarabuntur in altera harum generalium regularum fundari.



Caput. vii.

¶ De regulis specialibus primę figurę.

Quę iam statim positę sunt syllogismorum regulę, omnibus figuris erant generales. Preter has autem alię duę ponuntur speciales: quę licet non in omnibus syllogismis in iis tamen qui fiunt in prima figura, debent obseruari.

¶ Sunt autem hę.

Regulę speciales primę figurę. In omnibus modis primę figurae directé concludentibus, minore existente negatiua, non valet syllogismus. In omnibus modis primae figurę directé concludentibus maiore existēte particulari non valet syllogismus.

¶ Contra primam regulam peccat hic syllogismus. Omne animal est substantia, nulla arbor est animal, ergo nulla arbor est substantia. Contra secundam peccat iste. Aliquod animal est homo, omnis leo est animal, igitur omnis leo est homo. Fundātur autem hę duę regulę speciales in duabus illis regulis generalibus, quas posteriori loco adiecimus. Cū enim in prima figura directe cōcludēdo minor fuerit negatiua, proceditur a termino nō posito vniuersaliter in premissis, ad eū qui in conclusione vniuersaliter sumptū. Cū vero maior particularis,

fuerit, medium in neutra tenetur vniuersaliter, quemadmodũ in exemplis suprapositis ad oculum patet. Unde si per modum loquendi inconsuetum vitentur isti defectus, poterunt boni fieri syllogismi in prima figura, etiam directe concludendo. Unde predicti mali syllogismi hac via possunt emendari. Prior quidem sic, Omne animal omnis substãtia est, nulla arbor est animal, igitur nulla arbor est substantia. Uel sic, Omne animal est substantia, nulla arbor est animal, igitur nulla arbor omnis substãtia est. In illo terminus animal vtrobique tenetur vniuersaliter, in hoc nusquam, ideo valet collectio. Posterior sic emẽdatur, Aliquod animal est homo, omnis leo omne animal est, igitur omnis leo est homo. ¶ Signanter quoque dictum est, de syllogismis prime figure directe concludentibus. In his enim qui concludũt indirecte, non habent predicte regule locum. Pro cuius rei intellectu sciendum est, quid sit concludere directe, quid concludere indirecte. Concluditur directe, quando maior extremitas in conclusione predicatur de minore extremitate. Concluditur autem indirecte, quando minor extremitas in conclusione predicatur de maiore. Exempli gratia, in hoc syllogismo directe concluditur, Omne animal est substantia, homo est animal, igitur homo est substãtia. Maior enim extremitas substantia in conclusione predicatur de minore extremitate, homo. Cum autem sic colligo, Omne animal est substantia, homo est animal, ergo substantia est homo, indirecte concluditur, quoniam minor extremitas homo, in cõclusione predicatur de maiore extremitate, substantia: quod non est secundum ordinem directum ⁊ naturalem, cum secundum rectum ⁊ naturalem ordinem, maiori extremitati conueniat predicari in conclusione, minori autem subijci in eadem.

Quid concludire directe vel indirecte.

¶ Quo premisso, ostendamus exemplo, predictas regulas duas speciales in syllogismis prime figure indirecte concludentibus non habere locum. Hic syllogismus bonus est in Fapesmo; Omne animal est substantia, ⁊ nulla arbor est animal, igitur aliqua substantia non est arbor. Minor tamen eius est negatiua. Item hic est syllogismus bonus in Frisesom. Aliquod animal est substantia, nulla arbor est animal, igitur aliqua substantia non est arbor: cum tamen ⁊ primam premissam habeat particularem, ⁊ secundam negatiuam. ¶ Ratio autem quare indirecte concludendo ista nihil obsint, est, quia per cõclusionem indirectam cauetur, ne procedatur a termino non accepto vniuersaliter in antecedente, ad ipsum vniuersaliter positum in conclusione: ⁊ dum minor accipitur negatiua, medium ponitur in altera vniuersaliter. Ita nullus obtingit defectus, qui syllogismo suam auferat bonitatem. Ceterum, vbicunque hec duo non cauentur, siue directe concludatur, siue indirecte, nunquam valebit syllogismus.

Caput. viij.

¶ Discernuntur modi prime figure vtiles ab inutilibus.

Superius dictum est, in syllogismis figuram considerari secundum varium situm trium terminorum, ex quibus syllogismus cōponitur. Ita nuc dicimus, in vnaquaque figura varios modos cōsyderari, secundum variam dispositionem trium propositionū, ex quibus immediate syllogismus omnis componitur. Potissimum vero ex dispositione ipsarū premissarū adinuicem, quanquam largius etiā ex dispositione conclusionis sumitur varietas modorum, vt patebit in modis indirecte concludentibus.

Quid modus. Est enim modus, proprie loquēdo, duarū propositionum adinuicem certa proportio siue habitudo secundum debitam qualitatem ꝛ quantitatem. Tūc autem est qualitas debita, quando premissarum vt minimum altera est affirmatiua. Tūc quantitas debita, quando vt minimum altera premissarum est vniuersalis. Atque insuper in vnaquaque figura, vt modus sit bonus, oportet illius figure regulas simul obseruari. ¶ In vnaquaque autē figura possunt consyderari, sedecim modi, secundum quod totidem modis contingit premissas varie adinuicē disponi: ex quibus modis plures mali sunt ꝛ inutiles, alij pauciores boni ꝛ vtiles. Quod in prima figura ita sit manifestū. Vel enim ambe premisse sunt vniuersales aut ambe particulares, vel maior est vniuersalis ꝛ minor particularis, vel maior particularis ꝛ minor vniuersalis. Singula horū quatuor membrorum quatuor sub se modos complectūtur. Si enim ambe premisse sunt vniuersales, vel ambe sunt vniuersales affirmatiue, ꝛ est prim⁹ modus vtilis, qui significatur per vocabulū Barbara. Vel ambe sunt vniuersales negatiue, ꝛ est mod⁹ prorsus inutilis: quoniā ex puris negatiuis in nulla figura valet syllogismus. Vel maior est vniuersalis affirmatiua, ꝛ minor vniuersalis negatiua, ꝛ est modus inutilis: quoniā minore negatiua in prima figura nō valet syllogismus. Vel maior est vniuersalis negatiua, ꝛ minor vniuersalis affirmatiua: ꝛ hic est mod⁹ vtilis secundus, qui significatur per vocabulum Celarent. ¶ Procedēdo ad alterum membrum, si ambe sint particulares, quatuor id potest fieri modis, similiter vt ostensum est de vniuersalibus ambabus. Verum quomodocunque premisse ambe particulares sumantur, siue ambe affirmatiue, siue ambe negatiue, siue altera affirmatiua, ꝛ altera negatiua, nusquam inuenitur modus vtilis: quoniam ex puris particularibus nihil vsquam recte colligitur, iuxta regulam superius positā. ¶ Transeundo autem ad tertium membrum, si maior sit vniuersalis ꝛ minor particularis, quatuor modis similiter id potest consyderari. Vel ambe sunt affirmatiue, ꝛ est tertius modus vtilis significatus per Darij, Vel ambe sunt negatiue, ꝛ est modus inutilis, quia ex puris negatiuis. Vel maior est affirmatiua ꝛ minor negatiua, ꝛ rursum modus est inutilis: quoniā in prima figura minore negatiua nihil cōcluditur Vel maior est negatiua ꝛ minor affirmatiua, hincq; modus vtilis nascitur quartus per Ferio signatus. ¶ Postremum autem membrū consyderādo, vbi maior est particularis ꝛ minor vniuersalis, nullū inuenimus modū vtilē; siue ambe affirmatiue sint, siue ambe negatiue, siue altera affirmatiua, altera negatiua, quoniā maiore particulari in prima figura nihil concluditur directe. ¶ Ex omnibus igitur his modis,

quibus possunt in prima figura premissę ad directe concludendum disponi, non nisi quatuor modi vtiles possunt inueniri. Si tamē similiter habitudinem conclusionis cum pręmissis consideraremus, plures liceret inuenire modos. vt Barbari, Celaront. Verum (vt s[illegible] dictum est) secundum pręmissas proprie modus cōsideratur. S[illegible] enim diximus in definitione syllogismi pręmissas disponi in m[illegible] 2 figura, atque ex illis sic dispositis sequi conclusionem. Item si ad conclusionem indirectam aspiceremus, plures modi vtiles quā quatuor possunt inueniri, vt patebit in processu.

IN QVARTVM LIBRVM QVI syllogismorum appellatur.

¶Visa & examinata in textu & commento, materia syllogismi gratia exercitij ponuntur aliqua argumenta.

¶Primū cōtra diffinitionem syllogismi, in qua dicitur, quòd est oratio in qua quibusdam positis necesse est aliud accidere scilicet conclusionem.

¶Primo arg. sic. Conclusio non necessario sequitur ex præmissis, ergo illa particula est minus bene assignata. Sequela est bona, & antecedens probo: duæ præmissæ possunt proferri non prolata conclusione, ergo non necessario sequitur, tum quia agens est liberum ad vtranq; partem contradictionis, putà proferre & non proferre conclusionem. Pri.arg.

¶Cōfirmatur quia bene sequitur, Accidit, ergo nō necessario: necessario, ergo non accidit, cū sint modi oppositi necesse & accidere. Confir.

¶Secundo arg. sic. Conclusio aliquando non est aliud à præmissis, vt, Omnis homo est homo, & omnis homo est homo ergo omnis homo est homo. ij.argumē.

¶Tertio arg. sic. Dictū est q medium debet subijci in vna & prædicari in alia, sed hoc est falsum, ergo minus bene dictū. Sequela est bona, & añs probo, Oēm hoiem videt Sortes, Plato est hō, ergo Platonē videt Sortes, ly hominem nec subijcitur in prima (cum non sit subiectum enunciationis eius) nec prædicatur in minore (cum ponatur in recto, & non in obliquo) sicut in prima. iij.argumē

¶Quarto arg. sic. Contra illud quod dicitur, quòd cōcludere directe est maiorem extremitatem prædicari in conclusione, sed hoc est falsum quod sic probo per hunc syllogismum iiij.argu.

omnis homo est animal, substantia est homo, ergo substantia est animal, maior extremitas prædicatur de minore, tamen ho[illegible] non est concludere directè, & si negas minorem probo sic [illegible]prædicatio in directa, ergo non concludit directè.

ii. argumē. principa[illegible] ¶[illegible]undo principaliter arguitur contra barbara. Omnis essentia diuina est pater, omnis filius in diuinis est essentia diuina, ergo omnis filius in diuinis est pater. Præmissæ sunt catholicæ & veræ, cōclusio est hæretica, ergo modus arguendi null⁹

iij. argumē. ¶Secundo arguitur sic. Vtrunq; animal est asinus, vterq; homo est animal, ergo vterq; homo est asinus, prçmissę sunt possibiles, conclusio autem impossibilis, ergo modus arguendi nullus.

iii. argum. ¶Tertio sic. Omnis propositio vera vel falsa est falsa, sed omnis propositio vera est propositio vera vel falsa, ergo omnis propositio vera est falsa. Præmissę sunt veræ & conclusio falsa, ergo modus arguendi nullus.

iiij. argum. ¶Quarto sic. Omnia animalia sunt rationalia vel irrationalia, sed omnis homo & equus sunt animalia, ergo rationalia vel irrationalia, non irrationalia, ergo rationalia. Vltra rationalia, ergo homo est rationalis, & equus est rationalis. Fortè negabis maiorem, quam sic probo, quia sicut singulare de singulari ita plurale de plurali, bene enim sequitur, homo est animal, ergo homines sunt animalia.

Ad primū. ¶Ad primum respondetur quòd ly necessè potest capi dupliciter, vno modo primę intentionaliter, & sic non capitur in proposito, & sic concedo etiam, quòd homo cum sit agens liberū prolatis præmissis, potest proferre conclusionem & non proferre. Alio modo capitur ly necesse secundæ intentionaliter, & sic capitur in proposito quòd conclusio sequitur in bona cōsequentia necessaria ex præmissis, si tamen proferatur.

Necesse potest capi dupliciter.

Ad confir. ¶Ad confirmationem respondeo quòd ly accidit tantum valet sicut sequitur.

Ad .ii. ¶Ad secundum respondeo per aliquas propositiones.

Prima propositio. ¶Prima propositio. Cōclusio est aliud ab antecedēte totali, cū antecedens sit vna copulatiua, & cōclusio est vna cathegorica illata, mediante coniunctione rationali.

¶Secūda propositio. Termini distinguuntur officio saltem. Ratio, quia medium sumitur in præmissis, maior extremitas in maiori & in conclusione, minor extremitas in minori & conclusione sine medio. ij. proposi.

¶Tertia propositio. Alia est vnio extremitatum in præmissis cum medio, alia est vnio extremitatum inter se in conclusione. iij. propo.

¶Ad tertium respondeo q͂ sufficit medium poni in maiori, à parte subiecti, licet non sit subiectum enunciationis, est tamen subiectum distributionis, & non est inconueniens medium poni in vna præmissarum in obliquo, & in alia in recto & sic patet solutio ad argumentum. Ad. iij. ar.

¶Ad quartum nego minorem, & ad probationem dico, quòd ille syllogismus concludit directè. Et quando arguis, Est prædicatio indirecta concedo, ergo concludis indirectè, nego sequelam: aliud nempe est prædicatio indirecta, & aliud concludere, indirectè vt patet. Ad. iiij. ar.

¶Ad secundum principale respondeo, quòd si maior & minor sunt merè vniuersales, & nō de omni prioristico, nego quòd sit in barbara, arguitur enim æquiualenter, ex puris particularibus. Ad. ij. principale.

¶Item dico. Quòd ex illis præmissis sic sumptis non sequitur ista conclusio, Omnis filius est pater, si autem illa maior est de omni, tunc consequentia est bona, sed sicut consequentia est falsa & hæretica, ita & minor, cuius sensus est talis, De quocūq; verum est dicere, & de quibuscunq; verum est dicere quòd est essentia diuina, vel quod sunt essentia diuina, verum est dicere quòd est pater: ex quo sensu patet falsitas illius maioris, omnis essentia diuina est pater. Pro quo nota, quòd multiplex est distributio, vna est pro significato immediato solum: alia est pro significato mediato & immediato, alia dicitur distributio in termino & extra terminum, alia est distributio in numero & extra numerum. Exemplum primi, Omnis essentia diuina est pater, significatum immediatum de ly essentia diuina est ipsa essentia diuina, vel deitas, & non sapientia, nec omnipotentia, nec Pater, nec filius, nec Spiritus Sanctus, Exem- Multiplex distributio.

plum secundi, significatum immedatum de ly omnis essentia, est illud quod supra dictum est, sed mediatum est, sapientia, bonitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Exemplum tertij colligitur ex duobus supradictis. Exemplum quarti est, quotiescunque explicatur sensus tam in numero singulari quàm plurali: vt, De quocunque verum est dicere, & de quibuscunque verum est dicere quòd est essentia diuina, verum est dicere quòd est pater, his suppositis, ponitur talis regula infallibilis.

Regula. ¶ Ad hoc quòd syllogismus valeat in diuinis, oportet quòd sit distributio pro significato mediato & immediato, sit etiam in termino & extra terminum, in numero & extra numerum.

Ad.ij. ¶ Ad secundũ respondeo negando quòd sit in barbara cum nõ sit de omni, & sic non sequitur conclusio, cum syllogizetur ex particularibus.

Ad.iij. ¶ Ad tertium. Omnis propositio, &c. Respondetur duobus modis, primo si illa maior est hypothetica syllogismus non est cathegoricus & sic non est ad propositũ, & deberet sic sub sumi in minori: Sed omnis propositio vera est propositio, ergo omnis propositio vera vel aliqua falsa, est falsa. Secundo dico quòd si maior est de subiecto disiuncto & distribuitur vnica distributione consequentia est bona, sed sic ut conclusio est falsa ita & maior, cuius sensus est, De quocũque illo de quo est verum dicere q̧ est verum vel falsum, verum est dicere q̧ est falsum.

Ad.iiij. ¶ Ad quartum respondeo negãdo maiorem & ad probationem sicut singulare, &c. dico illam regulam non esse vniuersaliter veram, primo quando singulare est terminus communis non habens nisi vnum suppositum, & sic iste consequentiæ sunt nullę, Sol lucet, ergo soles lucent, nec sequitur, Fœnix volat, ergo fœnices volant.

¶ Secundo non tenet illa regula, quãdo tam plurale quàm singulare supponunt confusè & distributiuè, vt, Omne animal est rationale, vel irrationale, ergo omnia animalia sunt rationalia, vel irrationalia.

¶Tertio dico quòd diuisio data in numero plurali non est bona, nisi addatur aliud tertium, vt, animalium, quædã sunt rationalia, quædam irrationalia, sed debet poni vnum tertium mẽbrum, scilicet, quędam sunt animalia, quorum vnum est rationale aliud irrationale.

¶Tertio principaliter arguitur contra illum modum. Barbara. Cõtra Barbara.

¶In tali modo arguendi ex vero sequitur falsum, ergo est insufficiens. Sequela est bona, & añs probo, Omne album necessario est coloratum, omnis homo est albus, ergo in casu facili ista est vera, ergo omnis homo necessario est coloratus. Item omne animal esse substantiam est necesse, omnem hominem esse animal est esse substantiam, ergo omnem hominem esse substantiam est necesse. Pri. argu.

¶Confirmatur. Omne impossibile est falsum, omnem hominem esse asinum est impossibile, ergo omnem hominem esse asinum est falsum: non sequitur conclusio ex præmissis iam dictis, cum supponant materialiter, & sic vna non infertur ex alia. Confir.

¶Respondeo ad primum, concedendo consequentiã, & dico, quòd sicut conclusio est falsa ita maior, cuius sensus est talis, De quocunq; verum est dicere quòd est album, vel de quocunq; verũ est dicere quòd potest esse album, verum est dicere quòd est coloratum, quod est falsum. Ad primũ.

¶Sed pro maiori declaratione notandum est, quòd eodẽ modo ferẽ fiunt syllogismi in prima figura de necessario, sicut ex propositionibus de inesse, dicitur ferè notanter quia istæ de necessario addunt istum modum necesse, & hoc intelligitur in modis vniuersalibus, vt bene sequitur, Omnis homo necessario est animal, Petrus necessario est homo, ergo Petrus necessario est animal, dum modo modus non negetur, quia sic non possit reduci ad aliquem syllogismum. Secundo dico, quòd si maior est de necessario, conclusio debet esse de necessario.

¶Sed pro secunda parte sequuntur aliquę propositiones.

Prima p. ¶ Prima propositio. Arguẽdo ex compositis dupliciter possumus arguere, vno mõ ex parte totius propositionis & tũc ex propositionibus cõpositis de necessario fiunt eodẽ modo syllogismi, sicut ex illis de inesse: vt, Omne animal esse substantiam &c. Omne impossibile est falsum &c. Sed nota, quòd ad hoc quod ista cõsequentia supra dicta sit bona, requiritur quòd ponatur constantia propositionis pro qua supponit dictum conclusionis, & maioris, & minoris, vt sic arguendo, Omnem substantiam esse corpus est necesse. & ista propositio omnem substantiam esse corpus est necesse, est: & omnẽ hominem esse substãtiam est necesse, & ista propositio omnem hominem esse corpus est, ergo omnem hominem esse corpus est necesse, Alio modo potest syllogizari solum ex parte dicti, vt, Omne animal esse substantiam est necesse omnem hominem esse animal est necesse, ergo omnem hominem esse animal est necesse.

Nota. ¶ Sed pro notitia huius modi syllogismi nota, quòd ex talibus propositionibus, non fiunt syllogismi proprij, nisi addatur signum in neutro genere sic dicendo, Omne omne animal esse substantiam est necesse, omne omnem hominem esse animal est necesse, ergo omne omnem hominem esse substantiã est necesse. Ratio est, quia illæ propositiones sine signo in neutro genere, sunt indefinitæ & non vniuersales.

Nota. ¶ Item nota, quòd mixtio ex vna de possibili & alia de necessario, valet in prima figura, (dum nõ sint diuisæ) & sequitur conclusio similis maiori. Et dicitur notanter, quòd diuisa concludatur, quia aliàs non sequitur, Omnis essentia diuina necessario est deus, & omne creans potest esse essentia *diuina*, ergo omne creans esse deũ est necesse, de modo non negato.

ij. proposi ¶ Secunda propositio. In secunda figura valet prædicta mixtio ex vna de necessario & altera de possibili *diuisis*, ad inferendã diuisam de necessario quandocunq; disponantur præmissæ.

iij. proposi ¶ Tertia propositio. In tertia in quolibet modo ex vna de possibili, & alia de necessario diuisis, sequitur conclusio similis maiori.

¶ Sequitur

¶ Sequitur qualiter ex ambamus de possibili diuisis valeat syllogismus in prima figura.

¶ Et arguitur sic. Omne currens possibiliter est asinus, & omnis homo possibiliter est currens, ergo omnis homo possibiliter est asinus. Consequentia est in Barbara & bona, sed sicut conclusio est falsa ita maior: cuius sensus est, Omne quod currit, & potest currere potest esse asinus, quod est falsum, cum equus possit currere tamen non potest esse asinus, & sic possunt formari syllogismi in prima figura. Sed notandum est, quod si subiecta propositionū de possibili prohibeantur ampliari per ly quod est, non valet in Barbara neq; in Celarent. Exemplum primi, posito quòd omne currens sit equus tunc verum est dicere, quòd omne quod est currens potest esse equus, & omne quod est homo potest esse currens, tamen nō sequitur omne quod est homo potest esse equus. Exemplum in Celarent, posito quòd sol non sit super nostrū emisspherium istæ præmissæ sunt veræ, omne quod est planeta super nostrum emisspherium potest non esse sol, et omne quod est maximus planeta, potest esse planeta super nostrum emisspherium, ergo omne quod est maximus planeta potest nō esse sol. Ecce quomodo non valet in Celarent. Dicamus ergo quòd formæ syllogismorum dantur de syllogismis constitutis ex propositionibus de inesse simpliciter.

¶ Nota secundo, quòd in secunda figura, syllogismus cōpositus ex duabus diuisis de possibili, non tenet. Vnde non sequitur, Omnis essentia diuina possibiliter non creat, omnis pater indiuinis possibiliter creat, ergo omnis pater indiuinis possibiliter non est essentia diuina.

¶ Tertio notandum quòd syllogismus cōpositus ex duabus de possibili diuisis, valet in tertia figura, quod potest practicari faciliter. Sed nota, quòd modi eiusdem tertiæ figuræ possunt probari sicut illi de inesse, excepto bocardo, sed tam bocardo quam cæteri possunt probari per syllogismum expositorium, quod sic practicatur in affirmatiuis. Omne, c, potest esse, a: & omne, b, potest esse, c: ergo omne, b, potest esse, a: necesse est in virtute harum præmissarum, quòd idem, c, potest

esse a,& potest esse b,& isto modo seruato,arguitur sic expositorié.Hoc,c,potest esse a:& hoc idem,c,potest esse, b:ergo b,potest esse a:cuius gratia syllogismus expositorius sic diffinitur.Syllogismus expositorius est cuius medium est singulare singulariter & vniuocé tentum.

Syllogismus expositiuus quid.

¶Nota secundo quòd duplex est syllogismus expositorius, affirmatiuus cuius vtraq; præmissarum est affirmatiua,& negatiuus cuius altera præmissarum est negatiua.

¶Nota tertio quòd eius. Sunt tres conditiones.Prima quòd medium teneatur simpliciter & vniuocé.Secunda, quòd medium in altera præmissarum,sit totale extremum,tertia quòd à præmissa affirmatiua,sequatur vna de omni, & ab vna negatiua,sequatur vna de nullo.Exemplum primi,Sortes est animal,ergo omne quod est Sortes est animal. Exemplum secundi,Sortes non est lapis , ergo nihil quod est Sortes est lapis.

¶Sed contra arguitur sic.

Pri. argu. ¶Primo.Iste homo vel asinus est asinus,& iste homo vel asinus est homo,ergo homo est asinus. Præmissæ videntur veræ,conclusio falsa,ergo modus arguendi nullus.

ii.argumē. ¶Secundo arguitur sic.Istius hominis est caput,& istius hominis est pes , ergo pes est caput , & econtra caput est pes. Præmissę possunt esse veræ,conclusio est manifesté falsa, ergo intentum.

iii.argumē ¶Tertio sic,Ista essentia diuina est pater, et ista eadem essentia diuina est filius,ergo filius est pater,præmissæ sunt catholicæ , conclusio autem hæretica , ergo modus arguendi nullus.

Ad primū. ¶Ad primum respondetur quòd si illa propositio maior, vel etiam minor est disiunctiua, syllogismus nullus est, cum non fit ex propositionibus cathegoricis. Secundo dico,quòd si sola vna pars, putà,prima singularizetur in maiori , eadem sola debet subijci in minori arguendo sic , Iste homo vel asinus est asinus, & iste homo est asinus vel homo, ergo asinus vel homo est asinus , quia regula est in syllogismo expositorio

seruanda, quód omne illud quod non singularizatur in præmissis, inferatur in conclusione tanquam extremitas, id est, pars extremitatis. Tertio dico, quód si singularizetur in prima ly homo, & in secunda ly asinus, iam non est vnicum medium singularizatum, & sic nihil valet syllogismus. Quarto dico quód si totum disiunctum singularizetur, singularizatur in prima pro homine existente asino. Consequentia est bona, tamẽ sicut conclusio est falsa, ita & minor.

¶Ad secundum. Istius hominis & cæ. nego sequelam, & ratio est, quia medium non est totale extremum in vna præmissarum, deberet sic subsumi minor, & iste homo est pes, ergo pes vel aliquid hominis est caput. Ad secũdũ

¶Ad tertium neganda est consequentia, quia ab vna affirmatiua ad vnam de omni, non valet consequentia. Non enim sequitur ista essentia diuina est pater, ergo omne quod est ista essentia diuina est pater. Nec sequitur, ista essentia diuina est filius, ergo omne quod est ista essentia diuina & est filius, ita syllogismus nihil valet. Ad tertiũ.

Caput .ix.

¶De modis vtilibus prime figure ꝛ de vocabulis quibus modi illi apte signantur.

Quo vero facilius ꝛ expeditius adolescentulorum animi cognoscerent, seruarentque tenacius, vtiles syllogismorum formas siue modos sagaci industria ii qui post Aristotelem in harum rerum consyderatione versati sunt, vocabula quędam effinxerunt, quibus vniuscuiusque modi propositionum simul ꝛ conclusionis, tum qualitas, tum quantitas, commode designarentur, quę proinde vocabula artis recte nominari possunt, quod propter artem hanc syllogisticam promptius tenendam a tractatoribus artis sint efficta, quemadmodum ꝛ in priori libro diximus de vocabulis illis, Amabimus, Edentuli, Iliace, Purpurea, ad modaliũ ęquipollẽtiã facilius cognoscẽdã inuẽtis. ¶Vocabula autẽ quibus hi quatuor modi vtiles atq; pfecti prime figurę nominãtur, hęc sunt. Barbara, Celarẽt, Darii, Ferio. Significatio vero eorũ talis est. Prima syllaba significat, cuius tum qualitatis tum quãtitatis debeat esse maior syllogismi: secunda, qualis ꝛ quanta minor: tertia,

qualis & quanta conclusio. Significatio autem ista, ex vocalibus est quatuor, a e i o. A enim vniuersalem affirmatiuã significat, e vniuersalem negatiuã, i particularem affirmatiuã, o particularẽ negatiuam.

¶ Primus igitur modus, qui per Barbara significatur, tunc est, quãdo in prima figura maior & minor ambę vniuersales affirmatiuę, inferunt directe conclusionem similiter vniuersalem affirmatiuam.

	Bar	Omnis virtus est laudanda
Exemplum	ba	Omnis modestia est virtus
	ra	Omnis igitur modestia est laudanda.

¶ Sequitur de forma syllogismi per singulas figuras & modos.

Primũ ar. ¶ Primo contra Barbara arguitur sic. Omnis essentia diuina est pater, filius est essentia diuina, ergo filius est pater. Pręmissæ sunt veræ, conclusio hæretica, ergo Barbara non est modus sufficiens.

ii. argumẽ. ¶ Secundo arguitur sic. Omnis propositio vera vel falsa est falsa, sed omnis propositio est vera vel falsa, ergo omnis propositio est falsa. Præmissę sunt veræ conclusio falsa, ergo intentum.

iii. argumẽ ¶ Tertio arguitur sic. Omnia animalia sũt rationalia vel irrationalia, sed omnis homo & equus sunt animalia, ergo omnis homo & equus sunt rationalia vel irrationalia.

iiii. argu. ¶ Quarto arguitur sic. Omnis propositio si est vera est vera, sed omnis propositio vniuersalis est propositio si est vera, ergo omnis propositio vniuersalis est vera, ita ista, nullus homo esset animal, cum sit propositio vniuersalis.

v. argumẽ. ¶ Quinto sic, Cuiuslibet contradictionis altera pars est vera, omne falsum est altera pars contradictionis, ergo omne falsũ est verum, Et ita ista est vera homo est asinus.

vi. argumẽ ¶ Sexto sic. Quicunq; dicit te esse animal dicit verum, sed quicunq; dicit te esse asinum dicit te esse animal, ergo quicunq; dicit te esse asinum dicit verum, ergo sequitur quod ista est vera, Tu es asinus.

¶ Ex quibus sequitur quod Barbara non est modus congruus argumentandi, quia vt apparet ex dictis, ex vero sequitur falsum.

¶ Sed pro solutione prædictorũ dicitur primo, quod Barbara

est modus euidētissimus, & in syllogismo in tali modo dispo-
sito, ex vero nunquam sequitur falsum, si tamen seruentur re-
gulæ requisitæ ad bonam consequentiam.

Ad primum ergo respondetur distinguendo maiorem, si ipsa est de omni, syllogismus est bonus, & sicut cōclusio ē fal-
sa ita & maior, cuius sensus est, De quocunq; verum est dicere
quod est essentia diuina, verum est dicere quod est pater, si au
tem illa maior sit vniuersalis, neganda est sequela, quia in vir
tute arguitur ex puris particularibus & medium, putā, essen-
tia diuina, nō distribuitur in termino et extra terminum, &
in numero et extra numerum quod requiritur ad perfectam
distributionem. Ad primū.

Ad secundum respondetur per propositiones. Ad. ij.

Prima propositio. Si illa propositio est disiunctiua, illa pro-
positio nulla est, cum debeat componi syllogismus ex cathe-
goricis propositionibus. Prima propositio.

Secunda propositio. Si illa propositio est disiunctiua distin
guitur, quia vel distribuitur ly propositio solum, & tunc sub-
sumi debet in minori, & omnis propositio est propositio, er-
go omnis propositio vera vel falsa est falsa. ij. proposi.

Tertia propositio. Si cum ly propositio distribuitur ly ve-
ra, tunc in minori debet subsumi, omnis propositio est vera,
& in conclusione, ergo omnis propositio vera est vera vel
falsa: si autem distribuatur totum, putā, propositio vera vel
falsa, tunc consequentia est bona, tamen sicut conclusio est fal
sa, ita & maior, cuius sensus est, de quocunq; verum est dice-
re quod est propositio vera vel falsa, verum est dicere quod
est propositio falsa. iij. proposi

Ad tertium nego maiorem, est nempe falsa propositio si to
tum disiunctum distribuatur, & ad probationem quę com-
muniter fit, putā sicut singulare de singulari ita plurale de plu
rali, dico quod illa regula fallit in multis, non enim sequitur,
Deus est quo magis excogitari non potest, ergo dij sunt qui-
bus maiora excogitari non possunt, nec sequitur, Sol lucet,
ergo soles lucent. Ad. iij. arg.

Ad quartum respondetur quod si illa propositio est condi Ad. iiij.

tionalis, syllogismus est nullus, cum non conficiatur ex hypotheticis, si autem est de subiecto conditionato & distribuitur solum ly propositio, debet in minori subsumi, Omnis propositio vniuersalis est propositio, & in conclusione, ergo omnis propositio vniuersalis si est vera, est vera: si autem distribuatur totum conditionatum, tunc subsumitur sic, Omnis propositio vniuersalis est vera propositio si est vera, & sic dico, quòd maior supponit pro quolibet ente, sed sicut conclusio est falsa ita & maior.

Ad quintū ¶ Ad quintum respondetur negando sequelam. Ratio, quia plus subsumitur in minore quàm sit subiectum destributionis maioris. Solum nempe contradictio distribuitur, ergo debet subsumi, Omne falsum est contradictio, ergo omne falsum vel altera pars contradictionis est falsa.

Ad sextum ¶ Ad sextum respondetur negando sequelam, non enim sequitur quicunq; dicit istam propositionem, Tu es animal dicit istā propositionē, Tu es asinus, sumuntur enim illæ propositiones materialiter, vt aliàs visum est.

Secundus modus primę figurę, qui per Celarent significatur, tunc est, quando maior vniuersalis negatiua, & minor vniuersalis affirmatiua directe inferunt conclusionem vniuersalem negatiuam.

	Ce	Nulla virtus est vituperanda.
Exemplum	la-	Omnis humilitas est virtus.
	rēt	Nulla igitur humilitas est vituperanda.

¶ Sed contra secundum modum arguitur sic.

Primū ar. ¶ Nullum animal dum dormit vigilat: omnis homo est animal dum dormit, ergo nullus homo vigilat: casu posito quòd aliqui homines dormiant vel omnes, antecedens est verum, & conclusio falsa, ergo modus videtur insufficiens.

ij. argumē. ¶ Secundo sic, Nullum dextrum est sinistrum, cuiuslibet hominis oculus est dexter, ergo nullius hominis oculus est sinister, posito casu quòd aliqui homines habeant oculos sinistros, præmissæ sunt veræ, & conclusio falsa.

iij. argumē ¶ Tertio sic, Nulla voluntas est intellectus, cuiuslibet homi-

nis est voluntas, sequitur ergo quòd nullius hominis est intellectus.

¶Quarto arguitur sic, Nullus turonus valet solidum, omnis ducatus valet turonum, relinquitur ergo quòd nullus ducatus valet solidum. iiij. argu.

¶Quinto sic, Nihil quod viuit obijt, omnis homo viuit, ergo nullus homo obijt. v. argumẽ.

¶Sexto sic. Nulla aqua bibit vinum, omnis homo bibit aquã ergo nullus homo bibit vinum. vi. argumẽ

Solutio.

¶Ad primum respondetur distinguendo maiorem, quia si est hypothetica temporalis, neganda est consequentia, si autem est cathegorica de subiecto temporato dico quòd consequentia est bona: sed sicut conclusio est falsa ita & maior, cuius sensus est. De nullo de quo verũ est dicere quòd est animal quando dormit, verum est dicere quòd vigilet. Ad primũ.

¶Ad secundum argumentum respondetur negando consequentiã: quandoquidem arguitur à termino non distributo ad terminum distributum, oculus enim nõ distribuitur in minore & distribuitur in conclusione. Ad secũdũ

¶Ad tertium danda est eadem responsio, vel aliter distinguenda est maior, quæ potest intelligi formaliter vel realiter, ita quòd sit sensus, Nulla voluntas formaliter est intellectus, cuiuslibet hominis est voluntas, ergo nullius hominis voluntas formaliter est intellectus, vel sic, Nulla voluntas realiter est intellectus, & in conclusione debet inferri eadem identitas, vt debitè fiat argumentatio, quia si in maiore capitur formaliter, & in conclusione realiter vel è contra, neganda est consequentia, cum sit æquiuocatio ex parte identitatis extremorum. Ad tertiũ.

¶Ad quartum negatur consequentia quia in plus se habet prædicatum minoris, quàm sit subiectum distributionis maioris, deberet sic subsumi, omnis ducatus est turonus, & tunc sicut conclusio est falsa ita & maior, sed sub sumptum est in minore totum hoc, valens turonum. Ad quartũ

Ad quintū ¶Ad quintum respondetur negando consequentia, arguitur enim a non distributo ad distributum, vel potius à minus amplo ad magis amplum ex parte de ly homo, stat enim in minore pro præsentibus tantum & in conclusione, pro præsentibus & præteritis.

Ad sextum ¶Ad sextum respondetur negādo consequentiā, quia in plus se habet prædicatum minoris quàm subiectum distributionis maioris, subiectū distributionis maioris est ly aqua: prædicatum minoris est totum hoc, aquam habēs, ergo non seruatur regula quòd non prædicetur in minore nisi illud, quod fuerit subiectum distributionis in maiori.

Tertius modus, qui per Darii significatur: tunc est, quando in prima figura maior est uniuersalis affirmatiua, & minor particularis affirmatiua, directe concludunt particularem affirmatiuam.

Da Omnis virtus est digna laude.
Exemplum ri Aliqua taciturnitas est virtus.
i. Igitur aliqua taciturnitas est digna laude.

¶Contra tertium modum Darij.

Primū ar. ¶Primo sic, Omnes apostoli dei sūt duodecim, Petrus & Paulus sunt apostoli dei, ergo Petrus & Paulus sunt duodecim: præmissæ sunt veræ et conclusio falsa, ergo intentum.

ii. argumē. ¶Item secundo sic. Omne quod fuit est, Abraham fuit, ergo Abraham est.

iii. argumē ¶Tertio sic. Omnes modi secundæ figuræ sunt quatuor, Cesare & Camestres sunt modi secundæ figuræ, ergo Cesare & Camestres sunt quatuor.

iiii. argu. ¶Quarto sic. Omne indiuiduum alicuius speciei est asinus, Sortes est indiuiduum alicuius speciei, ergo Sortes est asinus.

v. argumē. ¶Quinto sic. Omnis propositio si est necessaria est vera, ista propositio homo est asinus est propositio si est necessaria, ergo ista propositio homo est asinus est vera.

Ad primū. ¶Ad primum respondetur distinguendo maiorem, Quòd si ly omnes capitur distributiuè, consequentia est bona, sed sicut conclusio est falsa ita maior, cuius sensus est, De qui-

busc unque verum est dicere quòd sunt apostoli Dei, de illis verum est dicere quód sunt duodecim: si autem capiatur collectiuè, consequentia est nulla, & sic neganda.

¶ Ad secundum respondetur dupliciter, quod maior potest negari, eò quód subiectum eius pro sui præterito & præsenti distribuitur. Vel potest dici quòd habet istum sensum, Omne quod fuit & est, est, & sic solū stat pro præsentibus, & sic negan da est consequentia: quia Adam licet fuerit, non est. Item arguitur à magis amplo, ad minus amplum. Adam enim in minore stat pro illo quod est vel fuit, & in conclusione pro illo quod est solum. Ad.ij.

¶ Ad tertium respondetur, eodem modo sicut ad primum responsum est, quia ly omnes potest capi vel distributiuè, vel collectiuè, &c. Ad.iij.

¶ Ad quartum respondent aliqui concedendo consequentiā, sed negando maiorem, quia dicunt quòd ad distributionem recti, sequitur distributio sui obliqui capti vnica acceptione, sic est in proposito, quia sensus est, Omne indiuiduum cuiuslibet speciei est asinus. Etiam hoc diceret qui tenet totum aggregatum supponere distributiuè, licet obliquus pro se stet confusè. Alij dicunt negando consequentiam, quia non bene subsumitur, quia prædicatū minoris in plus se habet quàm subiectū distributionis maioris, deberet enim sic subsumi, Sortes est indiuiduum, & sic concludi, ergo Sortes vel indiuiduum alicuius speciei est asinus, & fortè verius, vel alterum alicuius speciei est asinus, ne dicatur medium ingredium conclusionem. Ad.iiij.

¶ Ad quintum respondetur primo, quòd si est conditionalis neganda est consequentia, si verò de conditionato subiecto, & totum conditionatum distribuatur concedenda est consequentia, & neganda maior, cuius sensus est, De quocunq; verū est dicere quòd est propositio si est necessaria, verum est dicere quòd est verum. Si autem non distribuatur nisi ly propositio, malè subsumitur in minore, sed sic debet subsumi, Ista propositio homo est asinus, est propositio, ergo ista propositio homo est asinus, vel aliqua alia si est necessaria, est vera. Ad.v.

Quartus modus perfectus primę figurę, qui per Ferio significatur: tunc est, quando maior universalis negatiua, & minor particularis affirmatiua directe concludunt particularem negatiuam.

Exemplum
Fe Nulla virtus est vituperanda.
ri Aliqua taciturnitas est virtus.
o Aliqua igitur taciturnitas non est vituperanda.

In his modis exercitatissimos se reddant adolescentes, vt quibuslibet propositis terminis cuiuscunque tandem prędicamēti, statim in promptu habeant ex eis syllogismum contexere, secundum terminorum habitudinem adinuicem. In singulis enim prędicationibus cuiuscunque prędicabilis fuerint, & ex omnibus termini cuiuscūque fuerint prędicamenti, syllogismorum hę formę valent, suntque euidentes. A figura enim & modo suam habent virtutem & euidentiam, non ab ipsis terminis.

¶Arguitur contra quartum modum Ferio.

Argumentum primū. ¶Primo sic. Consequentia qua arguitur à distributo ad non distributum est mala, sed in Ferio arguitur à distributo ad non distributum, ergo est consequentia mala. Antecedens probo, Omnis homo est animal, ergo animal est omnis homo. Item, homo est animal, ergo homo est omne animal, sunt malæ cōsequentiæ eò quòd arguitur à distributo ad non distributum.

Solutio. ¶Ad hoc respondetur per propositiones.

Prima propositio. ¶Prima propositio. Consequentia qua arguitur à distributo ad nō distributū, aliquando est mala, vt patet in exēplis datis.

ij. proposi. ¶Secunda propositio. Aliquando consequentia qua arguitur à distributo ad non distributum est bona: vt, Omnis homo est animal, ergo animal est homo. Omnis homo est animal, ergo homo est animal.

iij. proposi. ¶Tertia propositio. Distributio quæ se tenet ex parte medij non impedit bonitatem consequentiæ sicut fit in Ferio.

iiij. propo. ¶Quarta propositio. Distributio quæ se tenet ex parte extremitatum impedit consequentiam.

Caput. x.

¶De quinque modis primę figurę indirecte concludentibus.

PRæter supradictos quatuor modos vtiles & perfectos primę figurę, sunt alij quinque concludentes indirecte, qui significātur his dictionibus, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum. Ubi nota, in duobus vocabulis Baralipton & Frisesomorum,

syllabas nõnisi tres priores esse necessarias:ceteręsunt adiectę, propter complemẽtum metri, quo solẽt hęc vocabula propter memoriam contineri, hoc modo.
Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
¶Quintus igitur modus primę figurę, primus eorum qui indirecte concludunt, est, quando maior & minor ambę vniuersales affirmatiuę inferunt indirecte conclusionem particularem affirmatiuam.

Exemplum
Ba Omne animal est substantia.
ra Omnis homo est animal.
lip Quędam igitur substantia est homo.

¶Arguitur contra Baralipton.

¶Omne currens est asinus, & omnis homo est currens, ergo aliquis asinus est homo. Argumen.

¶Respondetur concedendo consequentiam, & etiam possibilitatem vtriusque pręmissę, sed negando compossibilitatem, est enim antecedens impossibile, & sic non est inconueniẽs ex impossibili sequi impossibile. Solutio.

Sextus mod9 est, quãdo ex maiore vniuersali negatiua & minore vniuersali affirmatiua, indirecte colligitur cõclusio vniuersalis negatiua.

Exemplum
Ce Nullum animal est arbor
lan Omnis homo est animal
tes Nulla igitur arbor est homo.

¶Contra celantes arguitur sic.

¶Omne animal substantia non est, omnis homo est animal, ergo nulla substantia est homo. Argumen.

¶Respondetur quód arguitur à non distributo ad distributum ex parte maioris extremitatis. Solutio.

Septim9 mod9 est, quãdo ex maiori vniuersali affirmatiua & minore pticulari affirmatiua, sequit indirecte cõclusio pticularis affirmatiua

Exemplum
Da Omne animal est substantia.
bi- Quidam homo est animal.
tis Quędam igitur substantia est homo.

Octauus modus est, quando ex maiore vniuersali affirmatiua & minore vniuersali negatiua, indirecte cõcluditur particularis negatiua.

Exemplum
Fa- Omne animal est substantia.
pes Nulla arbor est animal.
mo Igitur quędam substantia non est arbor.

Non9 modus & vltim9 primę figurę est: quãdo ex maiore particulari affirmatiua, & minore vniuersali negatiua, sequitur indirecte cõclusio particularis negatiua.

Fri- Quoddam animal est substantia.
Exemplum fe- Nulla arbor est animal.
som Igitur quędam substantia nō est arbor.



Quomodo autem hi imperfecti quinque modi reducantur ad quatuor primos perfectos, dicetur posterius.

Caput. xi.

De regulis specialibus secundę figurę.

Secunda figura (vt supra diximus) tunc est, quando medium syllogismi in vtra que pręmissarum prędicati locum obtinet. Ut cū ita argumentamur, Omnis homo est animal, & nulla arbor est animal nulla igitur arbor est homo. Hic medium animal in vtraque prędicatur. Pro syllogismis autem huius figurę tres istę ponuntur regulę speciales.

In secunda figura, maiore existente particulari non valet syllogismus

In secunda figura, ex puris affirmatiuis non valet syllogismus.

In secunda figura, semper concludi debet negatiuę.

¶ Cōtra primam regulam hic peccat syllogismus. Aliquod animal est homo, & nullum brutum est homo, igitur quoddam brutum non est animal. ¶ Ratio autem huius regulę est, quia in huiusmodi syllogismo proceditur a termino non posito vniuersaliter in antecedente ad eūdem in cōclusione vniuersaliter positum. Unde si per modum aliquē defectus iste impediatur, non erit malus syllogismus: vt si ex iisdem pręmissis inferatur hęc conclusio. Aliquod brutum non omne animal est. ¶ Contra secundam peccat hic syllogismus, Omnis homo est animal, & omne brutum est animal: igitur omne brutum est homo. Ratio huius regulę est, quia mediū in huiusmodi syllogismis in neutra pręmissarum tenetur vniuersaliter. Quod si curetur, valebit illatio: vt si medio in altera pręmissarū addatur signū vniuersale, dicēdo, Omnis homo omne animal est: vel secunda, Omne brutum omne animal est. Contra quoque, si altera pręmissarum existēte negatiua, impediatur tamen medium, ne stet vniuersaliter, nō valebit syllogismus. Ut si ita quis colligat, Omne animal est corp9, & omnis homo aliquod corpus non est, igitur omnis homo nō est animal: vitiose colligit: ex eo quod mediū nusquam positum sit vniuersaliter. ¶ Tertia autem regula ex secunda manifeste consequitur: quoniam (iuxta regulam generalem suprapositam) si aliqua pręmissarum fuerit negatiua, conclusionē oportet esse negatiuam. Postea igitur quam in secunda figura necesse sit alteram pręmissarum esse negatiuam, cōsequens est, & conclusionē semper esse debere negatiuam.

Caput.xij.

¶ De modis secunde figure.

Quomodo autem in prima figura sedecim modos descripsim⁹ ex quibus omnibus admodũ paucos, nempe quatuor tantũ, vtiles inuenimus, sic ⁊ in hac figura per singulos modos discurrendo, inueniuntur quatuor tantum vtiles. Uel enim ambe premisse sunt vniuersales: vel ambe particulares: vel maior vniuersalis ⁊ minor particularis, vel econtrario maior particularis ⁊ minor vniuersalis. ¶ Primum membrũ quatuor modos cõtinet. Uel ambe sunt vniuersalis affirmatiue, estque modus inutilis: quoniã in secũda figura ex puris affirmatiuis nihil sequitur. Uel ambe vniuersales negatiue, ⁊ rursum non valet syllogismus: quoniã ex puris negatiuis in nulla figura quicquam sequitur. Uel maior est vniuersalis negatiua ⁊ minor vniuersalis affirmatiua, ⁊ cõsurgit primus modus vtilis, qui per vocabulũ artis Cesare significatur, Uel maior est vniuersalis affirmatiua, ⁊ minor vniuersalis negatiua, ⁊ habetur mod⁹ secũdus vtilis, qui significatur hoc vocabulo Camestres. Ex secũdo mẽbro, nullus mod⁹ habetur vtilis: quoniã ex puris particularibus nusquã quicquã syllogistice cõficitur. ¶ Trãscundo ad tertiũ membrũ, vel maior est vniuersalis affirmatiua ⁊ minor particularis itẽ affirmatiua, ⁊ sic modus est inutilis: quoniam ex puris affirmatiuis in secunda figura nihil cõcluditur. Uel maior est vniuersalis negatiua ⁊ minor itẽ particularis negatiua, rursum inutilis modus inuenitur, quoniã ex puris negatiuis nihil sequitur. Uel maior est vniuersalis negatiua, ⁊ minor particularis affirmatiua, ⁊ habetur tertius mod⁹ vtilis, qui signatur per vocabulũ Festino. Uel maior est vniuersalis affirmatiua, ⁊ minor particularis negatiua, cõsurgitq; modus vtilis quartus, signat⁹ vocabulo. Baroco. ¶ Ex quarto autẽ mẽbro, vbi maior est particularis ⁊ minor vniuersalis, nullus bonus modus colligi potest: quoniã (iuxta regulam) maiore existente particulari in secunda figura nihil recte conficitur. Quatuor igitur tantũ modi vtiles inueniuntur secunde figure, ceteri omnes tanquã asyllogisti ⁊ inutiles reiiciuntur. ¶ Est igitur primus modus secunde figure, quando ex maiore vniuersali negatiua, ⁊ minore vniuersali affirmatiua, sequitur conclusio vniuersalis negatiua.



	Ces	Nulla arbor est animal:
Exemplum	a.	Omnis homo est animal:
	re.	Nullus ergo homo est arbor.

¶Sequuntur quædam argumenta cõmunia contra modos secundæ figuræ.

¶Et primo contra Cesare arguitur sic. Nulla propositio est vera quando est falsa, omnis propositio impossibilis est falsa, ergo nulla propositio impossibilis est propositio, præmissę sunt veręc & conclusio falsa, ergo modus insufficiens. iiii.argu.

Argum. ij. ¶ Secundo sic. Nulla propositio affirmatiua est negatiua, cuiuslibet contradictionis altera pars est negatiua, ergo nullius contradictionis altera pars est affirmatiua.

Argum .iij. ¶ Tertio sic. Quoddam animal non est asinus omne, rudibile est asinus, ergo quoddam animal non est rudibile, sequitur bene, tamen arguitur maiore existente particulari in secunda figura, ergo regula falsa.

Argu. iiij. ¶ Quarto sic. Omnis homo animal non est, omne risibile est animal, ergo nullum risibile est homo. Præmissæ sunt veræ, & conclusio falsa, ergo ille modus insufficiens.

Solutio, Ad. primũ. ¶ Ad primum respondetur primo Si illa est temporalis negãda est sequela, si autem sit de temporato prædicato tunc non bene subsumitur, sed sic debet subsumi, Omnis propositio impossibilis est vera quando est falsa, ergo nulla propositio impossibilis est propositio, & sic bona est sequela. Sed sicut conclusio est falsa, ita & minor.

Ad. ij. ¶ Ad secundum respõdetur cõcedẽdo maiorẽ, & sic dico q̃ nõ bene subsumitur, sed sic debet subsumi cuiuslibet cõtradictionis altera pars est negatiua, ergo cuiuslibet cõtradictionis altera pars nõ est affirmatiua, alias arguitur à nõ distributo ad distributum.

Ad. iij. ¶ Ad tertium respondetur concedendo totum quia concluditur indirecte.

Ad. iiij. ¶ Ad quartum respondetur negando sequelã, quia arguitur à non distributo ad distributum.

Secundus modus est, quando ex maiore vniuersali affirmatiua, & minore vniuersali negatiua, infertur conclusio vniuersalis & negatiua.

Exemplum
ca Omnis homo est animal.
mes Nulla arbor est animal.
tres Nulla ergo arbor est homo.

¶ Contra Camestres specialiter arguitur.

Argumen. ¶ Omnis propositio vel eius contradictoria est vera, nullum falsum est verum, ergo nullum falsum est propositio vel eius contradictorium.

Solutio. ¶ Respõdetur quòd si ly omnis distribuit totũ disiunctũ consequẽtia est bona, sed sicut consequens est falsum, ita maior, quia sensus est, De quocunq; verum est dicere quòd est propositio vel eius contradictoria, verũ est dicere quòd est verum, sed si

prima pars tantum distribuitur, non bene subsumitur.

Tertius modus est, quando ex maiore vniuersali negatiua, & minore particulari affirmatiua infertur conclusio particularis negatiua.

	Fes-	Nulla arbor est animal.
Exemplum	ti-	Aliquis homo est animal.
	no.	Igitur quidam homo non est arbor.

¶Contra Festino arguitur.

¶Primo sic. Nullum mortuum est homo, Christus est homo, ergo Christus non est mortuus. — Argumen. primum.

¶Secundo sic. Nullus bos est equus, tantum animal est equus, ergo tantum animal non est bos. — Argu. ij.

¶Ad primũ respõdetur quòd bene sequitur, sed sicut cõsequẽs est falsum ita & maior. Bonitas cõsequentiæ patet per cõuersionẽ maioris sic, Nullus hõ qui est, est mortuũ quod est, Christus est homo qui est, ergo Christus nõ est mortuum quod est. — Ad primũ.

¶Ad secundũ respõdeo negãdo consequẽtiã, deleatur signũ exclusiuũ, quia aliàs nõ regulatur per dici de nullo mediatẽ. — Ad. ij.

Quartus modus est, quando ex minore vniuersali affirmatiua & minore particulari negatiua sequitur conclusio particularis negatiua.

	Ba	Omnis homo est animal.
Exemplum	ro-	Quedam arbor non est animal.
	co	Quedam ergo arbor non est homo.

¶Contra Baroco arguitur.

¶Primo sic. Omnis homo vigilat, homo dormiens non vigilat, ergo dormiens non est homo. — Argumen. primum.

¶Secundo sic. Omnis homo est animal, a risibile non est animal, ergo risibile non est homo. — Argumẽ. ij.

¶Ad primum respondetur concedendo totum, quia si omnis homo vigilat optimè sequitur quòd homo dormiens non est homo, postquam nullus est dormiens, est enim vna negatiua cuius subiectum pro nullo supponit. — Ad primũ.

¶Ad secundum respondetur, quòd consequentia nõ valet cũ arguatur à nõ distributo ad distributũ, & à termino stante confusè tantum, ad ipsum stantem determinatẽ. — Ad. ij.

Quomodo autem hi modi habeãt reduci & perfici per modos primę figurę, posterius suo loco dicetur.

¶Enumerantur quoque hic modi tantum directe cõcludentes. Alioqui, si & indirecte concludentes voluerimus considerare, vt supra fecimus in prima figura, inueniũtur & alij modi. Hic enim syllogismus, Nulla arbor est animal, & omnis homo est animal, igitur nulla arbor, est ✣✣✣

hom o:syllogismus est secundę figurę:nō est tamen in Cesare, sed potius in Cesares. Sic enim differt syllogismus ille a syllogismis factis in Cesare, sicut in prima figura syllogismi in Celantes a syllogismis factis in Celarent. Iterum hic syllogismus, Omnis homo est animal, & nulla arbor est animal, igitur nullus homo est arbor, non est in Camestres, sed potius in Camestre: quoniam in reductione eius ad Celarent non oportebit conclusionem conuerti simpliciter, sicut in syllogismo facto in Camestres. ¶ Alio modo autem tertio festino, nō potest accipi modus in directe concludens: quoniam particularis negatiua non conuertitur, & procederetur a minore extremitate in pręmissis non posita vniuersaliter, ad eandem in conclusione vniuersaliter positam. Similiter & de Baroco dicendum. Ueruntamen maiore existēte particulari possit inueniri modus bonus ad concludendum indirecte. Ut sic colligendo, Aliquod animal est homo, & nullum brutum est homo, igitur aliquod animal non est brutum. Qui modus sic fere sumitur in secunda figura contra regulam specialem prohibentem accipere maiorem particularem, quomodo in prima figura vltimus modus Frisesomorum accipitur contra ambas regulas speciales primę figurę, cum & maiorem habeat particularem & minorem negatiuam.



Caput.xiij.
¶ De tertia figura.

Tertia figura (vt supra diximus) est, quando medium syllogismi in vtraque pręmissarum subiecti locum obtinet. Ut autem dispositi secundum hanc figuram syllogismi valeant, pręter regulas generales superius datas, alię duę speciales sunt obseruandę, quę sunt istę.

¶ In tertia figura, minore existente negatiua non valet syllogismus. In tertia figura, non potest concludi vniuersaliter, sed particularem semper oportet inferri conclusionem.

¶ Contra priorem regulam peccat hic syllogismus, Omnis homo est substantia: & nullus homo est arbor, igitur quędam arbor non est substantia. Contra secundum peccat iste, Omnis homo est animal, & omnis homo est substantia, igitur omnis substantia est animal. ¶ Ratio autem harum regularum ambarum vna est, quoniā in huiusmodi syllogismis proceditur a termino non posito vniuersaliter in pręmissis ad eundem in conclusione vniuersaliter positum. In priore quidem ex parte maioris extremitatis, in posteriori vero, ex parte minoris. vnde si per modum aliquem inconsuetum loquēdi hic defectus caueatur, valebit syllogismus, etiam si videatur in alteram regularum illarum peccare, vt si in priore suprapposito syllogismo sic inferatur. Quędam arbor non omnis substantia est, vel aliqua substantia non est.

Caput. xiiii.

¶ De modis tertię figurę.

Quomodo autem supra in duabus figuris pręcedentibus, ex omnibus modis cõsideravimus qui utiles & qui inutiles habeantur, sic & in hac proportionabiliter faciẽdum, ut pateat quot nobis ex hac figura utiles modi consurgant. Igitur aut ambę pręmissę sunt universales, aut ambę particulares: aut maior universalis, & minor particularis, aut econtrario maior particularis & minor universalis. ¶ Sub primo membro quatuor modi considerantur. Cũ enim ambę fuerint universales, vel affirmativę sunt, & est modus utilis prim⁹, qui significatur vocabulo Darapti. Vel sunt ambę universales negativę, & est modus inutilis, quoniã ex puris negativis nihil sequitur. Vel maior est affirmativa & minor negativa, & rursum modus est inutilis: quoniam minore negativa nihil recte colligitur in hac figura. Vel maior est negativa & minor affirmativa, sicque modus invenitur utilis, qui significatur per Felapton. ¶ Ex secundo membro, ubi ambę particulares sunt, constat nihil boni procedere: quoniam ex puris particularibus nusquam quicquam syllogistice cõcluditur. ¶ Ex tertio autem membro, duo modi utiles inveniuntur, & duo inutiles. Vel enim maior est universalis affirmativa, & minor particularis item affirmativa, estque modus utilis, qui significatur per Datisi. Vel maior est universalis negativa, & minor particularis affirmativa, & iterum alius est modus utilis, significatus vocabulo Ferison. Vel maior est universalis affirmativa, & minor particularis negativa, sicque modus est inutilis: quoniam minore negativa in hac figura nihil conficitur. Vel ambę sunt negativę neque rursum quicquam utile invenitur. Sub quarto membro, iterum duo modi utiles & duo inutiles inveniuntur. Maiore enim existente particulari, & minore universali, vel ambę sunt affirmativę, & est modus utilis signatus per Disamis. Vel ambę negativę, & est mod⁹ inutilis. Vel prior affirmativa & posterior negativa, rursumque modus est inutilis: quoniam minore negativa nõ valet hic syllogismus. Vel denique prior est negativa, & posterior affirmativa, qui est modorum utilium novissimus signatus per vocabulum Bocardo. In summa igitur sex inventi sunt huius figurę utiles modi directe cõcludentes, de quibus nũc per ordinem est dicendum. ¶ Primus igitur modus tertię figurę tũc est, quando ex maiore universali affirmativa, & minore item universali affirmativa, infertur conclusio particularis affirmativa. Universalem enim hic non licet concludere.

	Da	Omnis homo est animal
Exemplum.	rap	Omnis homo est substantia.
	ti.	Quędam igitur substantia est animal.

¶ Contra modos tertiæ figuræ & Primo contra Darapti.

¶ Sic arguitur. Cuiuslibet hominis asinus currit, cuiuslibet Primũ ar.

hominis asinus quiescit, ergo asinus quiescens est asinus currens, casu quòd quilibet homo habeat duos asinos, vnum currentem, alterum quiescentem, præmissæ sunt veræ et conclusio falsa, ergo modus insufficiens.

ii. argumē. ¶ Secundo sic. In omni camera huius collegij est magister, & in omni camera huius collegij vnus est summulista, ergo vnus summulista est magister.

iii. argumē. ¶ Tertio sic. Quilibet latro est suspensus, et quilibet latro est decollandus, ergo decollandus est suspensus casu quòd nullus latro sit in præsenti, et omnis præteritus fuerit suspensus, & omnis futurus sit decollandus, præmissæ sunt veræ & conclusio falsa.

iiii. argu. ¶ Quarto sic. Omnis homo & duo homines sunt tres homines, et omnis homo & duo homines sunt duo homines, ergo duo homines sunt tres homines.

Solutio.

Ad primū. ¶ Ad primū respondetur quòd non bene subsumitur, sed sic debet subsumi, ergo illius cuius est asinus currens est asinus quiescens. Dicitur etiam quòd istæ præmissæ sunt inhabiles, cum ens vel rectum inclusum in obliquis non distribuitur, deberet etiam sic subsumi in minore, Quilibet homo est homo, vel aliquid cuius est asinus currens vel quiescens.

Ad secūdū ¶ Ad secundum dicitur sicut ad primum quòd sunt præmissæ inhabiles vel dicendum quòd sic debet concludi, ergo vbi est magister ibi est summulista.

Ad tertiū. ¶ Ad tertium respondetur concedendo quòd non sequitur, quia illæ præmissæ sunt inhabiles, eò quod maior verificatur pro præteritis, & minor pro futuris, & hoc faciliter cognoscitur si reducatur Darapti ad Darij: sed ibi apparebit sophisma nisi bene conuertatur minor, sic enim conuertenda est, Nullum decollandum quod est vel erit, est vel erit latro, & manifestum est mediū in hac minore de Darij sumi pro aliquibus, pro quibus non accipiebatur in maiore.

Ad quartū ¶ Ad quartum respondetur primo quod ly omnis non distribuit totū copulatum, Secundo dico quòd solū ly homo debet

esse subiectum enunciationis in minore, dicendo, Omnis homo est duo homines, & tunc sic debet inferri conclusio, ergo duo homines & duo homines sunt tres homines.

Secundus modus tertię figurę est, quando ex maiore vniuersali negatiua, & minore vniuersali affirmatiua, sequitur conclusio particularis negatiua.

	Fe.	Nullus homo est arbor.
Exemplum	lap	Omnis homo est animal.
	ton.	Quoddam ergo animal non est arbor.

Tertius modus est, quãdo ex maiore particulari affirmatiua, & minore vniuersali affirmatiua, infertur conclusio particularis affirmatiua.

	Dis	Quoddam animal est homo.
Exemplum	a.	Omne animal est substantia.
	mis.	Quędam igitur substantia est homo.

¶Contra Disamis arguitur sic.

¶Primò essentia diuina est pater, & omnis essentia diuina est filius, ergo filius est pater. Præmissæ sunt veræ & cõclusio hæretica, ergo modus insufficiens. Argumentum primũ

¶Secũdo sic. Essentia diuina est quęlibet res in diuinis, & omnis essentia diuina est pater, vel filius, vel spiritus sanctus, ergo pater vel filius, vel spiritus sanctus sunt quęlibet res in diuinis. Et sic pater & filius, &c. Argum. ij.

¶Tertio sic. Pater est generans, & omnis pater est essentia diuina, ergo essentia diuina est generans. Præmissæ sunt verę, conclusio cõdemnata tanquàm hæretica contra abbatem Ioachim, ergo modus insufficiens. Argum. iij.

¶Solutio.

¶Ad primum respondetur quòd si maior est de omni consequentia tenet, tamen sicut conclusio est falsa ita & minor, vt patuit superius. Ad primũ.

¶Ad secũdum similiter respondeo, quòd si minor est de omni valet, aliàs non. Ad. ij.

¶Ad tertium respondetur quòd generãs potest capi in maiore substantiuè & sic est falsa, siue includat ens, siue ly essentiam Ad. iij.

Si vero capiatur adiectiué, tūc generans habet pater pro substantiuo, et debet inferri, Essentia diuina non est pater generans, vel communicabilis, quæ est catholica. Si vero dicatur quod generans capiatur substātiuè in vtraq;, dicitur quod consequentia est bona, si autem diuersimodè consequentia non valet.

Quartus modus est, quando ex maiore vniuersali affirmatiua, & minore particulari item affirmatiua sequitur conclusio particularis affirmatiua.

	Da	Omnis homo est substantia.
Exemplum	tis	Quidam homo est animal.
	i.	Quoddam igitur animal est substantia.

Quintus modus est, quando ex maiore particulari negatiua, & minore vniuersali affirmatiua, sequitur conclusio particularis negatiua.

	Bo	Quoddam animal non est homo.
Exemplum	car	Omne animal est corpus.
	do.	Quoddam igitur corpus non est homo.

Contra Bocardo arguitur sic.

Primū arg. ¶Primo, Quemdam hominem animal non videt, omnem hominem videt equus, ergo equus non est animal.

ii. argumē. ¶Secundo, Hominis asinus non est asinus, quilibet asinus hominis est rudibilis, ergo rudibile non est asinus.

iii. argumē. ¶Tertio, Homo non est animal, et omnis homo est risibilis, ergo risibile non est animal.

iiii. argu. ¶Quarto sic. Sortes non est minor Sorte, et totus Sortes est minor Sorte, ergo minor Sorte non est minor Sorte.

Solutio.

Ad primū. ¶Ad primum respondetur quòd arguitur à nō distributo ad distributum ex parte maioris extremitatis, ly animal in maiore non distribuitur, distribuitur tamen in conclusione, deberet enim sic concludi equus animal non est.

Ad secūdū. ¶Ad secundum dico quòd determinatio non accipitur vniuocè in maiore & in minore, & sic non capiuntur pro eodē significato.

Ad tertiū. ¶Ad tertium respondeo quòd malè concludit, deberet enim sic concludi, ergo a risibile non est animal.

Ad quartū ¶Ad quartum dico quòd si totus capiatur cathegorematicè,

non est idem mediũ in maiore & in minore quod requiritur, nec minor est vniuersalis, sed singularis. Patet, Quia tantũ valet sicut ens habens partes, vel eus non existens pars alterius Secundo dico, quòd si totus capiatur partim cathegoreumaticè, & partim syncathegoreumaticè non valet, quia pars integralis est subiectum minoris & nõ maioris. Valet enim totus Sortes, quælibet pars integralis Sortis.

Sextus modus est, quando ex maiore vniuersali negatiua, & minore particulari affirmatiua, sequitur conclusio particularis negatiua.

	Fe.	Nullum animal est arbor.
Exemplum	ris	Aliquod animal est homo.
	on.	Quidam igitur homo non est arbor.

¶ Contra Ferison arguitur sic.

¶ Nulla propositio quia est falsa est propositio, quędam propositio est propositio quia est falsa, ergo propositio falsa non est propositio. Argumẽtũ

¶ Respondetur distinguendo de ly quia, quia vel cõiũgit inter terminos, & sic non valet, arguitur enim à sensu cõposito, hoc est cathegorico, ad sensum diuisum hoc est hypotheticum, & sic est fallacia diuisionis, vel ly quia cõiungit inter ꝓpositiones, & sic non est syllogismus cathegoricus. Solutio.

Summatim igitur colligẽdo omnes modos vtiles hactenus positos inuenimus esse numero decem & nouem, quatuor videlicet primę figurę perfectos & quinque imperfectos, quatuor secundę figurę, & sex tertię, qui vt promptius ab adolescentibus memoria teneãtur, in formam metri solent disponi, hoc modo.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton.
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,
Felepton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Caput. xv.

¶ De reductione syllogismorum imperfectorum.

Sciendum autem est, omnes modos imperfectos, omnes scilicet, enumeratos pręter quatuor modos primos primę figurę reduci posse ad aliquem modum perfectum, id est, aliquem primorũ

illorum quatuor. Reducere autem syllogismum in proposito, intelligimus, bonitatem syllogismi imperfecti ostendere per aliquem modũ perfectũ. Fit autẽ hoc dupliciter, ostẽsiue videlicet, aut per impossibile. Ostensiue reducimus syllogismum, quando per medium cõuersionis, aut transpositionis pręmissarum, aut simul vtriusque, id facimus. Per impossibile vero reducere syllogismum est, eius bonitatem ostẽdere per hoc quod negãs deducitur ad aliquod impossibile: vt pote cum eum qui negat bonitatem alicuius imperfecti syllogismi cogimus concedere contradictorias esse simul veras, quod est impossibile, aut propositionem aliquam esse falsam, quę est manifeste vera, aut ab eodem vt vera concessa. Et de hac quidem reductione posterius. ¶ Nunc autem priorem ostensiuam tractemus, quę (vt iam diximus) vtitur conuersione vel trãspositione pręmissarum, vel simul vtroque. Hęc enim vocantur duo instrumenta reductionis ostensiuę. Interdum enim sola conuersione opus est ad reducendum, interdum vero non sufficit sola conuersio, nisi fiat & pręmissarum transpositio. Et interdum quidem solum vna pręmissarum, aut sola cõclusio debet cõuerti, interdum plures. Ac rursum, interdum conuersione simplici, interdum conuersione per accidens vtendum est. Quę omnia, quomodo in singulis modis opus sit obseruare, magno artificio illa artis vocabula iam sępe enumerata demonstant, vbi plene eorum significatio cognita fuerit. ¶ Aduertendum igitur est, pręter id quod suprà diximus de significatione vocalium, A, E, I, O, inueniri etiam in eis quatuor consonantes, certam significationem habentes, nempe, S, P, M, C. Vbicunque enim ponitur, S scito in reductione propositionem illam, quę per vocalem immediate pręcedentem significatur, debere conuerti simpliciter. Vbicunque, P, inueneris, scito illã propositionem quę per vocalem immediate pręcedentem significatur debere conuerti per accidens. Vbicunque M inueneris, scito pręmissas transponi debere, C vero in medio dictionis significat modũ illum non conuerti ostensiue, sed tantum conuersiue siue per impossibile, vt in Baroco & Bocardo. Porro literę initiales omniũ modorum indicant, ad quem perfectorum modorum singuli imperfecti debeant reduci. Vniuersaliter enim modi imperfecti incipientes a B, debent reduci ad Barbara, a C, ad Celarent, a D, ad Darii, ab F, ad Ferio. Alię autem consonantes non habent aliquam proposito negotio aptam significationem.

¶ Sequuntur aliqua argumenta contra syllogismum expositorium.

Syllogismus expositorius.

¶ Sed pro maiori expositione & declaratione (vltra prędicta in pręcedentibus) nota, quod syllogismus expositorius est cuius medium est terminus singularis singulariter, atque vniuocè tentus.

¶Item duplex est syllogismus expositorius, scilicet affirmatiuus & negatiuus. Affirmatiuus cuius vtraque præmissarum est affirmatiua: vt hic, Hæc essentia diuina est pater, & filius est hæc essentia diuina, ergo filius est pater. Item hic, homo est animal, & aliquod rationale est hic homo, ergo aliquod rationale est animal.

Syllogismus expositorius duplex.

¶Negatiuus, cuius vna præmissarum est negatiua: vt, Hic homo non est Sortes, & Plato est hic homo, ergo Plato non est Sortes. Item, Hec persona nõ est filius, Spiritus sanctus est hæc persona, ergo Spiritus sanctus non est filius.

Tria requiruntur ad syllogismũ expositorium.

¶Secundo notandum est, quòd tres sunt conditiones syllogismi expositorij.

¶Prima, quòd mediũ teneatur singulariter & vniuocè: vt, Hoc animal est substantia, & hoc animal est homo, ergo homo est substantia.

¶Secunda, quòd medium sit totale extremum in vna præmissarum: vt patet in primo exemplo.

¶Tertia, quòd ab vna affirmatiua illius ad vnã de omni, valeat consequentia: & ab vna negatiua ad vnam de nullo, valeat cõsequentia. Exemplum primi, Hic homo est animal, ergo quicquid est hic homo est animal. Item, Hæc essentia diuina est pater, ergo omne quod est hæc essentia diuina est pater. Exemplum secundi. Sortes non est asinus, ergo nihil quod est Sortes est asinus. Et iterum, Lapis nõ est homo, ergo quicquid est lapis non est homo, & ita in huiusmodi.

¶Tertio notandum, quod expositiorius affirmatiuus fundatur in hac maxima, Quæcunque sunt eadem vni tertio sunt eadẽ inter se. Negatiuus verò fundatur in hac, Quæ remouẽtur ab vno tertio, remouentur inter se.

¶Sed exercitij gratia, & pro maiori declaratione arguitur sic.

Pars argumentatiua.

¶Primo. Sortes est in hac camera, & Plato est in hac camera, ergo Plato est Sortes.

Argumē. ii ¶Secundo. Deus est vbique, & aliquis homo est Deus, ergo aliquis homo est vbique.

Argu. iij. ¶Tertio. Hoc ens præcessit suam matrem, & hoc ens est vel fuit aliquis homo, ergo aliquis homo præcessit suam matrem.

Argu. iiij. ¶Quartò. Hoc est aliud quā asinum te genuisse, & hoc est impossibile, ergo impossibile est aliud quàm asinum te genuisse ergo asinus genuit te, & ita tu es filius asini.

¶Pars responsiua.

Ad primū. ¶Ad primum respondetur, quòd non est totale extremum in minore quod requirit conditio suprapósita deberet enim sic subsumi, Et Plato est camera, & concludere obliquitatem, Et Platonis aliquid est in camera.

Obiectio. ¶Contra hanc responsionem sic arguitur. In hac camera est Sortes, & hæc camera est vna domus, ergo vna domus est Sortes,

Solutio. ¶Respondeo negando consequentiam, deberet enim sic concludere. Ergo in vna domo est Sortes. Similiter est respondēdum de istis, In hoc instanti est homo, & in hoc instanti est asinus, ergo asinus est homo. Et in ista, in hoc instanti est homo, & in hoc instanti est spiritus, ergo instans præsens est homo. Respondendum est vnum, quòd malè concludat, alterum verò est, quòd medium non est totale extremum in vna præmissarū

Ad ij. ¶Ad secundum respondetur quòd bene sequitur, si teneatur maior extremitas vniformiter, quia prædicatum intelligitur esse ens: vt Deus est vbique, sensus est, Deus est vbique ens, & non arguitur à non distributo ad distribtum, quia ly ens in nulla distribuitur. Si autem maior extremitas teneatur difformiter, putà, quòd Deus est vbique per essentiā vel præsentiam & in conclusione denotet aliam proprietatem, sequela non valet.

Ad iij. ¶Ad tertium respondetur, quòd conclusio est vera si ly ens in maiore supponat pro filio Dei, fuit enim ante quàm Abraham fieret. Vnde istæ sunt veræ, Deus non fuit homo ante suā matrem, & Deus homo fuit ante suam matrem.

¶ Ad quartum respondetur quòd si termini capiantur vniformiter, consequentia est bona, & ad maiorem, distinguo illam vel enim asinũ te genuisse capitur significatiuè, & tũc valet, Asinus qui te genuit, & est falsa, demonstrato hoc est asinus, quia sic exponitur, Hoc est, & asinum te genuisse est, modo ista secunda exponens est falsa demonstrando pro te Sortẽ, sed si demonstretur brunellus est vera. Si vero te genuisse capiatur materialiter pro illa propositione asinus te genuit, tunc conceditur maior, & minor, & conclusio, & sensus est, Aliquod impossibile aliud ab illa propositione, asinus te genuit. Sed si in cõclusione illud est, capiatur modaliter, ita quòd sit sensus, Talis ꝓpositio est impossibilis, aliud quàm asinus te genuit, non sequitur ex illis præmissis. Ad iiij.

Caput. xvi.
¶ De reductione ostensiua singulorum modorum imperfectorum.

Incipiendo igitur a Baralipton, qui est primus modus imperfectus primę figurę, debet ille reduci ad Barbara: quoniam eandẽ initialem literam habẽt B. In reducendo autem, non opus est nisi solius conclusionis conuersione per accidens, quod indicat litera P, in tertia syllaba post I posita, Celantes ad Celarent reducitur, per solã conuersionem conclusionis simpliciter: quod indicatur per literam S, in tertia syllaba positam. Dabitis ad Darij, per conuersionem cõclusionis simpliciter. Fapesmo ad Ferio, idque per conuersionem maioris per accidens, quod indicat altera P, posita post primam vocalem, & conuersionem minoris simpliciter quod indicat litera S, post secundam vocalem E, posita, cum pręmissarum transpositione, quam indicat litera M. Frisesom ad Ferio item reducitur, per vtriusque pręmissę conuersionem simpliciter, & pręmissarum trãspositionem.
¶ Cesare primus modus secundę figurę reducitur ad Celarent, maiore tantum conuersa simpliciter. Camestres item ad Celarent, sed minore & conclusione conuersis simpliciter, ac insuper pręmissis trãspositis, Festino ad Ferio reducitur per conuersionem maioris tantum simpliciter. Baroco autem non potest ostensiue reduci ad vllum modum primę figurę, neque per conuersionem, neque per transpositionem pręmissarum. ¶ Cuius ratio est, quoniam ad mutandam figuram oporteret ad minus alteram pręmissarum conuerti in reductione. Neutrius autem conuersio est reductioni commoda, quoniam maior cum sit vniuersalis affirmatiua, non conuertitur nisi per accidens in particularem affirmatiuam. Cum ergo minor similiter sit particula

ris, ambę pręmissę erũt particulares, ex quibus non valet syllogismus. Item ex maiore particulari in prima figura nõ valet syllogismus. Per cõuersionem minoris item nil potest fieri, quoniã particularis negatiua non conuertitur nisi per contrapositionem, quę conuersio reductioni syllogismorum non seruit, eo quod mutet terminos. In reductione autem, omnino iidem debent esse termini syllogismi qui reducitur, & eius ad quem fit reductio. Nullo igitur modo potest ostensiue reduci modus Baroco, sed tantum syllogismo conuersiuo siue per impossibile, quod significatur per literam C, in medio vocabuli positam. ¶ Darapti primus modus tertię figurę, reducitur ad Darij, cõuertendo minorem per accidens. Felapton ad Ferio, minorem conuertendo per accidens. Disamis ad Darij, per conuersionem maioris & conclusionis simpliciter, & pręmissarum transpositionem. Datisi ad Darij item, sed per conuersionem tantum minoris simpliciter. Bocardo autem non potest reduci ostensiue, quod potest declarari eo modo quo supra de Baroco ostensum est. Non enim per conuersionem maioris quę est particularis negatiua & conuerti nõ potest. Neque per conuersionem minoris, quę tantum in particularem affirmatiuam vertitur. Iam ex puris particularibus nihil sequitur. Reducitur autem per impossibile ad Barbara postremo. Ferison reducitur ad Ferio, per conuersionem minoris simpliciter. ¶ Facile autem fuerit, per singulos modos exemplis declarare quod dictum est. Verũ nos prolixitatis vitãdę gratia sigillatim ea prosequi omittimus, vno aut altero exemplo contenti. Hic igitur syllogismus in Cesare, Nulla arbor est animal, & omnis homo est animal, igitur nullus homo est arbor, sic reducitur ad Celarent, Nullum animal est arbor, & omnis homo est animal, igitur nullus homo est arbor. Ubi nihil immutatum est, nisi quod maior simpliciter est conuersa. Hic autem syllogismus in Camestres, Omnis homo est animal, nulla arbor est animal, igitur nulla arbor est homo, non ita facile ad Celarent reducitur. Pluribus enim opus est, nempe conuersione tam minoris quam conclusionis simpliciter, & insuper pręmissarum trãspositione. Sic enim debet reduci, Nullum animal est arbor, & omnia homo est animal, igitur nullus homo est arbor. Uides hic positam secundo loco vniuersalem affirmatiuam, quę in Camestres primum obtinebat locum, alteram autem pręmissam vniuersalem negatiuam conuersam cerne, & insuper loco motam. Conclusionem quoque non eandem, sed eius conuertentẽ vides. Simili modo & in singulis modis reducendis, consideratione virtutis literarum, quę in se continet ista artis vocabula, sese exerceant adolescentum ingenia.

Caput. xvij.

¶ Quomodo reductione hac ostensiua sit vtendum.

AD cognoscendum autem, quomodo per istam reductionem bonitas syllogismorum imperfectorum comprobetur, pręsuppo

nenda est maxima vna cui potissimum ista reductio innititur. Est autem hec regula siue maxima, Quicquid sequitur ad consequens bone consequentię, idem sequitur ad antecedens eiusdem. Qua maxima, vt certissima ⁊ per se nota presupposita, si quis forte neget aut dubitet syllogismum in Cesare esse bonum, aduersus illum sic procedetur, Premissę in Cesare dispositę, per bonam consequentiam inferunt premissas de Celarent. Sunt enim eędem, nisi quod maior est conuersa simpliciter. Semper autem conuersa propositio in bona consequẽtia infert eam in quam conuertitur. Inferunt igitur secundum bonã consequentiam premissę in Cesare, premissas in Celarent, ac proinde (iuxta maximam) quicquid sequitur ad premissas in Celarent, idẽ sequitur etiam ad premissas in Cesare. Iam ad premissas in Celarẽt sequitur conclusio in Celarent, quod negari non potest, cum sit modus perfectus. Atque hec est eadem conclusio cum illa in Cesare. Si igitur ex premissis in Celarent illa conclusio sequitur, eadem quoque ex premissis in Cesare recte sequetur. ¶ Iterum, si quis neget syllogismum in Camestre factum esse bonum, operosius quidem erit ostẽdere illius bonitatem, propterea quod pluribus opus sit ad eius reductionem: sic tamen ostendetur. Premissę in Camestres inferũt premissas in Celarent, quoniam eędem sunt, nisi quod altera nempe minor est conuersa simpliciter, ⁊ facta est secundum situm transpositio. Conuertens autem recte sequitur ex conuersa, ⁊ propositionum tantum secundum locum transpositio nihil ad veritatem aut falsitatem facit. Manifestum est autem premissas in Celarent inferre conclusionẽ in Celarent, quę deinde infert suam conuertentem, quę erat conclusio in Camestres. Procedendo igitur a primo antecedente ad vltimũ consequens, fateri necesse est, ex premissis in Camestres recte sequĩ conclusionem in Camestres. ¶ Sic in tertia figura si quis neget modũ Darapti esse bonum, factumque in eo syllogismum dicat non recte concludere, sic agetur aduersus illum. Premissę in Darapti recte inferunt premissas in Darij, cum prima vtrobique sit prorsus eadem, ⁊ secunda in Darij sit conuertens secundę in Darapti. Quicquid igitur sequitur ad premissas in Darij, sequitur ⁊ ad premissas in Darapti, iuxta presuppositam maximam. Iam ad premissas in Darij citra controuersiam consequitur conclusio in Darij, quę eadem est cum conclusione in Darapti: igitur conclusio in Darapti recte infertur ex premissis in Darapti. Ita proportionabiliter monstrari posset in singulis modis imperfectis omnium figurarum. Sed tria hęc exemplorũ loco posita sufficiant.

¶ Caput .xviij.

¶ De reductione per impossibile.

Alius est modꝰ reducẽdi syllogismos imperfectos ad perfectos qui appellatur reductio per impossibile vel ad impossibile. In quo nõ vtitur predictis instrumẽtis: videlicet nec cõuersione nec premissarũ

transpositione:sed assumpto contradictorio conclusionis syllogismi imperfecti,cum altera pręmissarum eiusdem syllogismi , disponit illas secũdum aliquem modum primę figurę perfectum,ex quibus deinde infert contradictorium vel contrarium pręmissę alterius relictę ꝛ concessę,sicque respondens ad impossibile deducitur, nimirum ad concedendum contradictoria vel contraria simul esse vera. ¶Exemplo res obscura clarescat.Tu mihi negas syllogismum in Baroco,istũ Omnis homo est animal,ꝛ aliqua arbor non est animal,igitur aliqua arbor non est homo,bonum esse,modum que vtilem esse negas qui per Baroco significatur. Ita aduersus te agam. Si malus est syllogismus ille,potest ergo antecedens dari verum cõclusione existente falsa.Quod si admittis,ponamus ita esse, vt sit conclusio falsa. Igitur eius contradictoria,Omnis arbor est homo,erit vera,cum non possint duę contradictorię simul esse falsę.Assumo igitur maiorẽ prioris syllogismi,vna cum hac,quam modo admittis,conclusionis contradictoria.iisque in Barbara rite dispositis,sic colligo,Omnis homo est animal,ꝛ omnis arbor est homo,igitur omnis arbor est animal.Hanc syllogizandi formam,cum sit euidens ꝛ perfecta,negare nemo potest, ꝛ antecedentis vtraque pars per te vera admissa est,igitur ꝛ conclusio vera erit.Atqui hęc ipsa est contradictoria alterius pręmissę prioris syllogismi reducendi, quam ꝛ ipsam confessus es verã esse.Fatearis ergo necesse est,vel duas contradictorias esse simul veras,vel syllogismum illum priorem in Baroco factum bonum esse:nec posse cõclusionem esse falsam pręmissis existentibus veris. In hoc exemplo ad oculum facile quilibet videt , quemadmodum negans bonitatem syllogismi imperfecti,eo deducitur,vt cogatur duas contradictorias simul veras admittere:idque per assumptionem cõtradictorij conclusionis , cum altera pręmissarum syllogismi reducendi. ¶Sed hoc est in reductionibus istis aduertendum quod pro figurarum diuersitate aliter ꝛ aliter disponi debet conclusionis contradictorium. In omnibus enim modis secundę figurę,contradictoria conclusionis ponẽda est pro minore,ꝛ eadẽ est seruanda maior.In tertia,cõtradictoria conclusionis pro maiore est constituẽda,ꝛ minor syllogismi reducẽdi seruatur eadem.Unde consequenter sequitur , in secunda figura inferri oppositum minoris syllogismi reducẽdi:in tertia autẽ oppositum maioris.Illius enim pręmissę oppositum debet concludi quę nõ assumitur in syllogismo per quẽ fit reductio.Et quidẽ in reductione syllogismorũ secũdę figurę, semper contradictoriũ infertur propositionis relictę,id est minoris.In tertia autem non semper cõtradictoriũ, sed interdũ contrarium:idque in duobus tantũ modis,Darapti ꝛ Felaptõ.Uerũ illud in idem redit,cũ ęque sit impossibile cõtraria simul esse vera:vt cõtradictoria:imo ex admissione contrariorũ simul verorũ,inferuntur contradictoria quoque simul vera, vt patuit in legibus oppositionũ.¶In modis autẽ imperfectis primę figurę,cõtradictorium conclusionis syllogismi reducẽdi accipiendũ est pro maiore, ea autẽ quę maior erat assumenda est in locum minoris , infereturque non immediate oppositum minoris relictę:sed tale quippiã vnde ei-

oppositum sequatur. Exempli gratia, syllogismus iste in Baralipton, Omne animal est substantia, et omnis homo est animal igitur quędam substantia est homo, sic reducitur, Nulla substantia est homo, et omne animal est substantia, igitur nullum animal est homo. Hic vides oppositum contradictorium conclusionis poni pro maiore, et prioris syllogismi maiorem pro alterius simul minore conclusionem autem inferri non immediate oppositam minori relictę syllogismi reducendi. Non enim istę opponuntur, Omnis homo est animal, Nullū animal est homo. Verūtamen ad conclusionem illam. Nullū animal est homo. sequitur ista, Nullus homo est animal: quę est minori illi verę contraria. Similiter in alijs modis considerandū. ¶ In reductione tamē Celantes ad Darij peculiare, hoc est, vt contradictoriū conclusionis pro minore constituatur, pro maiore autem illa sumatur quę erat minor in syllogismo reducendo. Ut syllogismus iste in Celantes, Nullū animal est lapis, et omnis homo est animal, igitur nullus lapis est homo, sic reducitur ad Darij Omnis homo est animal, et quidā lapis est homo, igitur quidam lapis est animal. Vides hic pro maiore positam eā quę erat minor prioris syllogismi, contradictoriam aut conclusionis minorem, concludi vero non oppositum cōtradictorium relictę maioris, sed tale aliquid vnde sequitur contradictorium eius. Per simplicem enim conuersionem sequitur, Quidam lapis est animal, igitur quoddam animal est lapis, quę vere est maiori illi, Nullum animal est lapis contradictorie opposita.

Caput, xix.

¶ Ad quos modos perfectos singuli imperfecti sint reducendi per impossibile.

AD cognoscendum autem, qui imperfectorū modorū ad quos perfectos debeant reduci non eadem est habenda consideratio qua superius vsi sumus in reductione ostensiua. Illic enim secundum initiales literas docuimus inuenire modum ad quem deberet reductio fieri. Verum in hac reductione, id locum non habet. Baralipton enim non reducitur ad Barbara, sed ad Celarent: Celantes nō ad Celarent, sed ad Darij, Cesare quoque non ad Celarent, sed ad Ferio et ita in cęteris fere. Superest igitur ad plenam huius rei notitiā, quod nondum apertum est, et inuestigationis videtur esse profundioris, elucidare. ¶ Duobus autem modis id docebimus, Primo quidem, vsu quarundam vocum, deinde artis consideratione. Primo (inquā) vocum quarundam vsu hęc res indicatur. Pro quinque modis primę figurę seruit verbum, Nesciebatis. Pro quatuor modis secundę figurę, verbum, Odiebam, Pro sex autem modis tertię, seruiunt hę duę voces; Letare Romanis. Aduerte autem, primum verbum quod pro modis primę figurę ponitur, quinque habere syllabas, sicut quinque sunt eius figurę modi imperfecti: secundum verbum quatuor habet syllabas, vt sunt quatuor modi secundę figurę. Duo alia vocabula

simul sumpta, sex habent syllabas, iuxta numerum modorum tertię figurę. In singulis autem syllabis, considera vocalem qualis sit. A enim significat vniuersalem affirmatiuam, E vniuersalem negatiuam, I, particularem affirmatiuam, O, particularem negatiuam. Deinde ordinem considera, quem syllaba quęlibet tenet, vt scias cuius modi debeas ex ea quęrere reductionem. Quę duo vbi attenderis, tum demũ considera, quis ex quatuor modis primę figurę talem cõclusionem inferat, qualem & quantũ tibi designat vocalis. Et pro certo habe, modũ illum imperfectum qui per syllabam talem significatur, ad illum modum perfectum primę figurę reduci, qui talem habet conclusionem, qualem significat vocalis eiusdem syllabę. ¶ Fiat exemplo clarũ quod dicitur. In dictione Nesciebatis, prima syllaba nes, locum tenet primi modi imperfecti Baralipton. Habet vocalem, E, quę significat vniuersalem negatiuam. In prima autem figura vnicus modus talem propositionem concludens, est Celarent. Hinc deprehendis, Baralipton reduci ad Celarent. Deinde secunda syllaba Ci, locum tenet secũdi modi Celantes, Vocalis I, significat particularem affirmatiuam, quę cõcluditur in Darij. Hinc certo colligis Celãtes ad Darij reduci. Tertia syllaba E, locum tenet tertij modi Dabitis. Propositionem significat vniuersalem, negatiuam, quę concluditur in Celarent. Hinc colligis, ad Celarent Dabitis reducendum. Ita quarta syllaba Ba, signat quartum modũ Fapesmo reducendũ ab Barbara, vbi vniuersalis affirmatiua concluditur. Vltima autem syllaba Tis, significat modum vltimum Frisesom reduci ad Darij. ¶ Similiter de modis secundę figurę dicendum. Huius vocabuli, Odiebam, quatuor sunt syllabę. O, significat Cesare reduci ad Ferio. Di, signat Camestres reduci ad Darij. E, signat Festino reduci ad Celarent. Bam significat Baroco reduci ad Barbara. Sic in tertia figura, per vocabula illa, Letare Romanis, idem significatur. Darapti enim inuenitur reduci ad Celarent. Felapton ad Barbara, Disamis ad Celarent, Datisi ad Ferio, Bocardo ad Barbara, Ferison ad darij. ¶ Secundo profundiori consideratione docebimus cognoscere, cuiusmodi modorum reducendorum ad eos per quos debeat reductio fieri, proportionem. Tenendum imprimis firma memoria, quod supradictum est, in secunda figura eandem seruari maiorem, & pro minore sumendam esse contradictoriam conclusionis, in tertia autem econtrario, pro maiore accipi contradictoriam, minorem autem seruari, quę differentia versiculis his duobus non admodum eruditis, sed ad rem apprime commodis facillime memorię commendatur,

Seruat maiorem, variatque secunda minorem,
Tertia maiorem variat, seruatque minorem.

Statim igitur vbi scire volueris, ad quem modum propositum syllogismum imperfectum debeas reducere, considera eius conclusionem & ipsius contradictoriam, qualis sit & quanta. Deinde hanc compone cum maiore aut minore, quę pro ratione figurę erit assumenda pro altera premissa: & attende diligenter, in quo modo primę figurę perfecto premissę illę simul iunctę. Hinc certissimo colliges modũ, ad quẽ

debet syllogismus reduci. ¶ Exempli gratia, hic syllogismus in Cesare mihi proponitur, Nullus lapis est animal, & omnis homo est animal, igitur nullus homo est lapis. Uolo iuxta hanc artem dispicere, ad quem modum debeam illum reducere. Uideo mox conclusionem que est vniuersalis negatiua, cuius proinde contradictorium est particularis affirmatiua. Hec mihi in syllogismo perfecto pro minore esse debet. Maior autem que est seruanda ex syllogismo reducendo, vniuersalis est negatiua. Uniuersalem autem negatiuam maiorem & particularem affirmatiuam minorem, scio in prima figura premissas esse in Ferio. Certissimum igitur mihi erit Cesare reduci ad Ferio. Ita in Camestres consydero conclusionem vniuersalem negatiuam, eius proinde contradictoria esse debet particularis affirmatiua: que mihi est constituenda minor in reductione cum maiore seruata vniuersali affirmatiua. Uniuersalis autem affirmatiua pro maiore, & particularis affirmatiua pro minore, in Darii sunt premisse. Nihil igitur dubium, quin debeat ad Darii reduci Camestres. Similiter ostendi posset in singulis modis imperfectis. Uerum nos vno & altero exemplis propositis reliqua adolescentum ingeniis pro exercitio similiter deducenda relinquimus.

Caput. xx.

¶ De quibusdam apud Aristotelem tractatis, que vocantur presupposita.

Ponit Aristoteles quedam, que vocant presupposita, que in tractatu syllogismorum quasi cognita presupponuntur, & ex dictis in syllogismis statim innotescunt. Que nos paucis enumerabimus simul & declarabimus, quantum ad ea in quibus nondum plena facta est declaratio. Sunt igitur huiusmodi presupposita quatuor.

Primum præsuppositum, Omnis syllogismus est in aliqua trium figurarum, & omnes syllogismi aliarum figurarum per primam perficiuntur. Secundum, In omni syllogismo, aliquam præmissarum esse affirmatiuam, & aliquam vniuersalem est necesse. Tertium, Omnis syllogismus ex tribus terminis & non pluribus constat. Quartum, Quædam propositiones difficulter syllogizantur, quædam facilius. Quatuor presupposita.

¶ Primum presuppositum ampliori declaratione non indiget, cum abunde iam sit ostensum in precedentibus. Similiter & secundum ex dictis est notum. ¶ Circa tertium autem nota, debet ipsum intelligi de syllogismo simpliciter vno, & non aucto. Interdum enim syllogizando adiicitur maiori aut minori alia propositio, velut ipsius probatio & confirmatio, antequam ad conclusionem veniatur: & hic notatur syllogismus auctus, eo quod augeatur termino aliquo vel

propositione ultra consueta in syllogismi formam. Et interdū quidē ex maiore venit augmētum istud, interdū ex minore, interdū ex utraque. Ex maiore, cū sic colligo, Omnis homo est capax disciplinę, quia omne animal rationale est capax disciplinę: ⁊ Joānes est homo, igitur Joannes est capax disciplinę. Ex parte minoris tantum, Omnis homo est capax disciplinę, Joannes est homo, quia ipse est animal rationale, igitur Joannes est capax disciplinę. Ex parte utriusque, Omnis homo est capax disciplinę: quia omne animal rationale est capax disciplinę: ⁊ Joannes est homo quia est animal rationale, igitur Joannes est capax disciplinę. Huiusmodi syllogismi dicuntur syllogismi nō simpliciter uni, sed aucti: quoniam plures in se virtute continent syllogismos. In adiectione nanque probationis ad maiorem, syllogismus unus implicatur: similiter ⁊ in adiectione probationis ad minorem. Si igitur plures hic sint secundum virtutem syllogismi ⁊ non unus, nihil mirum, si plures tribus numerentur termini. In syllogismo autem simpliciter uno, nunquam nisi tres inueniētur. ¶ Circa autē quartum pręsuppositū nota quod illam ꝓpositionē intelligimus difficulter syllogizabilem, quę in paucioribus figuris ⁊ modis potest pro cōclusione inferri, illam autem facillius, quę in pluribus figuris aut modis inferri potest. Atque hinc patet quod inter omnes ꝓpositiones, universalis affirmatiua omnium difficillime syllogizatur. Solū enim in prima figura, ⁊ in unico modo potest concludi. In secunda enim figura oportet conclusionem esse negatiuam, ⁊ in tertia particularem. Universalis autem negatiua syllogizatur in duabus figuris, prima ⁊ secunda: in prima quidem uno modo perfecto Celarent: in secunda autem, per duos modos, Cesare ⁊ Camestres. Est igitur facilius syllogizabilis universali affirmatiua. Particularis affirmatiua concluditur in prima ⁊ tertia: in prima quidem, uno modo, in tertia autem tribus nempe Darapti, Disamis, Datisi. Non autem in secunda, ubi cōclusio semper debet esse negatiua. At vero particularis negatiua, in omnibus figuris syllogizatur: in prima quidem uno modo. in secūda duobus, Festino ⁊ Baroco: in tertia autem tribus, Felapton, Bocardo, Ferison. Omnium igitur facillime syllogizatur particularis negatiua, sicut omnium dificillime universalis affirmatiua. Medio autem modo se habent universalis negatiua ⁊ particularis affirmatiua. ¶ Sicut autē universalē affirmatiuam construere est difficillimū, ⁊ particularem negatiuam construere facillimum: ita ecōtrario universalem affirmatiuam destruere, est facillimum: difficillimum autē, destruere particularem negatiuam. Construere autem aliquam propositionem in proposito est, eam probare veram. Destruere autem, falsam ostendere aut oppositum eius inferre. Illa enim destruitur facillius, cuius falsitas potest pluribus modis siue per plura ostendi: ⁊ illa difficillius, cuius falsitas per pauciora potest mostrari. Universalis autem affirmatiua destruitur, ⁊ per universalem negatiuam sibi contrariam, quę in duabus figuris syllogizatur: ⁊ per particularem negatiuam contradictoriam, quę in omnibus. Particularis autem negatiua, non destruitur: nisi per universalem affirmatiuam, quę unica figura ⁊ unico modo

potest concludi, illa igitur facillime destruitur, hęc difficillime. Uniuersalis autem negatiua & particularis affirmatiua medio modo se habent. Uniuersalis enim negatiua destruitur per vniuersalem affirmatiuam contrariam quę tantum vnico modo concluditur: & per particularem affirmatiuam, quę in duabus figuris & in tribus modis concluditur. Particularis autem affirmatiua destruitur tantum per vniuersalem negatiuam, quę concluditur in vno modo primę figurę, & in duobus secundę. ¶ Huius autem prę supposit declarationem Aristoteles verbo notatu digno conclusit dicens, Omnino non latere oportet, vniuersalia per particularia destrui, & particularia per vniuersalia, & non construi vniuersalia per particularia, quamuis e conuerso. Insuper manifestum est, quoniam destruere facilius est quam cōtruere. Priorem huius notabilis dicti partem pulchre & particulatim leges explicant propositionum contradictoriarum & subalternarum. Contradictorię enim sunt, vniuersalis & particularis oppositę qualitatis. Destruuntur igitur vniuersalia per particularia, & econtrario. Uniuersalis autem & particularis eiusdem qualitatis, subalternę sunt: quarum illa hanc infert & probat, non autem econtrario. Secunda autem pars ex hoc manifesta est, quoniam ad declarādam veritatem pluribus opus est. Si enim vel vnum aliquid defuerit, statim falsitas argui potest. Unde quemadmodum de bono & malo dici solet, bonum esse ex integra causa, malum autem ex particularibus defectibus, (Unius enim solius circunstantię defectu fit malum) ita de veritate & falsitate dici similiter potest, veritatem ex integra causa constare, falsitatem ex particularibus defectibus. Unde hęc propositio, Omnis homo est risibilis, falsa probaretur, si vel vnum ex omnibus posset inueniri hominibus, cui non prędicatum conueniret.

Notabile dictum Aristote.



¶ Caput .xxi.
¶ De arte inueniendi medium.

Docet quoque certis regulis Aristoteles quomodo ad vnamquanque conclusionem probandam commodum medium inuenire valeamus. Aliter enim & aliter sumendum est medium, pro qualitate conclusionis quam probare intendimus. Non enim eodem modo quęrendum est medium ad concludendum vniuersalem affirmatiuam, quo ad vniuersalem negatiuam: nec similiter ad vniuersalem & ad particularem. Ponit autem pro huius rei notitia ille quatuor regulas, in hunc modum,

✠ ✠ ✠ Quę sequūtur vsque ad ca. xxvij festinus lector sine gravi dāno poterit transilire.

Prima regula, Concludere volentibus vniuersalem affirmatiuam, sumendum est consequens subiecti, & antecedens prædicati. Secunda, Ad concludendum particularem affirmatiuam, antecedens ad vtrumque extremorum sumendum est. Tertia, Ad concludendum vniuersalem negatiuam, sumetur consequens subiecti & extraneum ad prædicatum, Vel conse-

Quatuor regulę pro inuentione medij.

quens prædicati & extraneum subiecti. Quarta, Ad concludẽdum particularem negatiuam, sumendum est antecedens subiecti & extraneum prædicati.

¶ Pro quatuor regularum intellectu, prius quid sit subiectum, quid consequens, quid extraneum dicendum. Per cõsequens subiecti aut predicati, intelligit terminum qui infertur ex alio, sicut genus ex specie, species ex indiuiduo, & omne magis commune ex minus communi. Antecedens autẽ dicitur, terminus ex quo infertur alius, vt species est antecedẽs generis, & omne minus cõmune est antecedens magis cõmunis. In terminis autem cõuertibilibus, vterque ad alterũ dici videtur, & antecedens & consequens: quoniam vicissim se inferũt, & inferuntur, ex seinuicẽ. Extraneũ autem subiecti aut predicati, intelligit terminum disparatũ, qui scilicet vniuersaliter possit de illo negari, vt homo est extraneũ bruto, & lapis homini. ¶ Quo premisso, sic intellige primam regulam, Si conclusio quam probare intendis sit, vniuersalis affirmatiua, pro medio ad illam conclusionem probandã sumendus erit tibi aliquis talis terminus, qui sit consequens subiecti conclusionis, & predicati eius antecedens. Sit exempli gratia, ista probanda, Omnis homo est sensibilis, pro medio accipies terminũ animal, qui est genus, & consequens subiecti homo, & antecedens predicati sensibile, eo quod sequatur sensibile ad animal. Sic igitur argumentare, Omne animal est sensibile, & omnis homo est animal, igitur omnis homo est sensibils. Et seruit hec regula tantum pro prima figura. ¶ Secunde autem regule sensus est, Si velis probare conclusionem aliquam particularem affirmatiuam, pro medio ad hoc commodo considera terminum aliquem, qui inferat ex se tam subiectum quã predicatum conclusionis. Per huiusmodi enim terminum propriissime efficies propositum. Sit exempli gratia, ista probanda, Aliqua substantia est incorruptibilis. Accipe terminum spiritus, qui est antecedens ad vtrunque extremum conclusionis: sicque argumentare, Spiritus est incorruptibilis, & omnis spiritus est substantia, quedam igitur substantia est incoruptibilis. Seruit autem hec regula maxime pro tertia figura, ex qua propriissime probatur particularis affirmatiua. In prima enim figura cum infertur particularis affirmatiua mediũ quod accipitur non debet esse antecedens ad vtrumque extremum. Sufficit enim quod sit antecedens ad predicatum, ad subiectum autem non debet esse antecedens. ¶ Tertie regule hic est sensus, Si probare volueris propositionem aliquam vniuersalem negatiuam, vide queras pro medio terminum, qui inferat subiectum conclusionis, & negetur omnino de predicato, aut econtrario qui inferat predicatum & omnino de subiecto negetur. Sit exempli gratia, hec probãda, Nullus homo est asinus. Pro medio cape terminũ animal rationale: qui infertur ex subiecto homo tanquã conuertibile: ex cõuertibili est autẽ extraneus ad predicatũ asinus, quoniã nulli asino cõuenit, atque hoc medio sic pcede. Nullũ animal rationale est asinus, & omnis homo est ani

mal rationale, igitur nullus homo est asinus. Vel ad eandem conclusionem probandam accipe pro medio brutum, qui terminus est consequens predicati asinus, nimirum ipsius genus: est autem extraneus ad subiectum homo: sicque syllogismum confice in secunda figura in Camestres, Omnis asinus est brutum, ⁊ nullus homo est brutum, igitur nullus homo est asinus. Unde patet hanc regulam seruire prime figure ⁊ secunde, illi quidem ex parte priori, huic autem ex parte posteriori. ¶ Quarte regule hic est sensus, Cum volueris syllogistice probare propositionem aliquam particularem ⁊ negatiuam, tale aliquod medium dispice, quod sit ad subiectum conclusionis antecedens, ⁊ ad predicatum extraneum: ex hoc enim recte conficies propositum. Exempli gratia, probanda mihi sit ista, Aliquod animal nō est homo, pro medio accipiam terminum brutum, qui est antecedens ad animal, ⁊ extraneum ad hominem, Hocque medio ita syllogizabo in tertia figura, Nullum brutum est homo, ⁊ omne brutum est animal, igitur aliquod animal non est homo, idque in Felapton. Vel in Bocardo per maiorem particularem sic, Aliquod brutum non est homo ⁊ omne brutum est animal, igitur aliquod animal nō est homo, Vel in secunda figura in Festino, per idem medium sic, Nullus homo est brutum, ⁊ quoddam animal est brutum, ergo quoddam animal nō est homo. In prima quoque figura per idem medium sic, Nullum brutum est homo ⁊ aliquod animal est brutum, igitur aliquod animal non est homo. Hinc patet, quod regula ista pro omnibus figuris seruiat, eo quod particularis negatiua sola vbique concludatur.

Caput. xxii.

¶ De syllogismorum potestatibus.

Ponit quoque Aristoteles aliquot syllogismorum potestates, id est, peculiaria quedam, que per syllogismos possunt fieri. Sunt autem numero sex, que sic enumerantur, Potestas plura concludendi, potestas verum ex falsis syllogizandi, potestas circulariter syllogizandi, potestas conuersiue syllogizandi, potestas ad impossibile syllogizandi, ⁊ potestas syllogizandi ex oppositis. ¶ Quantum ad primam potestatem plura concludendi, nota, quod pluribus modis intelligi potest, syllogismum aliqua plura concludere. Primo ex parte conclusionis, ex qua consequenter inferri potest ipsius conuertens. Unde premisse in Barbara inferunt conclusionem suam, ⁊ per illam ipsius conuertentem. Nam vt supradictum est, quicquid sequitur ad consequens bone consequentie, idem sequitur ⁊ ad antecedens eiusdem: Ita omnes syllogismi vniuersales, id est, qui vniuersaliter concludunt plura syllogizant. Omnis enim conclusio vniuersalis conuertitur: affirmatiua per accidens, negatiua autem simpliciter. Item omnes syllogismi concludentes particularem affirmatiuam similiter plura possunt concludere: quoniam ⁊ ipsa simpliciter conuertitur. Quia autem particularem

Sex potestates syllogismorum.

Prima potestas.

negatiuam concludunt, hac ex parte non habent potestatem concludẽdi plura: quoniam illa non conuertitur conuersione syllogismis accomoda. Insuper, ex parte conclusionis ꝛ aliter contingit plura concludere, quoniam si vniuersalis fuerit cõclusio, infert ex se particularẽ sibi subalternam, iuxta legẽ subalternarum. Si autem particularis fuerit conclusio hac ex parte non potest concludere plura quoniam ex particulari non sequitur vniuersalis. ¶ Secundo accipimus hanc potestatem plura concludendi per nouam subsumptionem, idqꝫ rursum dupliciter. Vel per subsumptionem plurium minorum extremitatũ sub medio: vel per subsumptionem subsubiecto cõclusionis. Exẽplum primi modi, Omne animal est substantia, ꝛ omnis homo est animal, igitur omnis homo est substantia: itẽ omnis equus est animal, igitur omnis equus est substãtia, item omnis leo, item omnis asinus, ꝛ ita in omnibus speciebus. Uerum hoc modo satis impropꝛie dicitur syllogismus aliquis plura concludere, quoniam altera semper pꝛęmissarũ nempe minoꝛ, variatur. Dicitur tamen syllogismus aliquo modo vnus ratione pꝛęcipuę partis, nẽpe maioꝛis, vnde est pꝛęcipua vis illationis, quę eadem manet ꝛ inuariata. Ex parte autem conclusionis, per subsumptionem sic concluduntur plura, Omne animal est substantia, ꝛ omnis homo est animal, igitur omnis homo est substantia: ꝛ Petrus est homo, igitur Petrus est substantia. Ita in ceteris indiuiduis. Hoc autem modo non possunt concludere plura syllogismi concludẽtes particulariter: quoniam fieret subsumptio sub medio non acceptonvniuersaliter, procedereturqꝫ maioꝛe particulari in pꝛima figura.

Caput. xxiii.

¶ De potestate verum ex falsis concludendi.

QUantum ad secundam potestatem quę est, verum syllogizandi ex falsis, sciendum est, non hoc esse peculiare syllogismo, sicut nec pꝛęcedens potestas syllogismo est pꝛopꝛia: sed etiam aliis conuenit argumentationum foꝛmis. Est enim regula ꝛ maxime infallibilis, ex veris nunquam posse nisi verum inferri, in quacunque argumentatione bona. Ex falsis autẽ inferri verum nihil pꝛohibet. Exempli gratia, hic est syllogismus bonus in Barbara. Omne animal est arboꝛ, ꝛ omnis pirus est animal, igitur omnis pirus est arboꝛ. Foꝛmam argumentandi certissimam atque perfectam vides, qua nõ possit esse euidentioꝛ. Ambę autem pꝛęmisse manifestam habent falsitatẽ immo impossibilitatem: conclusione tamen nihil est verius cum pꝛędicetur genus de specie. Hoc tamen sciendum, quod conclusio nunquã potest esse vera, pꝛopter pꝛemissarum falsitatem, neque potest inferri conclusio vera ex pꝛęmissis falsis, tanquam ex causa suę veritatis. Impossibile enim est, vt falsitas sit causa veritatis, nec potest veritas inniti falsitati.

Caput. xxiiii.

¶ De syllogismo circulari.

Tertia potestas.

Circulariter syllogizare Aristoteles ita definit: per conclusionẽ ⁊ conuertentem alterius pręmissarum inferre reliquam pręmissarum syllogismi prioris. Idem appellat ex se inuicem ostẽdere, id est, ostendere vecissim per conclusionem pręmissam, sicut ipsa ostendit conclusionem. Exempli gratia, hoc sillogismo proposito, Omne animal rationale est risibile, ⁊ omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis, maior sic syllogizabitur circulariter, Omnis homo est risibilis, ⁊ omne animal rationale est homo, ergo omne animal rationale est risibile. Minor autẽ sic, Omne risibile est animal rationale, ⁊ omnis homo est risibilis, igitur omnis homo est animal rationale. Vides in syllogismo posteriori ex conclusione prioris syllogismi accepta pro maiore vel pro minore, ⁊ cõuertente alterius pręmissarum, inferri reliquã pręmissarum prioris syllogismi. ¶ Oportet autem huiusmodi circulares syllogismos fieri in terminis conuertibilibus, cuiusmodi sunt termini propositi, animal rationale, risibile, homo. Alioqui enim nõ valeret cõuersio vniuersalis affirmatiuę in vniuersalem affirmatiuam, cuius est vsus in hac syllogizatione. Nusquã enim talis conuersio valet, nisi gratia materię in terminis cõuertibilibus.

Caput. xxv.

¶ De syllogismo conuersiuo.

Quarta potestas.

Conuersiue syllogizare (iuxta Aristotelis definitionem) est, ex opposito aut contrario conclusionis cum altera pręmissarum interimere reliquam. Docet quoque id fieri diuersimode. Maiorem enim primę figurę dicit interimi per tertiam, ex eadem minore ⁊ opposito, vel contrario conclusionis pro maiore, minorem autem per secundam ex eadem maiore. Exempli gratia, huius syllogismi in Barbara, Omne animal est substantia, ⁊ omnis homo est animal, igitur omnis homo est substantia, maior sic interimitur per syllogismũ conuersiuum, Nullus homo est substantia, ⁊ omnis homo est animal, igitur aliquod animal non est substantia. Hic sumitur cõtrarium conclusionis. Sufficeret tamen sumere contradictorium, ad eandem conclusionem inferendam in Bocardo. Minor autem sic interimitur, per syllogismum conuersiuum, Omne animal est substantia, ⁊ aliquis homo non est substantia, igitur aliquis homo non est animal. ¶ Secundę autem figurę maior interimitur per tertiam, minore prioris syllogismi posita pro maiori alterius, ⁊ conclusionis opposito pro minore posito. Minor autem per primam, manente eadem maiore. Exempli gratia, huius syllogismi in Cesare. Nullus lapis est animal, ⁊ omnis homo est animal, igitur nullus homo est lapis, maior sic interemitur, Omnis homo est animal, ⁊ aliquis homo est lapis, igitur aliquis lapis est animal. Minor autem sic, Nullus lapis est animal, ⁊ aliquis homo est lapis, igitur aliquis homo non est animal. ¶ Tertię autem figurę maior, per primam interimitur, manẽte eadem minore: ⁊ minor per secundã, sumpta maiore pro minore. Ut huius syllogismi, Omnis homo est animal, ⁊ omnis homo est substantia, igitur quę

dam substātia est animal, maior sic intērimitur, Nulla substātia est animal, et omnis homo est substantia, igitur nullus homo est animal, vel quidam homo non est animal. Minor autem sic, Nulla substantia est animal et omnis homo est animal, igitur quidam homo nō est substantia, vel nullus homo est substantia.

Caput. xxvi.
De syllogismo per impossibile.

Quinta potestas.

Per impossibile syllogizatur, quando propositione aliqua vera negata, proceditur ex eius cōtradictorio, cum alia propositione manifeste vera ad inferendum manifeste falsum: ex cuius interēptione consequenter fit regressus, ad Interimendum contradictorium propositionis verę negatę: ac deinde ex consequenti, ad astruendam veritatem Illius, quę a principio fuit negata. Et si quis neget hanc propositionem, Omnis homo est risibilis, ita cōtra ipsum procedetur, Omne animal rationale est risibile, et aliquis homo non est risibilis, Igitur aliquis homo non est animal rationale. Conclusio est manifeste falsa, et non maior quę est manifeste vera, ergo minor, quę est contradictoria propositionis negatę. Quod si hęc est falsa, erat igitur illa ab initio negata vera, cum non possint cōtradictorię ambę simul esse falsę. Differt autem hic syllogismus per impossibile a syllogismo cōuersiuo, quoniam conuersiuus semper presupponit alium syllogismum syllogismus autem per impossibile non. Sufficit enim, propositionē aliquam esse negatam, siue in syllogismo, siue extra syllogismum id fuerit.

Caput. xxvii.
De syllogismo ex oppositis.

Sexta potestas.

Syllogismus dicitur ex oppositis, in quo ex premissis cōtrariis vel contradictoriis infertur conclusio, in qua negatur idem de seipso. Et in hoc syllogismo, Omnis homo est substātia, et nullus homo est substantia, igitur nullus homo est homo. Ex contradictoriis sic, Omnis homo est substantia, et aliquis homo non est substantia, igitur aliquis homo nō est homo. Interdum vero proceditur ex premissis formaliter contrariis vel contradictoriis, ad illationem conclusionis, in qua formaliter et expresse idem negatur de seipso, vt in exemplis iam propositis. Interdum vero ex premissis tantum equiualenter contrariis, vel contradictoriis ad conclusionem, in qua equiualenter idem de seipso negatur. Equiualenter autem oppositas dicimus premissas, quando ex eis possunt per bonam consequentiam inferre formaliter oppositas Et cum sic argumentor Omne animal est substantia, et aliquis homo non est substantia, igitur aliquis homo non est animal. Premissę non sunt contradictorię, quoniam non participant vtroque termino. Inferunt tamen vere cōtradictorias, quoniam secunda illa, Aliquis homo non est substantia, re

ete infert hanc. Aliquod animal non est substantia, quę est formaliter priori contraria. Item in conclusione, cum dicitur, Aliquis homo nō est animal: negatur ęquivalenter idem de seipso, quoniam ex illa recte infertur ista, Aliquis homo non est homo, in qua formaliter idem negatur de seipso. ¶ Valet autē hic syllogismus ex oppositis, cōtra eos qui forte, vel per inaduertentiam, vel per proteruiam admitterent, duas propositiones sic oppositas formaliter, vel ęquivalenter. Per illationem nanque talem, in qua idem negatur de se ipso, manifestissime conuincuntur: quoniam sicut non est propositio apparentioris ⁊ certioris veritatis, quam affirmatiua illa in qua idem affirmatur de seipso: ita non est vlla propositio magis falsa aut magis apparenter falsa, illa in qua idem negatur de seipso. ¶ Denique, ⁊ hoc est aduertendum, non posse hunc syllogismum fieri ex quibuslibet oppositis. Nam ex subcontrariis non valeret. Ambę enim sunt particulares. Ex puris autem particularibus, nihil syllogistice sequitur. Ex contrariis autem ⁊ contradictoriis valet.

Caput. xxviii.

¶ De tribus defectibus syllogismorum.

Primus defectus

SUbiungit quoque prędictis Aristoteles tres syllogismorum deffectus: quos, quia non ita multum videntur ad propositum facere, breuissimis tantum perstringemus. Primus defectus est, petere principium: quod tunc ast fieri, quando in syllogismo aliquo nō ostenditur propositum, vt pote cum per ignotiora proceditur, vel ęque ignota. Et quando idem per idē probatur ⁊ vniuersaliter quādocunque pręmissę non possunt probare conclusionē. Et in hoc syllogismo est petitio principii, Omnis homo est homo, ⁊ omnis homo est homo, ergo omnia homo est homo. Item in isto. Omnis homo est capax disciplinę, ⁊ omne animal rationale est homo, igitur omne animal rationale est capax disciplinę. Conclusio enim est notior, pręmissa maiore.

Secūdus defectus.

¶ Secundus syllogismorum defectus appellatur nō propter hoc accidere falsum, quod tunc cōtingere dicit Aristoteles, quando syllogizādo falsitas cōclusionis illatę imputatur alicui ꝓpositioni in antecedente, quę vere non est causa falsitatis conclusionis. Fitq; hoc in syllogismis illis, in quibus est aliqua pręmissa superflua Ut sic procedendo, Sol lucet, ⁊ omne animal est homo, ⁊ omne brutū est animal, igitur omne brutū est homo, cōclusio est falsa, igitur aliqua propositio antecedentis: non autem minor illa, Omne brutū est animal, igitur prima illa. Sol lucet. Hic manifestū est falsitatē conclusionis imputari illi quę nō est causa: quoniam superflua est, ⁊ ea ablata ęque sequeretur conclusio. Perinde autē est siue ꝓpositio superflua conueniat cū altera pręmissarū in aliquo termino, siue non.

Tertius defectus

¶ Tertiū defectū nominat Aristoteles, fallaciam contrarię opinionis: quę tunc contingit, quando aliquis fallitur concedēdo ambas pręmissas duorum syllogismorum: ex quibus sequuntur duę propositiones contrarię vel cōtradictorię. Fit autē hoc, quādo admittit quis duo pręedicata

vere ⁊ vniuersaliter prędicari de vno aliquo subiecto, ac deinde aliud prędicatum de altero duorum priorũ vere ⁊ vniuersaliter prędicari de altero, autẽ negari. Ut si (exẽpli gratia) admittat quis de homine prędicari vniuersaliter duo hęc prędicata, animal ⁊ risibile: concedatque has duas veras esse, Omnis homo est animal, Omnis homo est risibilis: admittat quoque simul, terminum sensibile prędicari de animali vniuersaliter, negari autem de risibili, vt concedat etiam has duas. Omne animal est sensibile, Nullum risibile est sensibile, ex hac admissione cogetur per vim syllogismorum ad concedendum contraria, hoc modo, Acceptis namque duabus illis propositionibus cõcessis, Omne animal est sensibile, Omnis homo est animal, per syllogismum in Barbara, infero hanc conclusionem, Omnis homo est sensibilis. Acceptis aliis duabus, Nullum risibile est sensibile, Omnis homo est risibilis, in Celarẽt hanc infero, Nullus homo est sensibilis: quę sunt duę conclusiones manifeste contrarię



Caput. xxix.

¶ De syllogismis ex obliquis.

Hactenus autem syllogismos tantum eiusmodi tractauimus, in quibus omnes termini casu recto ponebantur. Nunc autem ⁊ de iis dicendum, qui terminum aliquem vel terminos plures habent in obliquo casu positos, quomodo possint debeantque concludere. Sciendum ergo est, quod aliquando medium in obliquo ponitur, aliquando altera extremitatum. Quando altera extremitatum in obliquo ponitur in pręmissis, similiter poni eadem debet ⁊ in conclusione. Ut, Omne iumentum est hominis, ⁊ omnis asinus est iumentum, igitur omnis asinus est hominis. Hic maior extremitas vtrobique in obliquo ponitur. Cum autem ita syllogizo, Omnis asinus est animal, ⁊ Petri est asinꝰ, igitur Petri est animal, minor extremitas vtrobique similiter ponitur. ¶ Cum vero medium in obliquo ponitur, tunc maior est adhibenda cautio, vt recte concludatur. Interdum enim medium in maiore tantum ponitur oblique, interdum in minore tantum, interdum vtrobique. Exemplum primi modi, Omnis hominis est asinus, ⁊ Petrus est homo, igitur Petri est asinus. Exemplum secundi. Omnis homo est animal, ⁊ asinus est hominis, igitur asinus est animalis. Exemplum tertij, Nullus leo est hominis, ⁊ omnis asinus est hominis, igitur nullus asinus est leo. ¶ Fiunt quoque syllogismi in omnibus obliquis. In genitiuo sic, Omnis entis est scientia, ⁊ homo est ens, igitur hominis est scientia. In datiuo, Omni homini conuenit sensum ratione moderari, adolescens est homo, igitur adolescentis est sensum ratione moderari. In accusatiuo, Omnes homines iudicabit altissimus, ⁊ reges homines sunt, igitur ⁊ reges iudicabit altissimus. In ablatiuo, In omni loco est Deus, locus desertus est locus, igitur ⁊ in loco deserto est Deus. Ab omni peccato diligentissime est cauendum, ⁊ superbia est peccatum, igitur a superbia est diligentissime cauendum. De omni verbo occioso reddenda

est ratio, ⁊ hoc est verbum ociosum, igitur de hoc est reddenda ratio. ¶ Ad recte autem concludendum potius consulenda est vis intellectus, ⁊ acumen rationis magis attendendum, quam regularum multarum traditio. Non fuerit tamen inutile, vnam aut alteram regulam ad certe concludendum hic constituere. Sit igitur prima regula.

Prima regula.

¶ In omnibus modis affirmatiuis cuiuscũque figurę, si altera pręmissarum sit de obliquo, conclusio quoque esse debet de obliquo. Et de extremitatibus quidem iam supra diximus, si earum altera in pręmissis posita fuerit in obliquo, debere eam poni similiter in conclusione. Cum vero medium in altera ponitur in obliquo, hoc est obseruandũ vt extremitas illa quę in pręmissis cum medio ponitur in recto, in conclusione non ponatur in recto, sed in obliquo: contra vero, ea quę in pręmissis cum medio in obliquo ponebatur, in conclusione ponatur in recto: ⁊ non in obliquo. Exempli gratia, ex his pręmissis, Quilibet homo est animal, ⁊ omnis asinus est hominis, sequitur hęc conclusio, Omnis asinus est animalis, vbi maior extremitas ponitur in genitiuo in conclusione, quę in pręmissa maiore fuit posita cum medio recto: contra autem, minor extremitas ponitur in recto, quę in minore cum medio obliquo posita fuerat. Non autem posset ex dictis pręmissis talis inferri conclusio, Omnis asini est animal. Ex istis autem pręmissis, Cuiuslibet hominis est asinus, ⁊ Petrus est homo, inferri debet hęc conclusio, Petri est asinus: non ista, Petrus est asini. Quod autem non possit inferri ex predictis pręmissis conclusio penitus de recto, manifestum est. ¶ Secunda regula, In modis negatiuis, quãdo syllogizatur ex altera de recto ⁊ altera de obliquo, si negatiua fuerit de obliquo, sequitur conclusio de obliquo. Si vero affirmatiua fuerit de obliquo, ⁊ negatiua de recto, non similiter fiet syllogismus. Prima pars declaratur hoc exemplo, Nullius animalis est ęternitas, ⁊ omnis homo est animal, igitur nullius hominis est ęternitas. Syllogismus iste nihil habet vitij. In secunda item figura recte sequitur, Intellectus non est bruto, ⁊ simia est brutum, igitur simię nõ est intellectus. In tertia quoque figura valet, Nullius bruti est intellectus, ⁊ omne brutum est animal, igitur alicuius animalis non est intellectus. ¶ Secunda autem pars regulę declaratur, quoniam syllogismus iste non concludit, Nullus homo est Deus, ⁊ omne iumentum est hominis, igitur nullum iumentum est Dei. Posset tamen ex illis pręmissis recte inferri hęc conclusio, Omne iumentum est alicuius, quod nõ est Deus. Nec iste valet in secunda figura, Omne iumentum est hominis, ⁊ Deus non est homo, igitur Dei non est iumentum. Sequitur tamen, Igitur alicuius quod non est Deus, est iumentum. Nec iste in tertia, Homo non est Deus, ⁊ cuiuslibet hominis est asinus: igitur asinus non est Dei. Sequitur tamen, Igitur asinus est alicuius quod non est Deus. ¶ Fiunt quoque ⁊ aliter syllogismi ex obliquis, in propositionibus ęquiualenter hypotheticis siue conditionalibus: cum videlicet pro maiore assumitur aliqua propositio ęquiualens vni hypotheticę siue conditionali: cuiusmodi est ista, Cuiuscũque est anima, illius est vita. Aequiualet enim huic conditionali, Si alicuius est anima

Secunda regula.

illius est vita. Ex hac itaque pro maiore posita, sic syllogizatur, Cuiuscunque est anima, illius est vita: omnis plantę est anima, igitur omnis plantę est vita. Negatiue sic, cuiuscunque nō est anima illius non est vita, auri nō est anima, igitur auri nō est vita. Debet enim cōclusio disponi secundū exigentiā maioris. Interdum enim infertur conclusio de obliquo vt in exēplo iam dato. Interdum in recto, vt sic procedendo. Cuiuscunque est anima illud viuit: Plantę est anima, igitur planta viuit. Uerum hi syllogismi potius videntur formam sequi hypotheticorū quam simplicium syllogismorum, Unde congruū videtur, vt hoc ex loco a syllogismis cathegoricis, de quibus hactenus sufficienter pro nostro instituto (vt arbitror) tractatū est, ad syllogismos hypotheticos siue conditionales transeamus.



Caput. xxx.
¶ De syllogismis hypotheticis.

De syllogismis hypotheticis

Syllogismi hypothetici sunt, argumentationes que ex vna principali hypothetica propositione procedunt. Secundum autem quod supra diximus esse diuersas species propositionum coniunctarum, quas hypotheticas communi nomine vocant, sic et species diuersas esse syllogismorum hypotheticorum est consequens. Inter omnes tamen pręcipui sunt illi, qui fiunt ex propositione conditionali: sunt tamen et alii, qui fiunt ex propositionibus copulatiuis et disiūctiuis. ¶ Ponemus autem hypotheticorum huiusmodi syllogismorum aliquot modos, eos pręcipue qui maxime videbuntur vtiles. Primus modus est, quando proceditur a tota conditionali, cum positione antecedentis, ad positionem consequentis. Sic enim valet semper illatio. Ut cum ita procedo, Si homo est, animal est: sed homo est, igitur animal est. Cōtra vero, a positione consequentis nō valet processus, Ut nō sequitur, Si homo est, animal est: at animal est, igitur homo est. Huius ratio est, quoniā coditionalis significat cōsequens sequi necessario ex antecedente, non autem antecedens ex consequenti. Unde oportet antecedente posito consequens poni, non autem econtrario. Idem autem est, si ambę partes cōditionalis fuerint negatiuę Ut sic procedendo, Si animal non est, homo non est, et animal nō est, igitur homo non est. Aut si altera partium fuerit affirmatiua, altera negatiua hoc pacto. Si est homo non est leo est autem homo, igitur non est leo. ¶ Dicimur autem antecedens ponere, quando ipsum extra conditionalem locando tanquam verum astruimus. Nam (vt supra diximus) propositio conditionalis ipsa per se nihil ponit, neque antecedens neque consequens sed tantum significat illationem necessariam consequentis ex antecedente. In conditionali ergo antecedens non ponitur neque consequens: sed quando extra conditionalem sine coniunctionali nota alterum eorum simpliciter pponitur ita poni dicitur. ¶ Secūdus modus est, quando pceditur a tota cōditionali, cū destructione cōsequētis, ad destructionē antecedētis. Sic enim semper valet illatio. Nō tamē valet a destructione antecedentis

Primus modus.

Secundus modus.

ad destructionem consequentis. Dicimus autem, consequens destrui quando oppositum contrarium vel contradictorium eius assumitur ⁊ tanquam verum asseritur extra conditionalem propositionem. Ut in hac argumentatione, Si est homo, est animal, ⁊ non est animal, igitur non est homo. Hic proceditur a tota conditionali, cũ destructione consequentis, ad detructionem antecedentis. Econtrario autem non valet processus, Si homo est, animal est: ⁊ non est homo, igitur nõ est animal. Ratio huius depẽdet ex priori: quoniam si ad positionẽ antecedentis necessario sequatur positio consequentis, igitur vicissim ad consequentis destructionem debet sequi antecedentis destructio. Non enim potest oppositum consequentis stare cum antecedente. Et si non necessario sequitur positio antecedentis ad positionem consequentis: neque igitur destructio consequentis ad destructionem antecedentis. Potest enim consequens stare cum opposito antecedentis.

¶ Tertius modus est ex copulatiuis: quando a tota copulatiua ad alteram eius partẽ proceditur. Ut: Deus est immortalis, ⁊ homo est mortalis, igitur Deus est immortalis. Copulatiua enim vtranque partẽ astruit, neque constat totius ipsius veritas, nisi verę sint omnes partes ex quibus cõponitur. Tertius modus.

¶ Quartus modus est ex copulatiuis negatiuis, quando a copulatiua negatiua, cum positione alterius partis, ꝓceditur ad destructionem alterius. Ut, Nõ dies est, ⁊ nox est: sed dies est, igitur nox non est: nox est, igitur dies non est. Significatur enim in tali negatiua, non esse ambas cathegoricas simul veras. Unde si altera ponatur vera, oportet alterã esse falsam. Non valebit tamẽ processus, a negatione vnius ad positionem alterius. Modo enim sequitur, Non homo est leo, ⁊ asinus est leo, ⁊ homo non est leo, igitur asinus est leo. Ratio est, quoniam in copulatiua negatiua tantũ significatur quod non sint ambę verę: sicut per contrariũ, affirmatiua significat ambas partes esse veras. Unde ad veritatẽ negatiuę sufficit, quod nõ sint ambę verę. Manifestum est autem, vbi neutra est vera, non esse ambas veras. Nõ potest igitur conuenientẽr ex vnius destructione inferri alterius positio, sed e cõtrario ex positione vnius, destructio inferri potest alterius. Quartus modus.

¶ Quintus modus est, procedendo a ꝓpositione disiunctiua affirmatiua, cũ positione partis vnius, ad destructionẽ alterius: vt. Uel dies est vel nox est: ⁊ dies est, igitur nox non est: nox est, igitur dies non est. Quintus modus.

¶ Sextus modus est, quando a propositione disiunctiua affirmatiua proceditur cum destructione vnius partis ad positionem alterius. Ut Dies est aut nox est, ⁊ dies non est, igitur nox est. Aut homo iste est sanus aut ęgrotat, ⁊ non est sanus, igitur ęgrotat: nõ ęgrotat: igitur est sanus. Aut mundus fallitur, aut falsa docuit Christus, Fieri autem non potest vt falsa docuerit Christus, veritas prima: Errat igitur ⁊ fallitur mundus, aliter viuens quam ille docuerit. Sextus modus.

¶ Ratio horum duorum modorum est, quoniam (vt supra diximus libro tertio, in tractatu de propositionibus hypotheticis) secundum vsum antiquorum ⁊ magis probatorum authorum propositio quę proprie disiunctiua fuerit, sic ponit alteram partem, vt alteram neget, ⁊ sic alteram negat, vt alteram ponat: nec admittit

simul vtriusque veritatem, aut simul vtriusque falsitatẽ. Unde ab vnius partis positione, recte infertur alterius destructio, & econtrario. ¶ Accipiendo autem propositionem disiunctiuam vt recentiores eam solent accipere, dicẽtes ad eius veritatẽ sufficere alterius partis veritatem, nec opus esse pugnantia partium, non valeret modus argumentandi indisiunctiuis, nisi a destructione vnius partis, ad positionem alterius: non autem econtrario, a positione ad destructionem. Ponunt vero & alios quosdam modos hypotheticorum huiusmodi syllogismorum: sed qui iam enumerati sunt, magis certi magisque in vsu prompti sunt.

Caput. xxxi.

¶ De diuisione syllogismi in demonstratiuum Dialecticum & litigiosum.

Prius vero quam ad alias tres argumentationis species transeamus, tractanda nobis est paucis illa syllogismi diuisio, quam in initio primi Topicorum libri Aristoteles constituit syllogismum diuidens in demonstratiuum, Dialecticum, & sophisticum, ac horum singulis singulas definitiones assignans. Et primum quidem syllogismũ demonstratiuum siue demonstrationẽ definit hoc modo.

Definitio demonstratiui syllogismi. Demonstratio est, quando ex primis & veris syllogismus erit, aut ex talibus quæ per aliqua prima & vera eius quæ circa ipsa est cognitionis principium sumpserunt.

¶ Quam definitionem ita intellige, Syllogismus ille dicitur demonstratiuus, qui conclusionem suã probat ex præmissis talibus quę sunt propositiones primę & verę, vel primo verę: ita videlicet vt non sint illis alię priores vel notiores, per quas ipsę possent probari siue demonstrari. Vel qui suam conclusionem probat ex talibus præmissis quę per propositiones alias primo veras sunt demonstratę.
¶ Primæ partis sit hoc exemplum. Omne animal rationale est capax disciplinæ, & omnis homo est animal rationale, igitur omnis homo est capax disciplinę. Hic enim syllogismus conclusionem suam infert ex propositionibus, primis & veris, siue primo veris, vtpote quibus alię non sunt priores in veritate aut notiores per quas probari possent. Qui enim hanc propositionem, Omne animal rationale est capax disciplinę, tentauerit demonstrare per aliam aliquam notiorem frustra prorsus laborabit: cum inuenire aliam priorem aut notiorem possit nullam, per quam id fiat. Idem est de illa propositione. Omnis homo est animal rationale. Ad intelligendam namque veritatem harum duarum præmissarum suppositi syllogismi, nõ alia re est opus nisi cognitione terminorum & aliquali experientia de re quę est homo. Hæc enim ipse suę veritatis certitudinem absque priori demõstratione homini manifestant ratione vtenti, vt vocabulorum vim intelligat, & rerum habeat experientiam. ¶ Secundę partis

exemplum est hic syllogismus, Omne animal est nutribile, & omnis homo est animal, igitur omnis homo est nutribilis. Procedit nāque hic syllogismus, & conclusionem probat, non quidē ex propositionibus primis & veris, cum sint alię priores & notiores per quas possint demonstrari, vt statim patebit. Procedit tamen ex iis quę per aliqua prima, & vera probari & demonstrari possunt. Maior enim prędicti syllogismi (nēpe, Omne animal est nutribile) sic potest probari, Omne corpus animatum est nutribile, & omne animal est corpus animatū ergo omne animal est nutribile. Imo & huius syllogismi maior adhuc per alias priores potest demōstrari, hoc pacto, Omne corpus quod habet animā vegetatiuā est nutribile, & omne corpꝰ animatū est corpꝰ quod habet animā vegetatiuā ergo omne corpꝰ animatū est nutribile.

¶ Inter hanc duplicem demonstrationem talis assignatur differentia vt prior vocetur demonstratio propter quid, altera demonstratio quia est. Nam licet in vtraque pręmissę probent sufficienter conclusionem, eiusque fidem certam & indubitam efficiant, illę tamen quę sub priore definitionis huius parte conprehēduntur, cum hoc etiam totā causam reddunt ipsius conclusionis, & quare ita se res habeat, vt per conclusionem significatur, manifeste explanant. Propter quod appellantur demonstrationes propter quid, quasi pręter conclusionis probationem simul etiam veram & propriam causam assignātes, quare prędicatum subiecto conueniat, ipsamque conclusionem sic prorsus absoluunt, vt nihil supersit quod de ea interroges. Causa enim rei cognita & perspecta, nihil est quod vltra possit quęri. Demonstrationes autem alterę quę sub posteriori definitionis particula clauduntur, appellantur demonstrationes quia est, eo quod rem quidem probent ita esse & veram esse conclusionem demonstrēt, sed non propter quid ita sit manifestant: nec proinde rem penitus absoluunt, causam nōdum assignantes veritatis ipsius conclusionis. Unde postquam per eiusmodi conclusionem probatum fuerit rem ita habere & veram esse conclusionem, questio adhuc superest propter quid res ita habeat. ¶ Quo vero facilius adolescentes intelligant demonstrationum differentiam pluribus exemplis id nobis visum est demonstrare. Hęc demonstratio est propter quid Omnis substantia corporea est mobilis secundum locum, & omne corpus est substantia corporea, igitur omne corpus est mobile secundum locum. Hęc autem est demonstratio quia est, Omne corpus est mobile, & omne corpus animatum est corpus, igitur omne corpus animatum est mobile. Hęc item est demonstratio propter quid, Omne corpus quod est susceptiuum quatuor primarum qualitatum agentium adinuicem & abinuicem patientium est corruptibile, & omne corpus elementare est huiusmodi, igitur omne corpus elementare est corruptibile. Similiter & ista, Omne corpus quod non potest suscipere in se qualitates primas actiuas & passiuas est incorruptibile, corpus cęleste est huiusmodi igitur est incorruptibile. Hę autem sunt demonstrationes quia est. Omne corpus elementare est corruptibile, & omne corpus mixtū est elemētare, igitur omne corpꝰ mixtū est corruptibile, Omne

corpus coeleste est incorruptibile, & coelum lunç est corpus coeleste, igitur est incorruptibile. ¶ Item hę sunt demonstrationes propter quid in qualitatibus, Omnis habitus per se bonus est laudabilis, & omnis virtus est habitus per se bonus, ergo omnis virtus est laudabilis: omnis habit⁹ per se malus est vituperabilis, & omne vitium est habitus per se malus, igitur omne vitium est vituperabile. Istę autē sunt demonstrationes quia est, Omnis virtus est laudabilis siue prosequenda, humilitas est virtus, igitur humilitas est laudabilis & psequēda, Omne vitium est vituperabile, superbia est vitiū, igitur superbia est vituperabilis & fugienda. ¶ In quantitate hę sunt demonstrationes propter quid, Omnis quantitas cuius partes copulātur per aliquem terminum communem est diuisibilis in partes positionem vel successionem adinuicem habentes: omnis quantitas continua est quantitas cuius partes copulantur, &c. Igitur omnis quantitas cōtinua est diuisibilis in partes positionem vel successionem habētes adinuicem. Item omnis quantitas continua quę habet partes per tempus pręsens siue instans pręsens coniunctas, est ex sua natura labilis & semper fugiens: tempus autem est huiusmodi quantitas continua, igitur tempus est ex sua natura labile inconstans semper & pręteriens. Istę sunt demonstrationes quia est, Omnis quantitas continua, ex partibus constat successionem vel positionem adinuicem habētibus & omnis linea est quantitas continua, igitur omnis linea est eiusmodi. Item omne tempus ex sua natura est labile, & omnis hora est temp⁹ igitur, &c. Ad hunc modum in alijs quoque rebus possunt fieri demōstrationes propter quid, & quia est.



Caput. xxxii.

¶ Quę dicantur prima & vera.

AD intellectum definitionis suprapositę syllogismi demonstratiui definit Aristoles quę sint prima & vera, in hunc modum.

Prima & vera sunt, quæ non per alia, sed per seipsa fidem habent.

Definitio primorum & verorū. ¶ Quam definitionem sic intellige, Propositiones illę dicuntur primę & verę, siue (quod idem est) primo verę, quarum veritas certa cognoscitur non per alias aliquas propositiones priores & notiores, per quas in demōstratione propter quid possent demonstrari, sed ex seipsis manifestę sunt tantum habita notitia significationis terminorum & in quibusdā simul experientia qualicunque rerum significatarū. ¶ Et quidem inter hęc prima & vera quędam inueniūtur ita per se manifesta, vt nō opus sit nisi sola terminorū notitia: cuiusmodi sunt ista, Quodlibet totū est qualibet sua parte maius. Si ab ęqualibus ęqualia demas remanētia erūt ęqualia. Quodlibet est vel nō est. De quolibet est affirmatio vel negatio, de nullo autem simul. Contradictorię

non possunt simul esse vere, et alia huiusmodi. In his enim non opus est aliqua experientia, ad percipiendum eorum veritatem. Statim vbi vim verborum intellexeris videbis manifestam veritatem. Quedam vero sunt prima et vera, que non sic ex sola terminorum cognitione claram habent veritatem, sed experientia insuper est opus. Huiusmodi sunt ista, Omne animal rationale est risibile et flebile aut sermocinabile, vt ita loquamur, Omne quod habet grauitatem est mobile deorsum, Omne quod habet leuitatem est mobile sursum. Unde patet, quod prima et vera nihil prohibet aliquo modo, quasi per inductionem (que experientia sumitur) vel etiam per aliqua comunia Dialetice probari. Non tamen possunt per aliqua priora simpliciter, et notiora in demonstratione propter quid demonstrari, atque ideo prima et vera dicuntur, quia in demonstrabilia, que etiam immediata ab Aristotele in posterioribus apellantur.

Caput. xxxiii.

De aliis definitionibus demonstrationis.

Ex his autem que in principio primi libri posteriorum habet Aristoteles accipiuntur alie due definitiones demonstrationis, quas breuiter hic assignare et explicare libet. Prior hec est,

Demonstratio est syllogismus scientificus.

Hoc est, syllogismus qui facit scire, siue (vt ipsius vtar verbis Aristotelis) secundum quem aut per quem ipsum habendo scimus. Ad cuius definitionis intellectum opus est cognoscere quid sit scire. Non enim indifferenter quodlibet cognoscere dicitur scire, secundum proprietatē loquutionis. Definitur autē scire ab Aristotele, hoc pacto.

Scire est causam rei cognoscere, propter quam res est, quoniam illius est causa, & quoniam non est contingere hoc aliter se habere.

Cuius definitionis hic est intellectus, Scire est alicui cōclusioni firmiter sine formidine assentiri, ex vi et probatione premissarum, importantium causam veritatis ipsius conclusionis, cognoscendo quod veritas premissarum est indubitata causa probationis conclusionis, et quod necessaria sit conclusionis veritas per necessariam veritatem premissarum: ita vt sicut premisse falsificari non possint, sic neque conclusio possit vnquam aliter se habere. Manifestum est autem hanc definitionem non conuenire nisi demōstrationi propter quid. Nam demonstratio quia est, non est syllogismus scientificus, quoniam non facit cognoscere causam propter quam res est, sed tantum quid res sit cognoscere facit.

Secunda definitio quam innuit Aristoteles, hec est,

Demonstratio est syllogismus ex veris & primis & immediatis & notioribus & prioribus causisque conclusionis.

Altera definitio demonstrationis.

¶ Quę definitio, sicut & pręcedens, solum demonstrationi propter quid conuenit. In qua primum innuitur demonstrationem debere ex veris procedere, non ex falsis: neque ex quibuslibet veris, sed ex primis & immediatis (quę idem sunt & explicant seinuicem) id est ex talibus propositionibus, quę per alias priores non possunt demonstrari. Item ex notioribus debet procedere demonstratio: quoniá nisi notiores essent pręmissę probanda conclusione, non solum non esset demonstratio, sed neque probatiuus syllogismus. Itidem & ex priorib9 quoniá causa prior est effectu. Quod nouissime additur, causisq; conclusionis demostrationem quia est excludit, quę nó est ex causis clusionis. ¶ Sciendum autem est, ea quę hic dicumur prima & vera & immediata, aliter etiam principia nominari, quoniá videlicet ab illis initium sumunt suę cognitionis conclusiones, quę eliciuntur ex eis. Quorum principiorum quędam sunt communia, quędam propria. Communia principia illa dicuntur, quę non peculiariter ad vnam aliquam scientiam faciunt, sed ad plures adduci possunt. Ut hęc principia, Omne totum est maius sua parte, Si ab ęqualibus ęqualia demas remanentia erunt ęqualia, communia siue generalia principia sunt, quia applicari possunt diuersis scientiis, vt pote numeris in Arithmetica, & lineis aliisq; magnitudinibus in Geometria, hoc modo, Si ab ęqualibus numeris ęqualia demas, remanentes numeri erunt ęquales. Si ab ęqualibus lineis ęqualia demas, remanentes ęquales erunt. Item omnis numerus totalis maior est sua parte. Omnis magnitudo totalis est sua parte maior. ¶ Alia vero sunt principia propria, quę non pluribus, sed vni tantum scientię possunt applicari. Ut hoc principium, Omne animal rationale est capax disciplinę, est principium proprium in scientia de homine. Hoc principium, Omne corpus quod non est susceptiuum qualitatũ actiuarũ, est incorruptibile, est principiũ proprium scientię de corpore cęlesti, atque ita in cęteris vnius cuiusque disciplinę propriis principijs. Habet enim vnaquęque disciplina siue scientia sua propria principia, quę nó possunt per alia eiusdem scientię demonstrari: sed in ea pręsupponuntur tanquam certę & notę veritatis, ex sola terminorũ notitia, vel cum adiuncta experientia rerum. Alioqui processus esset in infinitum, nec posset vlla haberi determinata scientia, cum ab infinitis penderet, quę simul capere non potest ratio hominis. ¶ De hac autem demonstratione, & iis quę ad ipsam pertinent, Aristoteles prolixe tractat in libris, quibus titulum posuit posteriorum resolutionum. Uerum quia pleraque eorum quę illic dicuntur, mathematicarum disciplinarum cognitionem pręsupponut: quibus imbuti solebant esse Philosophorum veterum discipuli, priusquá ad Dialecticam admitterentur (cui rei indicio est quod de Platone legimus, scripsisse illũ in introitu scholę suę, Nemo huc ingrediatur expers Geometrię) nostra autem tempestate vix vsquam eam obseruari

eam obseruari videmus consuetudinem. Hanc potissimum de causa nihil visum est Aristotelis illum de demonstratione tractatum non per singula prosequi, sed his paucis contenti pro qualicunque introductione adolescētium, de reliquis tractare impresentiarum supersedemus.

Caput. xxxiiij.

¶ De syllogismo dialectico.

Dialecticum syllogismum definit Aristoteles, his verbis. Definitio syllogismi Dialectici.

Dialecticus syllogismus est, qui ex probabilibus est syllogizatus.

¶ In qua definitione, syllogizatus idem valet quod collectus, ⁊ dispositus secundum formam syllogisticam. Fuit itaque definitio illum dici syllogismum dialecticum, qui procedit ex premissis, nō quidem necessariis aut primis ⁊ veris, sed probabilibus siue verisimilibus, quarum veritas licet nō sit certa necessaria ⁊ infallibilis, est tamen admodum verisimilis ⁊ apparens. ¶ Que autem intelligi debeāt probabilia, propria descriptione Aristoteles declarat, dum ait,

Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus: & his aut omnibus, aut pluribus, vel maximè probatis. Que ꝓbabilia.

¶ In qua definitione innuūtur multiplicia ꝓbabilia. Quedā enim maxime sunt probabilia, ita vt videātur omnibus ratione vtentibus ⁊ iudicio sanis, nō sapiētibus modo, sed etiā rudioribus infime plebis. Ut omnis mater diligit filium. Benefaciētibus est benefaciendū. Homines diligunt diligētes se, ⁊ benefaciētes sibi. Quedā nō omnino omnibus videntur, pluribus tamen etiam ex vulgo: vt quod melius sit communitatem regi ab vno quam a multis: quod pluralitas principum sit mala. Alia a sapientibus tātum, ⁊ altius studio discipline ꝓuectis verisimilia apparent. Atque inter hec quedam omnibus sapientibus videntur, vt Sol maior est tota terra. Quedam pluribus sapiētum, vt anima rationalis est immortalis. Quedam maxime probatis, vt mundus initium habet sue creationis. Generaliter autem sub probabilibus continentur omnes propositiones vere: quarum est contingens ⁊ non necessaria veritas. ¶ Signanter dictum est omnes propositiones vere, quoniam false propositiones non proprie dicū tur probabiles, nisi sophistice secundum apparentiam. Unde omnes illi syllogismi qui sunt ex propositionibus contingentibus, veris, ⁊ aliquo modo conclusionem probantibus, dicuntur Dialectici. Ut iste Omnis mater diligit filium, ⁊ hec est mater, ergo diligit filium. Omne animal mouetur, ⁊ omnis homo est animal, igitur omnis homo

mouetur. ¶ In hoc autem differunt syllogismus demonstratibus & syllogismus Dialecticus, quod ille generat scientiam, hic opinionem. Est autem opinio assensus alicuius propositionis, sed absque certitudine & omnimoda firmitate cum qualicunque formidine de opposito. Cuiusmodi assensum indicat verbum, videntur, cum in definitione supraposita dictum fuit, illa esse probabilia, quę videntur. Prima enim & vera non videntur, sed sciuntur: probabilia autē videntur, nō sciuntur. Unde sicut supra definitus est syllogismus demonstratiuus ab Aristotele, qui est scientificus aut sciētiam generans, ita posset definiri syllogismus dialecticus, qui est generatiuus opinionis. Talis namque assensus cum formidine de opposito (teste Aristotele in posterioribus resolutionibus) vocatur opinio.



Caput. xxxv.
¶ De definitione syllogismi litigiosi.

Syllogismus autē litigiosus ab Aristotele definitur, hoc modo.

Definitio syllogismi litigiosi.

¶ Litigiosus est syllogismus, ex his quæ videntur probabilia non sunt autem, & qui ex probabilibus est, aut ex his quæ videntur probabilia est apparens.

¶ Hęc definitio sicut tria habet membra, ita triplicem indicat litigiosum syllogismum. Est enim quidam litigiosus syllogismus, qui plerunque vocatur peccans in materia, qui sub prima parte continetur, qua dicitur, Litigiosus syllogismus est, qui ex his est quę videntur probabilia, non sunt autem. Hoc est, secundū formam quidem syllogisticam recte factus est, & bene procedit sine vitio formę, sed in materia est defectus: quoniam assumit propositiones quę falsę siue sophisticę videntur esse probabiles cum in veritate non sint probabiles. Huiusmodi enim multa sunt, quę prima facie videntur esse probabilia & verisimilia, cum in veritate non sunt eiusmodi. Quod si ex aperte falsis procedatur, litigiosus aut sophisticus non dicetur syllogismus, cū nemo per illum falli posse videatur.

¶ Est quoque syllogismus litigiosus peccans in forma tantum, qui per secundam partem definitionis innuitur, his verbis, Litigiosus syllogismus est, qui ex probabilibus est apparens. Hoc est, qui procedit quidem ex pręmissis vere probabilibus, & ita in materia non habet defectum, sed ex illis pręmissis non vere colligit, neque recte infert conclusionem, sed tantum apparenter. Interdum enim assumuntur propositiones verę & probabiles in antecedente, ad probandam aliquam conclusionem, sed non disponuntur secūdum debitam formā syllogisticam: quod quoties fit, dicitur syllogismus litigiosus peccās in forma. ¶ Sub tertia autē parte definitionis cōtinetur syllogismus litigiosus peccās in materia simul & forma, cū dicit, Qui ex his quę videntur ꝓbabilia est apparēs. Hoc est, qui apparēter & nō bene cōcludit

idque ex pręmissis non vere, sed apparenter tantum probabilibus. Exempla dantur, quantum ad membra singula definitionis. Hic est syllogismus litigiosus peccans in materia. Nulla opposita sunt simul vera, subcontraria sunt opposita, igitur non sunt simul vera. Maior enim videtur esse probabilis, eo quod multa opposita, vt pote contraria ⁊ contradictoria, non possunt esse simul vera. Vere autem non est probabilis, sed falsa. Istę autem est syllogismus peccans in forma, Aliqua opposita sunt simul vera, contradictoria sunt opposita, igitur contradictoria sunt simul vera. Pręmissę enim verę sunt ⁊ probabiles, sed est defectus in forma syllogistica: quoniam ex puris particularibus proceditur. Hic in materia simul ⁊ forma peccat. Nulla opposita sunt simul vera, quędam subcontraria sunt opposita, igitur nulla subcontraria sunt simul vera. Hic ⁊ in materia peccatum est: quoniam maior licet appareat, non tamen vere est probabilis. In forma autem, quoniam altera pręmissarum existente particulari, infertur cōclusio vniuersalis, quod est contra regulam syllogismorum. ¶ Inter hos autem syllogismos litigiosus, ex Aristotelis etiam sententia talis ponitur differentia; vt syllogismi peccantes in materia tantum dicantur, ⁊ sint vere syllogismi, secundum definitionem positam in principio libri. Non autem syllogismi qui in forma peccant. Non enim ad veritatem aut bonitatem syllogismi quęritur ex qua materia sit cōtextus, vera aut falsa: sed hoc quęritur, an recte colligat, an forma illationis sit bona, an debita sit ⁊ syllogistica conclusionis ex pręmissis illatio. Unde patet non valere hanc consequentiam, Hic est litigiosus aut sophisticus syllogismus, igitur est syllogismus: quemadmodum non valet consequentia, Est homo pictus, igitur homo. Litigiosus enim cum ad formam respicit, determinatio diminuens est: ⁊ facit dictum secundum quid. ¶ Addit Aristoteles prędictis syllogismum falsigraphum, qui sub litigioso videtur compręhendi. Et colligitur ex illius verbis hęc eius definitio.

Syllogismus falsigraphus est, qui procedit ex propriis principiis disciplinarum male intellectis. Definitio syllogismi falsigraphi

¶ Hoc est, qui litigiosus est ⁊ deficit, ꝓpterea quod assumpserit principium proprium alicuius disciplinę, secundum intellectum non verum. Ut si quis ita argumentetur, Omnes lineę ductę ab eodem puncto ad idem punctum sunt equales, linea recta ⁊ linea curua tendunt ab eodem puncto in idem, igitur sunt ęquales, Hic syllogismus falsigraphus appellatur, quoniam vtitur principio disciplinę Geometricę secundum malum intellectum. Verum enim est illud principium intelligendo de lineis ab eodem puncto in idem ductis per idem spatium. Applicatur autem in illo syllogismo litigioso etiam lineis ductis per idem spatium.

Caput xxxvi.

¶ De enthymemate.

PRius autem quam huic lioro finem imponimus, iuxta ꝑmissum in exordio, non nulla dicenda sunt, ⁊ de aliis tribus speciebus argumentationis, de enthymemate videlicet, inductione, ⁊ exemplo. Appellatur autem enthymema, argumentatio, in qua vnica tantum pręmissa expressa ⁊ altera suppressa, infertur conclusio. Ut hęc argumẽtatio, Petrus est homo, igitur Petrus est animal, vnam tantũ pręmissam exprimit ex qua infertur conclusio: in mente tamen alia tenetur atq; supprimitur. Omnis homo est animal. Propter quod solet enthymema syllogismus imperfectus nominari, cui videlicet altera deest pręmissarum: quę si fuerit adiecta, integer erit syllogismus. ¶ Ob hoc etiã Gręca appellatione enthymema dicitur talis argumẽtatio, quod in mente siue cogitatione alteram pręmissarum occultet, vna tantum expressa: idque plerunque ob festinationem, ⁊ quia supponitur verũ esse ac notum quod tacetur, vt ipsum proferri non sit opus. Unde a Boetio ita definitur enthymema.

Duę definitiones enthymematicis.

Enthymema est oratio, in qua non omnibus præmissis ante positis, festinata infertur conclusio.

¶ Aristoteles vero ita ipsum definit.

Entyhmema est syllogismus ex icotibus & signis.

¶ Pro cuius definitionis intellectu sciendum est, quid sit icos, ⁊ quid signum in proposito. Icos Gręco vocabulo appellat propositionem in se probabilem ⁊ consentaneam veritati, siue verisimilem: quę nimirum vt plurimũ solet habere veritatem, solet que fere ita euenire vt ipsa significat, tametsi nõ prorsus ita sit necessaria, vt nũquã aliter possit cõtingere. Ut hę propositiones, Homines diligunt benefaciẽtes sibi, Homines odiunt malefacientes sibi, Omnis mater diligit filium, Filii diligunt parentes, ⁊ huiusmodi. Plerumque enim hęc ita eueniunt, tametsi non omnino perpetuã habeant ⁊ vniuersalem veritatẽ cum aliter interdum euenire videamus. Signum vero appellat propositionem demonstratiuam aut necessario illatiuam alterius siue ipsa in se sit probabilis siue necessaria. Unde icos siue ꝓbabile in se cõsyderetur, signum vero per cõparationẽ ad illud quod infertur ex ipso secundum necessariam consequẽtiam. Ut lac habere in mammillis signum est commistionis cum viro. Ex ista enim, Mulier habet lac in mammillis, necessario sequitur, mulierem viro fuisse coniunctam. ¶ Cũ igitur Aristoteles definiẽdo enthymema, ipsum dicit esse quod ex icotibus constet ⁊ signis, materiam indicat vnde fiant enthymemata, nempe ex propositionibus in se probabilibus ⁊ ex propositionibus conclusionem necessario inferentibus atque probantibus. Eademque propositio recte dicitur icos ⁊ signum: icos quidem quatenus est in se probabilis, signum vero, quatenus necessario infert conclusionem. Atque vt prorsus generalis ⁊ omnimodis sufficiens inueniatur definitio, videtur icos dicẽda etiã propositio ꝓbabiliter inferens cõclu-

fionem qualifcunque in fe fuerit. ¶ Sciendum autem eſt, omne enthymema poſſe reduci ad perfectum integrumque ſyllogiſmum, per additionem propoſitionis, quę ſubintelligitur, cum ea quę exprimitur. In enthymemate etiam ſunt tres termini, ſicut in ſyllogiſmo, quorum primus ſolum eſt in antecedente & concluſionem non ingreditur: & hic medii locum habet, atque in reductione enthymematis ad ſyllogiſmum accipiendus ille eſt pro medio. Reliqui autem duo termini ſunt maior extremitas, & minor extremitas: quorum alter tantum ſemel ponitur, nempe in concluſione tantum, alter vero bis. Propoſitio autem ſupplenda debet componi ex medio & termino illo qui ſemel tantum in enthymemate ponitur: ac iuxta exigentiam huius propoſitionis ſupplēdę cū altera expreſſa, fiat ſyllogiſmus in modo & figura ad quem fiat reductio. ¶ Ut (exempli gratia) ad compiendum hoc enthymema, Petrus eſt homo, igitur Petrus eſt animal, hanc accipio propoſitionem. Omnis homo eſt animal, quę cōponitur ex medio homo & termino animal, qui ſemel tantū in enthymematis cōcluſione ponebatur, pręmiſſiſque diſpoſitis in Darii fit integer ſyllogiſmus, hoc modo, Omnis homo eſt animal, & Petrus eſt homo, igitur Petrus eſt animal. ¶ Fit autem reductio enthymematis interdum ad primam figuram, interdum ad ſecundam, interdum ad tertiam, ſecundum variam habitudinem propoſitionis ſupplendę & propoſitionis expreſſę adinuicē. De prima figura, iam exemplo oſtenſum eſt. Per ſecundam figuram, hoc enthymema, Iſta mulier non eſt pallida, ergo non peperit, ſic reducitur, Omnis mulier quę peperit eſt pallida, iſta mulier nō eſt pallida, igitur non peperit. Iſtud vero enthymema, Homo eſt rationalis, igitur animal eſt rationale, reducitur per tertiā figuram, hoc modo, Homo eſt rationalis, & omnis homo eſt animal, igitur animal eſt rationale. Uniuerſaliter autem, quando ſubiectū concluſionis eſt ſubiectum antecedentis enthymematis, tunc in reductione ſupplēda eſt maior: quando autem prędicatum concluſionis eſt etiam prędicatum antecedentis, tunc deeſt minor. Patet hoc manifeſte in exēplis propoſitis. ¶ Interdum vero inueniuntur enthymemata, quę ex quatuor terminis componuntur diuerſis. Uerum hęc non ſunt ſimplicia enthymemata, ſed virtute ſunt plura, quoniā in plura reſoluuntur, ac deinde per plures ſyllogiſmos reducūtur. Ut cum ita argumentamur. Homo currit, igitur animal mouetur, enthymema iſtud in duo reſoluitur: quorū primū eſt, Homo currit igitur animal currit: ſecundū vero, Animal currit, igitur animal mouetur. Primū ſic reducitur, Homo currit, & omnis homo eſt animal, igitur animal currit. Secundum ſic, Omne quod currit mouetur, animal currit, igitur animal mouetur. Uniuerſaliter autē cognoſcitur enthymematis bonitas vel defectus, ex hac reductione. Si enim ad ſyllogiſmū bonum reduci poteſt enthymema, bonum erit (ſi autē malus fuerit ſyllogiſmus ad quē reducitur) malum quoque fuiſſe enthymema deprehenditur.



Caput. xxxvii.

¶ De inductione.

TErtia species argumẽtationis est inductio, quę ita solet definiri

Inductio est à singularibus ad vniuersale progressio.

¶ Hoc est, talis aliqua argumentatio, in qua a singularibus siue minus communibus sufficienter enumeratis, proceditur ad vniuersale siue magis cõmune, ipsum sumẽdo vniuersaliter. Ut hęc est inductio, Iste ignis est calidus, & ille ignis est calidus, atque ita in cęteris omnibus singularibus ignibus, igitur omnis ignis est calidꝰ. Negatiue sic, iste ignis non est frigidus, & ille ignis nõ est frigidus, atque ita in cęteris omnibus, igitur nullus ignis est frigidus. Non est autem opus semper accipere singularia indiuidua. Potest enim fieri inductio a minus cõmunibus ad magis cõmune, vt pote a speciebꝰ ad genus, hoc modo omnis homo sentit, & omnis leo sentit, atq; ita in cęteris omnibꝰ speciebus animalis, igitur omne animal sentit. ¶ Hoc autẽ diligentissime semper obseruandũ est in inductione, vt singularia siue minus communia sufficienter enumerentur: hoc est, vt omnia enumerentur, vel explicite, vel vt minimum implicite, quod fit per hanc particulam, & ita de omnibus aliis, vel aliam ęquiualentem, in qua omnia enumerentur implicite, quę propter suam infinitatem vel multitudinem nimiã non possunt enumerari sigillatim. Species enim licet vtcunque possint enumerari, quamquam & hoc interdum cum magno labore, indiuidua tamen nunquam possunt, vt pote infinita, quę certo numero nequeunt comprehendi. A singularibus autem non sufficienter enumeratis, nequaquam valeret inductio. Non enim sequitur, Iste homo est stultus, & ille est stultus, atque ita in aliis plurimis, igitur omnis homo est stultus. Non enim ad illationem eius quę simpliciter est vniuersalis, sufficit plurima inducere singularia, sed omnia oportet adducere. ¶ Quando autem a speciebus ad genus, siue a minus cõmunibus ad magis commune procedituṙ, non sufficiet omnes species enumerare particulariter, sed vniuersaliter enumerari eas oportebit. Non enim valet hęc inductio, Aliquis homo quiescit, Aliquis equus quiescit, atque ita in omnibus speciebꝰ animalis, semper aliquod eius indiuiduum quiescit, igitur omne animal quiescit, sed ita procedendum est, Omnis homo quiescit, & omnis equus quiescit, atque in cęteris speciebus singularũ omnia indiuidua quiescũt: igitur omne animal quiescit, ¶ Ueruntamẽ vbi terminus ad quẽ fit inductio poneretur vniuersaliter nõ cõplete, sufficeret omnes species particulariter enumerare. Pro cuius intellectu sciendũ est signum vniuersale additũ termino generico, interdũ ipsum distribuere pro vniuersis indiuiduis sub se & omnibus suis speciebus contentis. Atque ita communiter solent intelligi propositiones vniuersales. Interdũ autem, sed rarius, signum vniuersale additum termino generico facit ipsum accipi vniuersaliter, tãtum pro singulis speciebus: ita vt non opus est ad talis propositionis veritatẽ, singula omnium specierũ indiuidua prędicato vere subiici, sed tantũ ipsas species particulariter sumptas

Ut in hac propositione, Omne animal fuit in arca Noe, cuius sensus est, Quelibet species animalis fuit in arca Noe. Ita huius negatiue, Nullum animal defuit in arca Noe, sensus est, Nulla species animalis defuit in ea. Ita cum diximus, In hac mensa est omne vinum. In hac sylua inuenies omnes feras. Hec regio omnia pducit animalia. Omnia que apponuntur fidelibus, manducantur ab eis. In his atque huiusmodi propositionibus incomplete vniuersalibus, non fit pro singulis indiuiduis distributio, sed pro speciebus seu minus cōmunibus tantum. Unde ad eas inferendas per inductionem, nō est opus singula indiuidua adducere, nec explicite nec implicite, sed omnes species sufficit particulariter enumerare. ¶ De hac quoque specie argumentationis peculiariter notat Aristoteles, quod per eam conueniēter possunt probari principia demonstrationū, que aliter demōstrari sine probari non possunt. Ut istud principiū, Omne totum est maius sua parte: ita per inductionem fit notū. Istud totū est maius sua parte ⁊ illud totum est sua parte maius, atque ita in aliis, nusquam videtur totum aliquod quod non sit sua parte maius, igitur omne totum est maiꝰ sua parte. Item ista, Omne animal rationale est discipline capax, per inductionem optime probatur, hoc modo, Istud animal rationale disciplinam capit, ⁊ item illud, atque ita in ceteris, igitur omne animal rationale est capax discipline. Rursum hoc principium cōmune, Nulle contradictorie possunt simul esse vere aut simul false, nō aliter nisi per inductionem potest ostendi. Quod autē per inductionem ostendi possint principia demonstrabilia, inde est, quia inductio a singularibus procedit que sunt nota sensui. Intellectus autem iudiciū, presupponit iudiciū sensus ⁊ eo adiuuatur. Unde quāuis per syllogismum, qui est intellectus, non possint probari: per inductionē tamen, quam subministrat sensus, vtique possunt. Docet quoque Aristot. inductionē posse reduci ad syllogismum. Quod hoc modo fiet, Accipiendū est disiunctū ex omnibus singularibus pro medio, ⁊ terminus ille ad quem fit inductio pro minore extremitate, predicatum autē erit, maior extremitas, vt hec inductio, Iste ignis est calidus, ⁊ ille ignis est calidus, atque ita in aliis, igitur omnis ignis est calidꝰ, sic reducitur, Omne quod est iste ignis, vel ille ignis, ⁊c. est calidū: ⁊ omnis ignis est iste ignis, vel ille ignis, vel alius aliquis, igitur omnis ignis est calidus. Negatiua inductio sic reducitur, Nihil quod est iste ignis vel ille ignis vel alius quispiam est frigidum, ⁊ omnis ignis est iste ignis, vel ille ignis, vel alius quispiam, igitur nullus ignis est frigidus.



Caput. xxviii.

¶ De exemplo.

Quarta argumentationis species est exemplum, que sic fere sē habet ad inductionem, sicut enthymema ad syllogismum. Quemadmodum enim enthymema dicitur syllogismus quidē imperfectus, ⁊ ad syllogismum reducitur: sic exēplum dicitur quedam imperfecta inductio, ⁊ ad inductionem quodammodo reducitur. Definitur autem sic.

Definitio exempli.

Exemplum est, quando vnum particulare probatur per aliud, propter aliquid simile in ambobus inuentum.

¶ Hoc est, exemplum est argumẽtatio talis, in qua proceditur ab vno singulari vel particulari, ad probandum aliud particulare, item vel singulare, ex ratione alicuius similitudinis inter ambo illa inuentę. Ut cum sic colligimus, Niniuitis licet peccatoribus pepercit Deus quoniam egerunt poenitentiam, igitur ⁊ nobis parcet Deus si egerimus poenitentiam. Sodomitę male perierũt, quia peccatores erãt ⁊ non egerunt poenitentiam: igitur ⁊ nos male peribimus, si non agamus poenitentiam peccatorũ. Corinthii facile a pseudapostolis corrumpebantur, propter rerum omnium ob portum maris comodum abundantiam: igitur ⁊ Antuerpienses facile corrumpi potuerunt ab hereticis, quod ⁊ ipsi similiter omniũ rerũ ex cõmodo portu affluẽtia lasciuiant. ¶ Hoc modo argumentamur a similibus, a maiori, ⁊ minori de quibus posterius suo loco dicetur. Estque hic modus argumentãdi in moralibus vtilissimus, ⁊ ad mouendum atque persuadendum efficacissimus. Nusquam enim melius homo excitatur aut prouocatur, quam aliorum egregiis exemplis propositis: neque melius a noxiis deterretur quã aliorum periculis ante oculos expositis: quę per exemplarem argumentationem pulchre fieri, ex paucis his exemplis est manifestum. Obseruandum est autem potissimum in hac argumentatione, vt similitudo illa quę adducitur ad rem pertineat, id est, causa sit quare prędicatum antecedentis subiecto conueniat. Nõ enim ad exemplarem argumentationem sufficit quęlibet similitudo, quoniam non sequitur, Judas male periit, igitur ⁊ Petrus male periit: quoniã ambo fuerunt homines, aut ambo Apostoli, aut ambo peccatores. Siquidem hęc similitudo nihil ad rẽ facit, id est causa non est cõueniẽtię inter subiectum ⁊ prędicatum antecedentis. Non enim ideo periit Judas, quia homo, neque quia Apostolus, imo neque quia peccator fuerat: sed quia post proditionem magistri, desperãs de misericordia factus est sui perditor. Hęc autem similitudo in Petro non inuenitur qui bonam egit poenitentiã, sperauitque in Dei misericordia. Si autẽ sic colligas, Judas male periit, igitur ⁊ Pilatus, ⁊ cęteri Judęi male perierunt: quoniam sicut ille, ita ⁊ isti dominum perdiderunt, ⁊ non egerunt dignam poenitentiam, ita bonam habebis argumentationẽ exemplarem. Hic enim similitudo inuenitur in vtroque particulari, quę ad rem faciat maxime. ¶ Docet autem Aristoteles exẽplum reducere, partim ad inductionem, partim ad syllogismum. Accipiendo enim primum particulare, infertur ex illo per inductionem imperfectam propositio vniuersalis, ac deinde ex vniuersali proceditur ad aliud particulare, quod infertur in conclusione exempli. Ut hoc exemplum, Judas male periit, igitur ⁊ Pilatus, sic reducitur. Judas male periit, quia mortis domini author fuit, nec egit dignam poenitentiam: igitur omnis qui mortis domini author fuerit, nec poenitentiã egit, male periit. Deinde sub hac vniuersali ita subsumitur. Pilatus

author fuit mortis domini nec egit poenitentiam ac postremo infertur alterum particulare, igitur Pilatus male periit. His autem quatuor argumentationum speciebus ita vtcunque declaratis, quarti libri Dialecticę cõsiderationis finem hic faciamus, atque ad locos dialecticos transeamus.

Deo semper & vbique gloria.

LIBER QVINTVS CONSIDERATIONIS Dialecticæ qui de locis Dialecticis inscribitur.

PRAEFATIO.



Dialectica omnis, Marco Tullio & Seuerino Boetio testibus, iudicio & inuentione constat. Cum itaque ars iudicãdi, Grecis Chriticę dicta, Latinis iudicialis quantum ad formas attinet argumentationum, pręcedenti libro vtcunque sit absoluta, superest altera quę Grecis Topicę, Latinis localis dicitur, pręsenti hoc libro tractanda. In quo hoc potissimũ elaborandum est, vt ordine congruo locos quosdam designemus, e quibus ad vnamquanque propositam quęstionem facile depromi possit conueniens argumentum. Enimuero (iuxta Marci Tullii testimoniũ) sicut earum rerum quę absconditę sunt, demonstrato & notato loco facilis est inuentio: sic cum peruestigare argumentum aliquod volumus locos nosse debemus. Id quod & Quintilianus libro quinto Oratoriarum institutionum pulchre testatur, Non omne, inquiens, argumẽtum vndique venit ideoque non passim quęrẽdum est. Multus enim alioqui error est: exhaustoque labore, quod non ratione scrutabimur non poterimus inuenire nisi casu. At si scierimus vbi quicquam nascatur, cum ad locum ventum erit, facile quid in eo erit peruidebimus. Hęc ille. Non immerito proinde reprehendendam existimauit Tullius Stoicorum negligentiam, qui iudicandi vias diligenter persequuti, inueniendi artem, & vsu potiorem, & natura priorem, totam reliquerunt, Aristotelis vero diligentiam ex aduerso censuit commendandam, vtpote qui vtranque copiose tractauerit. Quem vt artis huius principem, nos quoque pro virili insequentes, Dialecticos locos fideliter aperiemus, ordinem tamen qui apud illum cofusior & minus digestus apparet, ab eius Cõmentatoribus Themistio atque Boetio (qui in eadem hac arte diligentissime laborauerunt,) accipiemus. Ab his enim in certiorem quendam ordinem redacti sunt loci illi, qui ab Aristotele cõfusius sparsi fuerant: vt fere solent primi rerum inuentores minus ordinate res singulas locis suis constituere, quod a posteriorum est diligentia pręstolandum. Et enim res ipsas primum inuenire est difficillimum, ita post inuentionem non ita magni est negocii in ordinem inuenta redigere. Prius autem quã ad notandos locos transeamus, quid locus sit, & quomodo diuidatur explicemus.

⁂ De locis Dialecticis. ⁂

Caput primum.

¶ Quid sit locus, quid item locus maxima, ⁊ differentia maximę.

LOcus a Boetio ita definitur, Locus est sedes argumenti, vel id a quo ad propositam questionem conueniens trahitur argumentum. Pro cuius diffinitionis intellectu primum sciendum est quid sit argumentum. Appellamus autem argumentum rationem quę rei dubię faciat fidem, id est propositionem aliquam quę adhiberi potest ad propositionem aliam probādam cuius est dubia veritas, ⁊ de qua habetur quęstio. In quo manifesta est differentia argumentationis ab argumento. Argumentatio enim complectitur argumentum probans, cum conclusione quam probat, estque argumentum tantum pars altera argumentationis. Unde argumentatio a Boetio sic definitur „ Argumentatio, est argumenti per orationem explicatio. Tota „ enim argumentatio, vim explicat ipsius argumenti, dum ipsum assumit tanquam probans, atque ex ipso conclusionem colligit dubiam ad eius veritatem demonstrandam. Dicitur autem argumentum, ab arguendo. Arguere enim, in vna significatione idem valet quod probare siue ostendere. Unde argumentum dicitur id per quod aliquid arguitur, probatur, siue ostenditur quale sit, verum ne an falsum.

Quid sit locus maxima. „ ¶ Duplex quoque im pręsentiarum ab authoribus locus distinguitur, nempe locus maxima ⁊ locus qui est differentia maximę. Locus „ maxima in proposito appellatur generalis aliqua propositio per se nota, ex qua desumitur argumentum, ⁊ argumentatio ipsa vim suam habet, qua ⁊ confirmatur. Ut argumentatio ista, Animal rationale est capax disciplinę, igitur homo est capax disciplinę: innititur huic maximę, Cuicunque conuenit definitio, eidem ⁊ definitum conuenire necesse est. Hęc quoque argumentatio, Petrus est iustus, igitur nō est iniustus: in hac maxima propositione solidatur, Cuicunque conuenit vnum contrariorum, ab eodem negabitur alterum. Hę duę propositiones alięque harum similes, loci appellātur, eo quod ab eis sumantur argumenta: quemadmodum locus materialis alicuius rei dicitur, vnde ipsa accipitur atque depromitur. Quod pulchre explicat Boetius, ita inquiens, Ideo autem vniuersales ⁊ maximę propositiones loci sunt dictę, quoniam ipsę sunt quę continent cęteras propositiones, ⁊ per eas fit consequens ⁊ rata conclusio. Ac sicut locus in se corporis continet quantitatem, ita hę propositiones quę sunt maximę intra se omnem vim posteriorum atque ipsius conclusionis consequentiam tenent. Hęc ille. ¶ Appellantur autem propositiones istę maximę ad eum fere modum quo in syllogismis dicimus propositionem maiorem atque minorē. Quemadmodū enim maior propositio illic dicitur, in qua est robur pręcipuum totius argumentationis, ⁊ in qua vt generalior minor velut includitur atque cōclusio: ita hic dicitur ꝓpositio maxima, ex qua plurima depromi possunt ad diuersas conclusiones argumenta: quę omnia quoddammo-

do intra suum ambitum continet, atque intra latitudinem suam complectitur. Preterea, non habent maximę istę alias vllas propositiones se priores aut notiores, per quas commode possent probari: sed ex ipso terminorum intellectu, manifeste apparet ipsarum veritas. Propter hoc, ⁊ maximę propositiones dicuntur secundum expositionem negatiuam, quibus alię non sunt maiores, priores scilicet, aut notiores, per quas possent probari. Hi ergo loci maximę appellãtur. ¶ Alio vero modo (vt idem Boetius attestatur) loci vocantur maximarum differentię propositionum: illi videlicet, quibus maximę diuersę abinuicem differunt. Ut (exempli gratia) maximę illę duę supraposite, abinuicem differunt, per terminos diuersos. In altera enim ponitur definitio ⁊ definitum, in altera vero contrarium ⁊ suum oppositum. Definitio igitur ⁊ definitum, contrarium ⁊ suum oppositum, sunt differentię maximarum illarum: qui etiam loci appellantur, eo quod ab horum consideratione sumantur argumenta, ex ipsis maximis. ¶ Huiusmodi autẽ loci, pauciores sunt numero prioribus. In terdũ enim plures maximę ꝓpositiones sub vno loco differentia maximę cõprehenduntur. Exẽpli gratia, duę hę maximę. Cuicunque conuenit definitio, eidẽ ⁊ definitum. A quocunque remouetur definitio, ab eodem remouetur ⁊ definitum, sub vno continentur loco differentia maximę, nempe suo loco qui appellatur a definitione ad definitũ, vel simpliciter a definitione. Sic enim in assignando locũ qui est differentia maximę, accipimus vocabulum significans id a quo sumitur argumentum atque probatio, cum prepositione a, vt locus a definitione, a descriptione, a genere, a specie, a causis, a contrario, atque ita in ceteris. Et quidem interdum sic solum terminum inferentem exprimimus, interdum vero cum prepositione ad terminum quoque illatum adiicimus. Ut locus a definitione ad definitum, a specie ad genus, a contrario ad contrarium, a causa ad effectum. Rursum locum differentiã maximę interdum appellamus, ipsam habitudinem, quę est inter terminum inferentem ⁊ terminum illatum, vt inter definitionem ⁊ definitum, causam ⁊ effectum. Interdum vero ipsam orationem per quã talis habitudo exprimitur. ¶ Ex quibus satis patet definitio loci.

Manifestum enim euadit ex his, quomodo tam locus maxima, quam locus differentia maximę, dicatur sedes argumenti, ⁊ quomodo ab vtroque trahantur commoda argumenti ad propositas questiones.

Manifestum item relinquitur, quid intersit inter locum maximam ⁊ locum differentiam maximę. Et licet nonnulli predictam definitionẽ ita distinguant, vt partem priorẽ peculiariter accommodẽt maximis posteriorem solis maximarum differentiis, nobis tamen commodius videtur, vtranque partem ad vtrunque locum referre, ac partem posteriorem quodammodo declarationẽ prioris esse, atque ob id a Boetio posterius adiectam, ad elucidandam Ciceronis definitionem, qui locum generaliter definiens, hoc tantum dixit, locum esse sedem argumenti.

Quid loci differentię maximę.

¶ In librum locorum Dialecticorum.

¶ Pro exactiori locorum dialecticorum notitia ponuntur aliqua argumenta, & eorum solutiones vt clarius innotescat materia, & sic arguitur contra definitionem loci.

¶ Pars argumentatiua.

Ar. primũ ¶ Primo. Nulla diffinitio bona datur per metaphorã, sed diffinitio loci datur per metaphoram, ergo non est bona. Præmissæ sunt veræ, & consequentia bona, ergo intentum.

Argu. ii. ¶ Secundo sic. Si diffinitio loci esset bona, sequeretur quòd isti termini homo & animal essent loci. Probatur, quia ab illis sumitur argumentum, vt Homo est, ergo animal est. Item nullum animal, est ergo nullus homo est.

Argu. iii. ¶ Tertio, Omnis locus differentia maximæ est habitudo, sed nulla habitudo est terminus, ergo malè dicitur q̀ locus differẽtia maximæ est termini per quos vna maxima differt ab alia.

¶ Pars responsiua.

Ad primũ. ¶ Ad primum respondetur quòd diffinitio data per metaphoram non reducibilis ad propriam loquutionem, non est bona, sed diffinitio data per metaphoram reducibilis ad propriam loquutionem (sicut est diffinitio loci) est bona. Item sicut locus naturalis generat, conseruat, roborat rem locatam, ita locus dialecticus consequentiam dialecticam.

Ad. ii. ¶ Ad secundum respondetur quòd ab illis terminis sumitur argumentum tanquam à principiis materialibus, sed non tanquàm à principiis regulatiuis quod requiritur. Vel sic respondendum est, Sumitur ab illis argumentum tanquam ab illis ex quibus constituitur argumentum sed non tanquam à terminis inferibilibus ex termino inferente & illato vt sunt species & genus.

Ad. iii. ¶ Ad tertium respondetur, quòd loci sunt in se habitudines formaliter, sed originaliter vel fundamentaliter sunt termini.

Caput.ii.

¶De loco intrinf.co extrinseco,⁊ medio.

Assignantur autem loci diuersi, secundum diuersam habitudinē termini inferentis ⁊ termini illati, siue argumenti ⁊ conclusionis que probanda proponitur. Unde locus diuiditur in locū intrinsecum, extrinsecum, ⁊ medium. Quarum specierum differentię ex ipsis earum definitionibus cognoscentur, que sunt hę, Locus intrinsecus est, quando sumitur argumentū ab his que sunt de substantia rei de qua queritur. Locus extrinsecus est, quando sumitur argumentū ab his que sunt omnino separata a substātia rei de qua queritur. Locus medius, est, quando sumitur argumentum ab his que partim conueniunt, ⁊ partim differunt. Pro quarum definitionum intellectu aduerte proposita questione aliqua dubitabili, ad eam probandam adferri interdum argumentum ab aliquo quod ad substātiam pertineat rei de qua fit questio. Ut si proponatur questio, Num omnis homo sit capax disciplinę? ad hanc questionem determinandam adfero argumentum ab ipsa hominis definitione, que procuidubio ad ipsius substantiam siue essentiam spectat, ⁊ talem conficio argumentationem, Omne animal rationale est capax disciplinę, igitur omnis homo est capax disciplinę. Locus proinde tam maxima quam differentia maximę. Unde hoc argumentum deprompum est, locus vocatur intrinsecus. ¶Interdum vero argumentum sumitur ab eo quod prorsus est extra substantiam eius, de quo queritur, est que omnino illi extraneum. Ut si proponatur hec questio, Num humilitas vitium sit? adhibebitur argumentum a contrario, hoc pacto argumentando. Humilitas est virtus, nō est igitur vitiū. Hic manifeste cernis, argumentū duci a virtute ad vitiū, que penitus sunt adinuicē aliena. ¶Iterdū vero argumentū ducitur ab eo quod partim conuenit cū eo de quo fit questio ⁊ partim differt. Ut si queratur, num iustitia sit bona? ad questionis dissolutionem adfero argumentū, Qui iustus est, bonus est igitur iustitia est bona. Hic a iusto ad iustitiam argumentū ducitur. Inter autē iustitiam ⁊ iustū, est aliquid differentię, ⁊ aliquid conuenientię. Differunt enim in finali terminatione, atque in minus principali significato. Conueniunt autem in significatione precipua. Unam enim eademque rem concretū ⁊ abstractū ex significato principali important, quemadmodum in principio libri secundi, capite de denominatis, meminimus declaratum. ¶Solet quoque locus intrinsecus subdiuidi: in locū a substātia ⁊ a concomitātibus substantiā. Locus a substantia dicitur, quando sumitur argumentū ab his que sunt de substantia rei de qua queritur. Cuiusmodi proprie solum est locus a definitione, qui pro argumēto sumit totam ipsam essentiam siue substantiā rei de qua queritur. Adiunguntur tamen illi duo alij, a descriptione, ⁊ nominis interpretatione. Ille quidē eo quod definitionis loco plerunqz vti soleamus descriptione, ppter imbecillē nostri ingenij captū. Unde, vt veras ⁊ intimas rerū differentias pernoscere nō valētes, proprijs ⁊ accidentibus eas cogimur distinguere. Hic vero ppter cog-

Margin notes: „Quid locus intrinsecus, extrinsecus, ⁊ medius" (beside lines 1–5); „Locus a substantia." (beside "¶Iterdū vero argumentū ducitur…")

nationem & similitudinem: & quia quodammodo ipsa nominis inter-
pretatio videtur includi in nomine ad eum modum quo substantia
rei intra ipsam includitur ¶ Locus autem a concomitantibus substã-
tiam dicitur, quando non sumitur quidem argumentum ab ipsa rei de
qua queritur substantia, sed ab aliquo quod substantiam concomita-
tur. Et pote a partibus eius, siue essentialibus siue integralibus, que
non sunt tota ipsa rei substantia: vel ab accidentibus aliquibus rem
concomitantibus, cuiusmodi sunt generatio, corruptio, vsus, & com-
muniter accidentia, vel que aliquo modo intrinseca sunt & vicina, siue
spectantia ad esse rei, vt sunt cause, materialis, formalis, efficiens, fina-
lis, locus item & tempus. Ac proinde ab his omnibus cum argumen-
ta sumuntur, ex locis dicuntur erui, qui a concomitantibus substantiã
nominantur. Quot autem sint & qui loci intrinseci, extrinseci, & medii,
in consequentibus, suo ordine aperiemus.

Locus a concomitantibus substãtiam.

Caput iii.

¶ De loco a finitione.

Locus a definitione.

Facta generali locorum diuisione, restat de vnoquoque sigilla-
tim pertractare, atque ex singulis quomodo argumenta ducen-
tur, commodis exemplis ostendere. Quam consideratioñe ingredien-
tibus, primus se offert locus a definitione, qui vnus proprie locus a
substantia meretur appellari. Definitur autẽ sic, Locus a definitione
est, habitudo definitionis ad definitũ. ¶ In qua definitione manifestũ
est, per locum intelligi ipsam habitudinem que est inter definitionem
& terminũ qui definitur, tanquã inter terminum inferentẽ & terminũ
illatum: ex cuius habitudines vi, argumenta secundũ hunc locũ sumun
tur: que quidẽ habitudo signatur hac oratione, locus a definitione ad
definitum. Atque ad hunc modum in sequentibus licebit singulas lo-
ci species definire. ¶ Et (exempli gracia) locus a toto est habitudo to
tius ad partes, locus a causa, est habitudo cause ad effectum: atque ite
in ceteris. Definitio autem sic solet describi Definitio est oratio indi
cans quid est esse rei, per essentialia. Hoc est, que monstrat siue decla-
rat quidnam sit res illa que proponitur, idque per substantialia siue es
sentialia vt sunt genus & differentia: que sola dicuntur rei, essentialia,
suntq; tota ipsius essentia. Genus enim & differentia (vt ex predicabi
libus patet) tota sunt speciei essentia. Ut animal rationale, est definitio
hominis: corpus animatum sensibile, est definitio animalis: substãtia
corporea, est definitio corporis: substantia incorporea, spiritus: habi-
tus bonus, virtutis: habitus malus, vitii. ¶ Ab hoc autem loco fiũt ar
gumẽta quatuor modis, nimirũ affirmatiue duobus, & negatiue item
duobus. Primo affirmatiue ex parte subiecti. Sit questio, Num om-
nis homo sit eterne beatitudinis capax? ita terminabitur questio Om
ne rationale animal est eterne beatitudinis capax: igitur omnis homo
est eiusmodi. Sit questio, Num virtus sit expetẽda, & vitiũ fugiendũ?
sic terminabitur. Habitus bonus semper est expetendus, igitur & vir-
tus. Habitus autẽ malus semper fugiẽdus, igitur & vitiũ. Maxima ha-
rũ argumẽtationum cõfirmatiua hec est, Quicquid predicatur de defi

Definitio quid sit.

nitione, predicatur item de definito. ¶ Secundo affirmatiue fit argumentatio, ex parte predicati. Sit questio, Num concha sit animal? (quod dubium videri potest, ex eo quod nõ ita multis sensibus vigere conspiciatur vt cetera animalia, nec similem habere motum) Ad hanc questionem terminandam sic argumentabimur, Concha est corpus animatũ sensibile (habet enim sensum tactus, quod monstrat experientia) igitur est animal. Sit questio, Num humilitas sit virtus? ita terminabitur. Humilitas est habitus bonus, igitur est virtus: superbia vero est habitus malus, igitur vitiũ. Maxima huiusmodi argumẽtationũ roboratiua, hec est. De quocũque predicatur dĩfinitio de eodem ⁊ definitum. ¶ Negatiue item diximus duobus modis fieri argumentationem. Primo, Ex parte subiecti. Sit questio, Num vllum brutorum sit capax discipline? ita terminabitur, Nullũ animal irrationale est capax discipline, igitur nullum brutum. Sit rursum questio, Num vlla virtus vilescere faciat habentẽ, aut vllum vitiũ exornet habentẽ? ita terminabitur, Nullus habitus bonus potest vilẽ reddere possessorem, nullus item habitus malus exornare, igitur nulla virtus potest vilificare habentẽ, ⁊ nullum vitium exornare. Maxima vnde sumuntur hec argumenta, est. Quicquid negatur de definitione, ⁊ de definito negatur. Ex parte autẽ predicati sic argumentamur. Sit questio Num simia sit homo? ita terminatur, Simia non est animal rationale, igitur non est homo. Sit questio. Num scientia sit virtus? ita terminatur, Scientia non est habitus bonus, igitur non est virtus. Queratur de paupertate, num ipsa sit vitium? dicimus non esse, quia ipsa non est habitus malus. Maxima vnde huiusmodi argumentationes robur accipiunt, hec est, De quocunque negatur definitio ⁊ definitum. ¶ Possent tamen quatuor he maxime in duas istas concludi, Cum quo conuenit definitio: cũ illo ⁊ definitum cõueniet. Cum quo non conuenit definitio, cum illo nec definitum conueniet. Due siquidem priores in prima includuntur, posteriores due in secunda.

Caput.iiii.

¶ De loco a definito ad definitionem.

Quemadmodum autem nunc a definitione ad definitum processum est, ita conuerso ordine procedere licebit a definito ad definitionem: appellabiturque locus a definito. Tot autẽ modis argmẽtari hinc licebit, quot modis supra in loco a definitione assignauim⁹. Et quidẽ interdum probatiue satis erũt he argumẽtationes, cũ videlicet aliquid notius cõuenit definito quã definitioni, aut cũ notius alicui cõuenit definitũ quam definitio. Ut si quis dubitet, nũ morio (cui nihil inest actualis vsus ratiõis) animal sit rationale, sic terminabitur questio. Morio est homo, est igit animal rationale. Antecedens enim est notissime veritatis, ac ꝓinde cõseqñẽs recte ꝓbat quod alicui posset dubiũ videri, ex eo quod ratione nõ videantur vti moriones. Rursũ, si quis forsitã de elephãto aut simia dubitauerit, nũ-

sint animalia rationalia, eo quod videantur aliquo modo ratione vti in quibusdam, quibus admodum appropinquant modo agendi hominum, ita terminabitur questio, Elephantus & simia non est homo, neque igitur animal rationale. Predictarum autē argumentationū hę sunt maximę, De quocunque predicatur definitum, de eodē & definitio, De quocunque negatur definitum, de eodem & definitio. ¶ Rursum sit questio. Num aliquod inueniri possit rationale animal, quod nunquā vtatur ratione: ita terminabitur, Plerique homines nunquā ratione vtuntur, igitur quędam animalia rationalia nunquam vtuntur ratione. Sit questio, Num aliqua animalia irrationalia possint doceri: sic terminabitur, Quędā bruta possunt doceri, vt canes & elephāti, & alia pleraque, igitur quędā irrationalia animalia doceri possunt. Maxime, Quicquid predicatur de definito, predicatur & de definitione. Quicquid negatur de definito, negatur & de definitione. ¶ Est autē generaliter hoc sciendū quod proprię passiones notius & clarius conueniunt ipsi definitioni quam definito, eo quod definitio explicet substantiam siue essentiā, ex qua proprietas naturaliter effluit. Ob hoc, dum propriū ostēditur inesse definito per definitionem, probatiua est argumentatio. Cum vero proprium ostenditur inesse definitioni per definitum, non probatiua erit. At vero accidentia, potissimum singularia siue peculiaria notius conueniunt definito, quam definitioni eo quod ab essentia quam explicat definitio nō effluant, sed rei conueniunt potius ratione singularitatis vel materię. Ob hoc, dum accidens aliquot monstramus conuenire definitioni ex definito, probatiue satis proceditur: dum autem econtrario, non probatiue.

¶ Contra locum à definitione ad diffinitum arguitur sic.

Argumen. primū. ¶ Primo, Locus à diffinitione ad diffinitū est termini per quos vna maxima differt ab alia, ergo non est habitudo.

Argum. ii. ¶ Secundo sic. Animal rationale est quid cōplexū, ergo homo. Tenet consequētia à diffinitione ad diffinitum, sed consequēs est falsum, & antecedens verum, ergo modus arguendi nullus.

Argu. iii. ¶ Tertio, Maximæ locorum à diffinitione ad diffinitū & ecōtra componuntur ex eisdem terminis, videlicet, animal rationale, ergo homo. Homo, ergo animal rationale, ergo non differunt inter se.

Ad primū. ¶ Ad primum respondetur sicut responsum est superius, vel aliter, quòd talis locus est termini materialiter & fundamentaliter, sed non formaliter, vel sic nō est habitudo, sed locus sumptus ab habitudine, ratione cuius tenet consequentia.

Ad ii. ¶ Ad secundum dico, quòd committitur fallacia figuræ dictionis, cū animal rationale supponat materialiter in antecedēte

& homo

& homo personaliter in consequente. Item committitur fallacia accidentis, vt patet intuenti.

¶ Ad tertium respondetur, quod maxime differunt, quia semper debet intelligi à termino inferente ad terminum illatũ, vt à diffinitione ad diffinitum: vt Animal rationale currit, ergo homo currit. Vel à diffinito ad diffinitionẽ, vt, Homo est capax disciplinę, ergo animal rationale est capax disciplinæ.

Caput. v.

¶ De locis a descriptione, ꝛ nominis interpretatione.

Descriptio est oratio indicans esse rei per accidentalia, id est per propria, vel accidentia, quibus a ceteris discerni possit, vt animal risibile, est descriptio hominis. Animal rudibile, asini. Habitus laudabilis, descriptio est virtutis, habitus vituperabilis vitii. Ex accidentibus, Ut animal habens liberum actuum suorum arbitrium, est descriptio hominis. Illud vero neutiquam prętereundum est, quod admonet Rodolphus Agricola, ꝛ ante eum Boetius propter verarum definitionum maximam penuriam, plerũque loco definitionũ dari descriptiones. Cum enim tam imbecille sit humanum ingenium vt vix vllarum differentiarum pręter vnam rationale aut alias pauculas possit habere notitiam, fit vt neque veras definitiones, quę ex vero genere ꝛ vera differentia debent componi, pręter vnam, aut alterã habeat. Exemplo sunt philosophorum definitiones, quę fere omnes nil aliud quam descriptiones sunt, ex accidentibus rerũ conflatę. ¶ Parũ autem refert quęrenti verum fructum horum locorum, si non semper verissimum genus ꝛ verum propriũ habeat. Sufficit enim, horũ loco aliquid eis quã fieri potest, vicinũ inuenire. Quod si verũ propriũ inueniri facile non potest, ex multis accidentibus in vnum conflatis, longiori verborũ ambitu, descriptionẽ licebit cõflare. Ut verbi gratia, asinus vero genere ꝛ vero pprio sic potest breuissime describi, Asinus est animal rudere natum siue rudibile. Per accidentia vero, si eũ velis describere, inuenies in asino: solidos pedes, numero quatuor, aures longas, ꝛ foecunditatem partus. Quibus in vnum collectis accidentibus, ita licebit asinũ describere, Asinus est animal quadrupes solidis pedibus, aur. tum, ꝛ foecũdum: Ad eundem modum licebit singulis naturis rerum diligenter inuestigatis, siue per proprias passiones, siue per accidentia propria quamlibet rem depingẽdo describere. Quam differentiam, ipsa quoque nomina definitio ꝛ descriptio per se indicant. Est enim definire, rem tota sua essentia finire, ꝛ velut terminare. Describere vero solam de formationem crassam ꝛ figuralem delineationem importat. Quia tamen (vt dictum est) rarę admodum sunt verę definitiones, cogimur plerumque descriptionibus huiusmodi accidẽtalib⁹ illarũ loco vti. Propter quod, Cicero ꝛ The

Quid sit descriptio

mistius hos duos locos in vnum concluserunt. Distinxerunt vero Boetius, & post eum Agricola, cæterique Boetio posteriores.

¶Contra locum à descriptione ad descriptum.

Argumentum primū ¶Primo, Nulla descriptio habet descriptionem, ergo descriptio nō diffinitur. Sequela videtur bona, & antecedens pbo, Quia si vna descriptio, ergo & alia, deffiniatur, ergo prima per secundam, & secunda per tertiam, & sic de cæteris, esset pcessus in infinitum, quod est inconueniens.

Argu. ii. ¶Secundo. Non est arguendum ab ignoto ad notū, sed arguere à descriptione ad descriptum est arguere ab ignoto ad notū quod sic probo. Bene sequitur, animal risibile est capax disciplinæ, ergo homo est capax disciplinæ, vltra, Homo est capax disciplinæ, ergo animal rationale est capax disciplinæ, ergo de primo ad vltimum, animal risibile est capax disciplinæ, ergo animal rationale est capax disciplinę, sed ista est notior omnibus præcedentibus, ergo intentum.

Argu. iii. ¶Tertio sic. Non ponitur locus à descriptione ad deffinitionē nec ecōtra, ergo insufficiēter determinatur de talibus locis. Antecedens est notū, & pbo sequelā, quia mutuo se inferūt, bene enī sequitur, animal risibile currit, ergo aīal rationale currit.

Ad primū ¶Ad primum respondetur distinguendo antecedens, quia vel descriptio capitur secundæ intentionaliter pro secunda intentione attributa huic termino descriptio, vel capitur primæ intentionaliter pro tali termino complexo, animal risibile. Et pprima parte nego antecedens, quòd descriptio non habeat descriptionem, per quam describatur, sed pro secunda parte concedo quòd illud complexum orationale non diffinitur.

Ad ii. ¶Ad secundum respondetur quòd aliquid potest esse notum dupliciter, à priori, & à posteriori: à priori concedo quòd illa est notior, animal rationale est capax disciplinæ, sed à posteriori dico illam esse notiorem homo est capax disciplinæ, & animal risibile est capax disciplinæ, quia accidentia per se, & accidentia per accidens magnam partem conferunt ad cognoscēdum quid quid est. Item secundo dico, quòd aliquid esse magis notum, potest esse vel in se, vel quo ad respondētem, & sic ista propositio, animal rationale est capax disciplinę, est magis

nota in se, sed ista, Animal risibile est capax disciplinæ, vel ista Homo est capax disciplinæ, potest esse magis nota quo ad respondentem, & sic non proceditur nisi ex magis noto, ad minus notum quod sufficit quo ad locum Dialecticum.

¶ Ad tertium dico primò, quòd descriptio nō refertur ad diffinitionem sed ad descriptum. Secundo dico quod vnus locus potest intelligi per alium cum se habeant conuertibiliter, sed hoc est multum impropriè. Ad iii.

¶ Nominis vero interpretationem nemo authorum neglexit, quippe cuius est ad plurima vsus accommodatissimus, iis præsertim qui vtranque linguam, aut etiam plures probe callēt: id quod aparte, M. Tullius testatur, dicens, notatione (sic enim ille appellat interpretationem) multa in disputando elici ex verbo. Sit exempli gratia, questio num dialectice sit impendenda opera: a nominis interpretatione ita licet argumentari. Dialectica ars est differendi, huic studendū nemo dubitat, est igitur studendum dialectice, & ita de aliis sciētiarum nominibus, Grammatice, Rethorice, Arithmetice, Geometrice, Astronomie, quarum sunt he interpretationes. Grāmatica est ars literaria. Rhetorica, ars recte eloquendi. Arithmetica, ars recte supputandi. Geometria, ars terras mensurandi. Astronomia, ars astrorum normam tradens. ¶ Est autem interpretatio, non rei definitio: sed nominis etymologica explanatio siue explicatio, quam logici definitionem nominis vocant, atque ita definiunt. Interpretatio est nominis minus noti per aliud magis notum explicatio. In hoc enim differt a definitione & descriptione: quod he rem ipsam, siue per essentialia, siue per accidentalia determinant: illa vero tantum nominis ratione & significationē declarat, Greci quod nos interpretationē dicimus, Boetiū insequentes, etymologiam appellant, quod Cicero verbum ex verbo interpretatur veriloquium, Siquidem etimon Greci significat verum logos orationem. Cicero autem in libris Topicis fugere se dicēs vocabuli huius nouitatem, quod ipse non satis aptum iudicabat, notationem maluit dicere, quod verba sint rerum note. Aristotelem vero rei notam dicit symbolum appellasse. ¶ Fiūt autem ab his duobus locis argumentationes ita per omnem modū, vt supra ostēdimus, in loco a definitione, affirmatiue scilicet atque negatiue, subiiciēdo & prædicando. A descriptione quidē sic argumentabimur, Nullus habitus laudabilis vilescere facit habentē, nulla igitur virtus. Cōtra vero, quilibet habitus laudabilis exornat possessorem, igitur quelibet virtus id facit. Māsuetudo est habitus laudabilis, est igitur virtus. Sciētia nō est habitus laudabilis (scientia enim neminem per se laudabilē efficit) non est igitur virtus. Maxime harum argumētationū roboratiue, he sunt. Quicquid prædicatur de descriptione, prædicatur itē de descripto, De quocunque prædicatur descriptio, de eodem & descriptum. De nominis interpretatione

Quicquid negatur de descriptione, & de descripto negatur. De quocunque negatur descriptio, descriptum de eodem negabitur. ¶ Ab interpretatione quoque tot modis argumentari possumus. Sic questio, Num Jesus peccatores debuit suscipere, atque cum eis conversari? ita terminabitur, Salvatorem atque sanatorem animarum decebat peccatores suscipere, ergo Jesum id decebat. Queratur, Num adversus Christum Judei iuste blasphemias coniiciebant? respondebimus, non iuste id factum ab illis, quoniam in unctum domini nequaquam phas erat conviciasceré. Ita ostendimus evangelio credendum esse, atque evangelizantibus esse administranda necessaria, quoniam bono nuncio celestis regni toto corde erat acquiescendum, & eiusmodi nuncii gratissimis annunciatoribus omni iure erant subministranda corporis necessaria. Ita ostendimus monacho non convenire discursum supervacaneum per vicos & civitates, quoniam solitario id minime convenit. Sic verò philosophum docemus non debere avarum esse aut ambitiosum, quoniam verus amator sapientie huiusmodi esse non debet. Ita clericum ostendimus non debere se ingerere secularibus negotiis: quoniam in sortem dei segregatum id minime decet. Maxime vero harum argumentationum loci ex predictis relinquuntur note. Cum quocunque enim convenit interpretatio, cum eodem & interpretatum: & cum quocunque illa non convenit nec istud conveniet, ¶ Quomodo autem dicimus locum signari posse a definito, distinctum a loco qui dicitur a definitione, sic & alii duo loci signari possunt, a descripto & interpretato. Ex quibus, tamet si non multum accipi posse videantur argumenta in se probativa, si cui tamen contingat descriptum notius esse descriptione: aut interpretatum interpretatione, huic probativum erit eiusmodi argumentum, quod ita a descripto vel interpretato sumetur. Sub his autem tribus locis tres alii comprehenduntur. Sub loco enim a definitione comprehenditur locus a differentia, propterea quod differentia sit bona pars definitionis. Ut, Concha est sensibilis, igitur est animal. Asinus non est rationalis: igitur nec homo. Maxime. Cum quocunque convenit differentia, cum eodem convenit & id cuius est differentia. Et a quocunque removetur differentia, ab eodem removetur & id cuius est differentia. ¶ Sub loco a descriptione, continetur locus a proprio vel ab aliquo obtinente locum veri proprii, eo quod ex huiusmodi conficiatur descriptio. Ut, Egestas non est per se laudabilis, non est igitur virtus, Modestia est per se laudabilis, igitur est virtus. Maxime, De quocunque negatur proprium, de eodem negatur & id cuius est proprium. Et de quocunque predicatur proprium, etiam id cuius est proprium ¶ Sub loco ab interpretatione, continetur locus a synonymis. Ut, hoc est ensis, igitur est glaudius. Maxima, De quocunque predicatur unum synonymorum, de eodem & reliquum.

¶ Contra locum à nominis interpretatione ad interpretatum.

Argumentum primum. ¶ Primo, Iustus est amator sapientiæ, ergo est philophus. An

tecedens videtur verum & consequens falsum, cum aliquis iu stus possit amare & desiderare sapientiam, Tamen non sequitur q̄ sit philosophus.

¶ Secundo. Non solum nomina, sed etiā verba exponūtur per dictionē, ergo malè dicitur q̄ interpretatio est expositio vnius nominis minus noti per aliud nomen magis notum. Argum. ij.

¶ Tertio. Interpretatio non est locus à substantia, ergo malè ponitur inter locos à substantia. Antecedēs probatur authoritate Boetii, ait enim, Locus à substantia in sola diffinitione cōsistit, sed interpretatio non est diffinitio, ergo locus ab interpretatione non est locus à substantia. Argum. iij.

¶ Ad primum respondetur q̄ iustus desiderat sapientiam quā non habet, et philosophus amat sapientiam quam habet, est enim desiderium non habiti, et amor habiti, et sic negatur q̄ iustus amet sapientiam, sed bene desiderat eam. Ad pri.

¶ Ad secundū dico, q̄ nomen capitur ibi largè, pro eo quod significat conceptum mentis, vel est nota mentis, siue sit verbum, siue dictio. Ad. ij.

¶ Ad tertiū respondetur quòd Boetius cœpit ibi diffinitionē largè, tam pro diffinitione rei, quàm pro diffinitione nominis est enim vt in plurimum interpretatio, diffinitio nominis, nō rei, et aliquando nominis et rei simul, vt patet intuenti naturam diffinitionis. Ad. iij.

Caput. vi.

¶ De loco a toto vniuersali.

Inter locos a concomitantibus substantiam, primus est locus a toto: qui diuiditur in quatuor locos, in locum videlicet a toto vniuersali, a toto integrali, a toto in quantitate, & a toto in modo. Quibus adduntur loci a toto in loco, & a toto in tempore. Totum vniuersale idem est quod superius vel vniuersale, vt quodlibet genus respectu suarum specierum, & quelibet species respectu suorum indiuiduorum, Ut animal respectu hominis, homo respectu Joannis. Dicitur autem totum vniuersale, quod propter suam communitatem suas species in se includat, quemadmodum totum suas partes: ex quo, dum fit diuisio, velut ex toto partes eruūtur. Partes autem subiectiuę nominantur, quia subiiciuntur toti secundum ordinatā prędicationem & prędicamentalem disputationē vel coordinationem. ¶ Fit Totū vniuersale.

Modi argu- autem argumentatio ex hoc loco, tam affirmatiue quam negatiue, ex
mētandi. parte subiecti atque ex parte pṛdicati. Neque magnifaciendum est
quod quidam dicunt, a toto vniuersali affirmatiue nō valere argumē
tationem, nisi ponatur constantia partis ad quam est procedendum.
Item a parte ad totum non valere negatiue, nisi constantia partis po
sita. Siquidem constātia (quā vocant) in huiusmodi argumentationi-
bus subintelligitur, tacite que semper includitur, etiā si nō exprima-
tur in propositione illa quę tenetur in mente dū enthymema cōficitur.
Cōstantiā autē poni dicūt alicuius, quādo ipsum esse astruūt. Ut si ta-
lē cōficiā argumētationem, Omne animal sentit, homo est, igitur ho
mo sentit. Hic in secunda propositione dicūt cōstātiā poni hominis
Uerum illam satis putamus intelligi in ea quę in mente tenetur, ho-
mo est animal, aut cōclusionē sub cōditione intelligimꝰ. Igitur homo
si est, sentit. ¶ Faciamus igitur a toto vniuersali argumētationes affir
matiue ex parte subiecti, hoc modo. Sit quęstio, Num iustitia sit res
vtilis & expetēda? dicemus ita habere: quoniā omnis virtꝰ est res vti
lis & expetēda. Ualet & negatiue. Ut si quęratur, Nū furtū sit vtile? ita
licebit ex hoc loco argumētari, Nullū vitiū est vtile, furtū est vitium,
igitur furtū non est vtile. Maximę horū argumentorū, sunt istę, Cum
quo conuenit genus, cum eodem conuenit & species. Cū quo non cō
uenit genus, nec etiā species. Similiter ex parte pṛdicati licebit ar-
gumētari, ad hunc modū, Hoc animal habet omnē sensum, igitur ha-
bet olfactum. Hic homo omnem habet virtutem, igitur & pietatem.
Negatiue, hoc corpus non habet sensum, igitur non habet olfactum.
¶ Fit quoque totidem modis argumentatio ex specie ad genus, siue
a parte subiectiua ad totum vniuersale. Affirmatiue quidē subiicien-
do, Concha habet vel vnicū vel duos tantum sensus, igitur aliquod
animal vnicū sensum vel duos tantū habet. Ueritas apud improbos
odiū parit, igitur quędam virtus apud improbos odium parit, nega
tiue subiiciēdo, ita argumētamur, Concha non habet omnes sensus,
igit aliquod animal nō habet oēs sensus. Affirmatiue pṛdicādo. Ha
bet tactū, igitur habet sensum. Negatiue pṛdicādo, Nō habet visum
igitur non omnem sensum habet, vel aliquem sensum non habet. Non
habet charitatē, non igitur omnem habet virtutē. Maximę, Cū quo
cōuenit pars subiectiua, cū eodē & totū, Cū quo nō cōuenit pars, nec
totū. ¶ Hoc autē est in huiusmodi argumētationibus obseruādū, vt
cū a toto vniuersali proceditur, semper ipsum accipiatur vniuersali
ter. Nam ab ipso tantum particulariter sumpto, non valet ad partem
argumentatio. Ut nō sequitur, Aliquod animal habet omnem sensum
igitur concha habet omnē sensum. Nisi forte in cōsequēte omnes par
tes accipias disiunctiue, hoc modo, Aliquod animal habet omnē sen
sum, igitur homo vel brutum habet omnem sensum. Contra vero,
cum a parte ad totum proceditur, ad totum particulariter sumptum
procedi debet. Non enim sequitur, Concha tantum vnum sensum
habet, vel duos, igitur omne animal tātum vnum vel duos sensus ha
bet. Neque si auis alas habet, consequens est, omne animal habere a-
las. Ab omnibus tamē partibus copulatiue sumptis, per modū indu
ctionis valebit argumentatio, ¶ Et quoniam circa singulos pene lo-

eos solent plures adduci malę argumentationes, potissimum enthymematicę, aliquo defectu laborantes, adversus omnes huiusmodi generalia potest una responsio adhiberi, dicendo eatenus valere argumentationē enthymematicā ex his locis desumptā, quatenus ex propositione explicita cum ea quę tenetur in mēte, bonus potest confici syllogismus, vel cathegoricus, vel ut minimū hypotheticus, secūdū modū aliquem rite dispositus. Ubi vero id fieri poterit, non valebit enthymema. Exempli gratia, hęc argumentatio sumpta a specie non valet, Avis volat, igitur omne animal volat, quoniā suppleta propositione quę subintelligitur, hic habetur syllogismus, Avis volat, & avis vel omnis avis est animal, igitur omne animal volat. Qui syllogismus quoniam non valet (In tertia enim figura universaliter concluditur, & proceditur a termino in antecedente non posito universaliter, ad eundem in conclusione universaliter positum) idcirco nec enthymema prius factum valebat. Similiter istud enthymema, Animal currit, igitur homo currit, non valet: quia syllogismus ad quem reducitur non valet, iste videlicet, Animal currit, & homo vel omnis homo est animal, igitur homo currit. Maiore enim particulari in prima figura, nihil sequitur. Item non sequitur, Tātū animal est homo, igitur tantum animal est substantia: eo quod iste syllogismus est malus, Omnis homo est substantia, tantum animal est homo, igitur tantū animal est substantia. Est enim in prima figura minor virtualiter negativa & proceditur a termino substantia in antecedente non posito universaliter ad eundem terminum in conclusione universaliter positum. Nā signum tantum, hanc habet virtutem, ut terminum mediate sequentem universaliter accipi cogat termino immediate sequenti, non ita posito. Ad hanc formam examinabitur quęlibet argumentatio sophistica quę in debita forma peccabit.

Contra locum à toto vniuersali ad partem subiectiuam arguitur sic.

Primo Ens est, ergo deus est: optimè sequitur, & tamen arguitur à toto vniuersale affirmatiuè, ergo malè dicitur quòd non tenet affirmatiuè. Argum. I.

Secundo authoritate Boetii. Si virtus est vtilis, iustitia est vtilis, tamen arguitur à toto vniuersali ad suam partem affirmatiuè, ergo intentum. Argum. II.

Confirmatur. Si animal est sensibile, & homo est sensibilis, & Sortes est sensibilis. Confir.

Tertiò. Omne totū est in suis singularibus, sed vniuersale est totū, ergo est in suis singularibus essentialiter, et sic sequitur bene substantia est, ergo lapis est. Ar. III.

Argu. iiii. ¶ Quarto. Sequela à toto negatiuè non tenet, ergo maledictū est quód arguẽdo negatiuè à toto vniuersali ad suam partẽ est bona consequentia. Sequela est bona, & antecedens probo. Nō sequitur animal nō currit, ergo homo non currit, posito casu quòd asinus non currat, & aliquis homo etiam non currat, tā antecedens, quam consequens sunt vera, ergo intẽtum.

Argu. v. ¶ Quinto, Dictū est superius, quòd à parte ad totum nō valet consequentia, hoc est falsum, quod sic probo, Sortes non currit, ergo homo non currit.

Ad primū. ¶ Ad primum respondetur, primò quòd non arguitur ab vniuersali, sed ab effectu ad suam causam efficientem, est enim ens effectus dei, tam ratione creationis quam conseruationis & sic bene sequitur, Si ens creatum est, ergo deus est. Vel sic logicaliter cōcedenda est consequentia, tū quia consequens est necessarium simpliciter, tum quia antecedẽs est cōtingens: ex cōtingẽti nempe, optimè sequitur necessarium licet nō econtra.

Ad ii. ¶ Ad secundū respōdetur concedendo consequentiam, valet enim ab vniuersali indistributo ad suā partẽ subiectiuā in prædicatis de per se, sed non de per accidens.

Confirma. Et similiter dicendū est ad cōfirmationẽ, hoc patet, quia licet illa sit bona cōsequẽtia, ista tamen est mala, animal currit, ergo homo currit

Ad iii. ¶ Ad tertium respondetur quòd licet totū sit in suis singularibus non tamen in non existentibus, & sic consequẽtia est nulla, nisi ponatur constantia partis sic arguendo, Substantia est, & lapis est, ergo substantia est in lapide.

Ad iiii. & v. ¶ Ad quartū respōdetur negando antecedens, & ad probationem dico, quod non arguitur negatiuè, sed affirmatiuè, vnde prima consequentia præsupponit illam, Animal est & homo est, sed animal non currit, ergo homo non currit. Similiter secūda, Homo est, & animal est, sed hō non currit, ergo animal nō currit. Et sic respondetur etiam ad quintum argumentum.

Caput. vii.

¶ De loco a toto integrali.

SEcundus locus a toto est, locus a toto integrali. Totum integrale est, quod resultat ex partibus quātitatẽ habẽtibus. Pars integralis est, quę cum aliis partibus reddit quantitatẽ totius. Partes integrales illę sunt, quę certo ordine adinuicẽ coniūctę cōstituūt magnitudinẽ seu quantitatẽ totius. Ut ex capite cōiuncto collo, & illo

cum humeris, ꝛ his rursum cū brachiis ꝛ ventre, atque ita deinceps,
integratur hominis quantitas. Quemadmodum ex cōiunctione fun
damēti cum parietibus, ꝛ parietū cū tecto, integratur aut magna, aut
parua, aut ampla, aut stricta domꝰ: ꝛ itē in aliis. ¶ Inter has autem par
tes integrales, quędam principales ꝛ pręcipuę nominantur, sine qui-
bus totum nequaquam potest subsistere. Ut hominis pręcipuę partes
sunt, caput, cor, intestina, ꝛ alię eiusmodi partes. Cęterum manus ꝛ pe
des sunt partes minus principales, quia sine ipsis nihil prohibet rē
subsistere. Integrales tamē partes sunt, quia ex ipsis est toti sua inte-
gritas. Nō enim dicitur homo integer, perfectus, ꝛ omnibꝰ suis par-
tibus absolutus, si aliquo decentiū membrorū sit mutilatus: quemad-
modū domus imperfecta dicetur, si nullam fenestram habeat, aut focū
non habeat: aut aliquid eorū quę solent domus habere. Si vero tectū
non habeat, ne domus quidem nomine appellabitur: adeo est tectum
pręcipua pars domus. Cum ergo dicimus in proposito, argumenta-
tionem fieri a toto integrali ad partem, vel a parte ad totum non lo-
quimur nisi de parte principali. ¶ Fiunt autem argumentationes a to
to ad singulas partes, tantū affirmatiue. Ut si hoc est domus, igitur ꝛ
tectum habet ꝛ parietes ꝛ fundamētum. Si homo est, igitur caput ha
bet ꝛ collum ꝛ ventrem, cor ꝛ intestina cęteraque membra vitę necessa
ria. Maxima, Posito toto integrali, poni necesse est, ꝛ quālibet partē
eius. ¶ Ad partes autē minus principales, nō valet argumētatio, Do
mus est, igitur focū habet, aut fenestras: aut alia huiusmodi nō simpli-
citer necessaria ad simplicē existētiam domus. Nec sequitur, Homo est
igitur duas aures habet, aut quinque digitos, aut duas manus. Uerū-
tamen a perfectione totius, posset procedi etiam ad minus principa-
les partes, hoc modo. Si hęc omnino perfecta est domus, igitur ꝛ fe
nestras ꝛ focum habet ꝛ penu atque cubiculū. Si homo omnino in-
teger ꝛ perfectus est: igitur duas aures habet, ꝛ quinque digitos in sin
gulis manibus. Nam si aliquo horum careat, mutilatus aut truncatus
homo dicetur: ꝛ domus aliquo eorum quę in perfectis domibus inue-
niri solent carens, recte imperfecta dicetur. ¶ Negatiue autē non va-
let argumentatio a toto ad singulas partes. Domus nō est, igitur nō
habet fundamentum. Sępe enim domo diruta manent fundamenta ꝛ
parietes aliqui. Et tugurium parietes quidē habet ꝛ tectum, cum non
sit domus, ob fundamenti defectum. Si tamē ad omnes partes simul
sumptas, sub desiūctione procedatur, ita valebit. Si enim domus nō
est igitur vel fundamentum vel tectum vel parietes non habet. Si ho-
mo non est, igitur vel caput vel collum vel cor nō habet. Maxima, Si
totum non est, aliquam eius partem non esse necesse est. ¶ De loco ve-
ro qui est a parte integrante ad totum integrū, cōtrario modo est de-
terminandum. Ualet enim argumentatio a negatione singularum par
tiū, ad negationem totius. Ut si idolum cor non habeat, nō erit homo
si tugurium fundamentum non habet, domus nō est: si dirutū ędificiū
tectum non habet: non est domus. Maxima. Ablata parte aliqua prin
cipali, totū esse non potest, In partibus autem minus principalibus
non valet argumentatio, nisi arguatur ad perfectionē totius. Si enim

hoc ędificiū focum non habet, aut fenestram, aut cubiculū, domus per
fecta non est. ¶ Affirmatiue a singulis partibus nequaquā valet argu
mentatio. Non enim sequitur Habet fundamentū, igitur est domus,
aut tectū habet, igitur est domus. Ab omnibus tamen simul ⁊ coniun-
ctim sumptis, valebit. Si enim fundamentū parietes ⁊ tectū habet, est
domus. Maxima. Positis omnib⁹ partibus, necessario ponitur totū.
¶ Est autē huius loci a toto integro ad partē, atque alterius itē qui a
parte sumitur ad totū magna vtilitas, iis qui in eo bene exercitati fue
rint: cum videlicet considerantes quę ⁊ quanta ad integritatem vniuſ-
cuiusque rei pertineāt: ex eorū cōsideratione de re ipsa quę ex illis in-
tegratur iudicamus: vel ē contrario de partibus ex ipso toto. Ad hūc
modū, Boetius colligit res humanas ꝓuidentia regi, ex cōsideratio-
ne totius. Mundus, inquit, ꝓuidētia regitur, ⁊ res humanę sunt pars
mundi, igitur res humanę ꝓuidentia reguntur. Rursum, ex cōsidera-
tione omniū partiū ostēdit medicinam esse vtilē. Morbos, inquit de-
pelli, salutē seruari, mederiq; vulnerib⁹, vtile est, igitur medicina est
vtilis. Ex his enim cōstat ⁊ integratur medicina. ¶ Sic arguimus ali-
quē esse legis impletorē, quoniā deū diligit ⁊ ꝓximū. Ex his enī duo-
bus integratur impletio legis: quoniam (iuxta verbū domini) in his
duobus tota lex pendet, ⁊ Prophetę. Cōtra vero a negatione vnius
partis, ostendimus aliquē non esse impletorē legis: quoniā vel Deū
non diligit, vel proximū. Sic pietatē habere quempiam colligimus, si
⁊ deū, ⁊ parētes ⁊ pręceptores, maiores item atque minores, affectu
debito colat. Ex his enim integratur vera pietas. Si autē horum om
nium vel vnum defuerit, colligimus nō habere illum pietatē. Ita col-
ligimus iustum quempiā esse, qui ⁊ deo reddit quę sua sunt, ⁊ homini
bus itē vnicuique quę sua sunt. Alterū autem si desit, iustitiam quoque
negamus illi adesse. Sic liberalem probamus, qui ⁊ illic dat vbi dandū
ratio dictat, ⁊ vbi dandū non est, a dando abstinet. Alterum si desit, li-
beralitatem destruimus. Ita in singulis virtutibus, quantum vnaquę
que ad sui integritatē requirat, diligenter contemplandū. ¶ Similiter
⁊ in scientiis argumentari possumus, gramaticū esse, quoniam recte
dicere ⁊ recte scribere nouit: alterū si desit, grammaticū esse negamus
Dialecticum esse: si ⁊ prompte inuenire nouit ad quęstionem propo,
sitam argumenta, inuentaque disponere. Rhetorē esse, si ⁊ recte inue-
nire nouit, ⁊ disponere, ⁊ eloqui, memorari quoque ⁊ pronunciare,
atque ita in cęteris. Grammatica enim cōstat in recte loquendo, ⁊ re-
cte scribendo. Dialectica in recte inueniendo, ⁊ disponendo siue diiu
dicando inuenta. Rhetorica cōstat quinque partibus, inuentione, dis
positione, eloquutione, memoria, ⁊ pronūciatione. Ita in cęteris sciē
tiis considerandū, ex quibus fit vniuscuiusque integritas. Ex hoc quo
quē loco colligimus artē quālibet esse vtilem vel inutilē: si videlicet a-
liqua eius pars sit prohibita vel inutilis. Ut (exēpli gratia) magicam
artē ostendimus malā ⁊ illicitam esse quoniā consultatio demonum
⁊ quę cum ipsis habetur cōuentio mala est ⁊ illicita. Est enim hęc pars
magicę artis. Item gnatonicā siue assentatoriā artē damnamus: quo-
niā etiam falsum dicentibus assentitur (quod est bona pars eius) malum

est. Sic lenonū ⁊ meretricū artem damnamus, quoniam inescare adolescentes (quod est pars artis illorū) pessimū est, ita in ceteris. ¶ Vehemēter autē poterit ex hoc loco affectus cōmoueri, si ex eo accipiamus Rhetoricam eloquutionē, per explicationē singularum partium eius rei de qua loquimur, Veluti si Christi domini nostri miseriam quam in passione sentit, ita proponā, Ecce deus ⁊ homo Christus, qui singula corporis sui mēbra hominū obsequiis dedicauerat, cuius caput os guttur lingua, edocēdis ignorātibus plurimū laborauerunt, cuius aures neminem respuerūt, cuius oculi multa semper miseratione pauperes respexerunt, cuius manus plurimos sanauerūt, cuius pedes terrā docendi gratia multo labore itineris perambulauerunt, cuius genua in oratione pro nobis sępe, multum ⁊ diu terrę affixa hęserunt, cuius cor multa pro nobis solicitudine frequēter angustiatū fuit, cuius intestina omnia p̄ nobis subinde exhausta fuere laboribus, denique qui totū sese quātus quātus erat, hominū ꝯsequiis dedicauerat, ecce hic modo ab ingratissimis hominibus, a capite ad pedes vsque affligitur, ⁊ leproso assimilatur: caput corona spinea pungitur, ⁊ arūdine ceditur cerebrū ⁊ oculi vigiliis deficiunt: aures cū barba vellicātur crudeliter humeri ligno graui onerantur, manus diris stringuuntur vinculis, palmę ⁊ volę horridis perfodiuntur clauis. lingua felle vexatur ⁊ aceto, denique mēbra vniuersa flagellis cęduntur, ⁊ roseo perfusa sanguine madēt. Quis tantā non exhorrescat miseriā, tantū non execretur ingratitudinem? ¶ Sic hominis possumus vilitatē ostendere, ex singularū consideratione partiū. Quęso te quid homine secundū corpus vilius? quid capitis vertex, nisi testa quędam fictilis? quid cerebrū intus reconditum, nisi lactea quędam coagulatura? quid oculi, nisi cōgelatus humor? quid nares, nisi meatus immundę putredinis? quid aures, ⁊ ipsę suas profundentes sordes? quid denique venter ⁊ intestina omnia, denique totus ipse homo, nisi vas quoddā fictile, ⁊ saccus stercoraceus, sordib⁹ ⁊ foetore plenissimus? Quid igitur superbis, terra ⁊ cinis, impurū sterquiliniū: imo sterc⁹ ipsū ⁊ filius stercoris? Ad hūc modū licebit ⁊ singularū virtutū pręcellētiam, ex partiū ipsas integrātiū commēdatione, item ⁊ scientiarū atque artiū vtilitatē ostētare.

¶ Contra locum à toto integrali arguitur.

¶ Pri. Paries nō valet duas libras, ergo domus nō valet duas libras, tamē arguitur à parte integrali negatiuè ad suū totū, ergo malè dicitur quòd nō valet, paries nō est, ergo dom⁹ nō est — Argumentum primū

¶ Sec. Dom⁹ est, ergo fenestra est, tñ arguit à toto ad suā partē. — Argu. ii.

¶ Tertio, Propheta Ezechias est, ergo oculi eius sunt, antecedens fuit verum in aliquo tempore, tamen consequens falsum quando oculi eius eruti sunt à rege Babilonis. — Argu. iii.

¶ Ad primū respōdetur negando sequelā, non enim arguitur respectu prędicati secūdi adiacentis putà paries non est, ergo domus non est, nec respectu boni, & mali, vt paries non est. — Ad primū.

bon⁹, ergo nec domus, quod requiritur, sed respectu tertij adiacentis tenet vt in proposito.

Ad secun. z.iii. ¶ Ad secundum. Concedo consequentiam esse nullā, cum solum teneat respectu partium principalium sine quibus ipsum totum consistere non potest. Et similiter respondendum est ad tertiū, erat enim ipse Ezechias homo & viuens sine occulis

Caput, viij.

¶ De loco a toto in quantitate.

Preter hos duos, sunt alij quatuor modi totius. Inuenitur enim in quantitate quoddam totum, ₇ quędam pars. Item in modo, in loco, ₇ in tempore. Totum in quantitate est, quodlibet vniuersale vniuersaliter sumptum. id est, Quilibet terminus communis cum signo vniuersali acceptus. Nam (vt Boetius ait) cum omnia dicimus in quantitate totum dicimus. Si vero aliquid quantitatis excerpim⁹ quantitatis ponimus partē. Quia enim multitudo quantitas est, quādo per signum vniuersale significamus totā multitudinem eorum de quibus loquimur esse aut talem, aut talem, non immerito in quātitate totum nominabimus vel vniuersum. Et qui dicit, omnē hominē habere sensum, dicit vniuersam hominū quātitatem siue multitudinē habere sensum. Cum vero partē aliquā excerpimus, solū vnā aut alterā ponentes, recte in quātitate vel multitudine partem dicimus. Et cū dicitur Petrum, aut Joannem habere sensum, iā solū pars illius multitudinis prioris dicitur habere sensum. ¶ Est autem differentia inter totum vniuersale, ₇ totum in quātitate. Hec sola, quia non dicitur totū in quantitate, nisi sumatur cum signo vniuersali: totū vniuersale autē dicitur, etiā sine signo vniuersali. Propter quod, a toto vniuersali ₇ a toto in quātitate omnino eędē fiunt argumētationes. Nō enim valet (vt supra diximus) a toto vniuersali ad partē argumētatio, nisi ipsum ponatur vniuersaliter, quodcūq; fit, totū in quātitate habet. E cōuerso autē nō similiter proceditur. Nā ab vna parte subiectiua ad totū vniuersale non vniuersaliter positū, valet argumētatio. Ad totū in quātitate debet procedi ab omnibus partibus simul sumptis, ad eum modū quo supra ostendim⁹ fieri inductiones. Unde omnis inductio quomodocūq; fiat, siue ex parte subiecti, siue ex parte prędicati, ad hūc locū pertinet, qui dicitur a partib⁹ in quātitate ad totū. Quare breuitati studentes, iis quę sufficiēter ante dicta sunt repetēdis supsedem⁹

¶ Cōtra locū à toto in quantitate arguitur.

Argumē. i. ¶ Primo. Omnis homo est vnus homo, Iohanna est homo, ergo Iohāna est vn⁹ homo. Cōsequētia est in Darij, et arguitur à toto in quātitate, tamē antecedēs ē verū, & cō. eq. ē falsum.

¶ Secundo, Deus est vbiq;, ergo Deus est Romæ, vel in corde peccantis mortaliter: consequens in illo non sequitur posito q Roma sit destructa. Argu. ij.

¶ Tertio Omnis homo est totum in quantitate, ergo homo est totum in quantitate, tamen arguitur à toto in quantitate, ergo modus arguendi est insufficiens. Argum. iij

¶ Ad primum respondetur negando q non sequatur, bene enim sequitur, tamē sic ut conclusio est falsa, ita et maior, scilicet ista, Omnis homo est vnus homo. Ad primum

¶ Ad secundum respondeo q sequela est nulla, nisi ponatur constantia partis. Vel dicendum q sequitur bene: et quando dicitur, Deus est vbiq;, in ista subintelligitur Romam esse. Et ad illud de corde peccātis, dico q deus est in corde peccantis actualiter effectiuè et permissiuè: primum quo ad substractū, secundo quoad formale pcti ad quod deus nō cōcurrit effectiuè. Ad secūdū.

¶ Ad tertium dico negando sequelam, est enim fallacia figuræ dictionis mutando suppositionem materialem, in personalem, vnde omnis homo in antecedente supponit materialiter, in consequente autem personaliter. Ad tertiū.

Caput. ix.

¶ De loco a toto in modo.

IN modo etiam inuenitur totum & pars. Cum enim vocabulū nulla determinatione restrictum simpliciter, & per se profertur, in modo totum dicitur, quasi non distractum aut diuisum, aut restrictum aliquo modo, sed absque modo integrum manēs. Cum vero terminus per se prius sumptus, adiecta determinatione, per modum aliquem specialem determinatur, merito pars in modo vocatur quia per additum modum, quasi per particulam quandam, discerptū atque contractum est. Ut cum homo, dico, quasi omni modo liberū totū nominatur in modo: cum vero, homo albus, vel rudis, determinatio vel modus qui adiicitur partem efficit ¶ Fiunt autem hic argumentationes sic per omnem modum, vt supra ostendimus in loco a toto vniuersali: videlicet affirmatiue & negatiue, ex parte subiecti & ex parte prędicati; & omnino similiter fiunt maximę. Sit exempli gratia quęstio, Num rudes homines sint capaces disciplinę? sic a toto argumentamur. Omnes homines sunt capaces disciplinę, rudes autem homines etiam homines sunt, igitur & ipsi capaces sunt disciplinę Sit item. quęstio, Num malos & ingratos homines diligat deus? dicimus, ita esse, quoniam omnes simpliciter homines, vt suas facturas

diligit. Negatiue argumentamur deum malos homines non odire, quoniam nullos homines deus odit. Item colligimus deum non irascendo mutari, quoniam omnino non mouetur aut mutatur. Maxime sunt, Cũ quocũque cõuenit totũ in modo, et pars. Cũ quocũque autem non conuenit totum, nec pars. A parte vero ad totum ex opposito fiunt argumenta, sicut a parte subiecti sui ad totum vniuersale, affirmatiue scilicet, & negatiue ex parte subiecti & ex parte prędicati. Sit questio, Num anima moueatur: ita terminabitur, Anima mouetur irascendo, igitur mouetur. Angelus mutatur intelligendo atque volendo, igitur mutatur. Homines impij damnabuntur, igitur aliqui homines damnabuntur. Homines impij non saluabuntur, aliqui igitur homines non saluabuntur. Maximę patent. ¶ Est autem caute hic aduertendum, ne pro parte in modo sumatur dictum secundum quid vt philosophus appellat, hoc est, ne pro determinatione restringente, sumatur aliqua non restringens, vt pote diminuens, amplians, aut alia distrahens. Sola enim determinatio restringens, facit partem in modo Cęterum determinationes alię omnes faciunt dictum secũdũ quid & argumenta sophistica. Est autem determinatio restringens, quando terminus sine determinatione prędicatur vniuersaliter de aggregato ex determinabili & determinatione. Ut omnis homo albus est homo: omne quod mouetur irascendo, mouetur. Omne currens velociter, currit. Quando vero terminus simpliciter sumptus non vere prędicatur de toto aggregato ex determinatione & determinabili, non est pars in modo, sed dictum secundũ quid, & determinatio adiecta non est restringens, sed vel distrahens, vel diminuens, vel amplians. Exempli gratia, Homo pręteritus, non vere est homo. Nequiter humilis, non est humilis: ficte sanctus, non est sanctus. Item non omne album dentibus, simpliciter album dicendum est, vt Aethiops: nec omne quod mortuũ animal est, simpliciter animal: nec omne quod depictus homo est, simpliciter homo dicetur. Ideo hęc non sunt partes in modo, sed dicta secundum quid: quę faciunt locum sophisticum quemadmodum in elenchis sophisticis latius agetur.

Quid restringens determinatio

Caput. x.

¶ De loco a toto in loco & tempore.

Totum in loco et tempore.

IN loco totum nominatur, aduerbium vniuersaliter omnem locum significans, vt vbique, nusquam, nullibi. Pars vero in loco dicitur, quę particulariter aliquem tantum locum significat, vt hic illic, istic, in domo, in templo, in hoc aut illo loco. Similiter in tẽpore totum vocatur, aduerbium omne tempus significans vniuersaliter: vt nunquam semper. Pars vero in tempore, est dictio significãs aliquod tempus particulariter, vt nunc, hodie, heri. ¶ Sumuntur autem argumenta per hos locos affirmatiue & negatiue. Affirmatiue a toto in loco. Deus vbiq; adest, igitur & in cubiculo quolibet secreto adest. Ubiq; dominatur deus, igitur & in abyssis maris & infimo barathri, A toto in tẽpore, Sẽper fuit beata Diuinitas, igitur & tunc beata

fuit cũ nondũ ulla esset facta creatura. Sẽper vera dixit Christus, igitur & tũc verũ dixit, quando ait de omni verbo ocioso esse reddendã rationẽ. Negatiue a toto in loco. Nusquã desunt mali, igitur neque in desertis, neque in monachorum cõuenticulis mali desunt. Nusquã abscondi potest homo a cõspectu dei, igitur neque in abditissimis terrę latibulis. A toto in tempore, Nunquã mentita est veritas, neque tunc igitur mentita est, cũ dixit, difficile esse diuitẽ intrare in regnum celorũ. ¶ A parte quoque in loco ad totum valet negatiue tantũ, hoc modo, In coelo non sunt mala, igitur non vbique sunt mala. Romę non est vsus potus frumentarij (quẽ ceruisiã vocam⁹) igitur nõ vbiq̃ eius est vsus. Non fuerunt homines, tunc cũ mũdus nõdũ subsisteret igitur non semper fuerunt homines. Dũ prãdetur, voce orandũ non est, non semper igitur voce orãdũ est. Harũ autẽ argumẽtationũ confirmatiuę maximę hę sunt, Cũ quo conuenit totũ in loco aut tẽpore, cũ eo & pars. Cũ quo conuenit pars, cũ eo & totum. Cum quo autẽ totũ non cõuenit, nec pars. Cũ quo pars nõ conuenit, nec totũ. ¶ Affirmatiue autem ab vna parte non valet. Non enim sequitur, Hic est, igitur vbique est. Modo vera loquitur, igitur semper vera loquitur. Ab omnibus autem partibus simul sumptis valebit, Ut, si deus est in cęlo, & in inferno, & in mari, & in terra, & in aere, Deus vbique est.

Caput. xi.
¶ De loco a causis.

Post absolutos locos totius, restant ij loci qui a causis & ab earũ effectis sumuntur. Ponunt autem physici quatuor genera causarum, de quib⁹ plene a nobis tractatum est in libris quos de cõsideratione rerum naturalium edidimus. Per totum librum secundũ qui & a causis tituli habet inscriptionem: Pauca tamen & hic dicenda sunt quantum necessitas postulat, & propositum deposcit. Causarũ itaque alia est materialis, alia formalis, alia efficiens, alia finalis. Definitur autem sic causa, Causa est ad cuius esse sequitur aliud. Hoc est, illud est causa, cuius virtute quoquo pacto aliquid efficitur. Id enim omne quod aliquo modo est ratio cur alterum existat, causa nominatur. Ut, domus causę sunt, faber qui construit eam, lapides & ligna ex quibus componitur, forma quoq; & figura eius, ac postremo quieta inhabitatio. Sequitur autem effectus causam, non quidem tẽpore. Nam simul & sol exoritur & dies fit. Neque logica consequẽtia. Sunt enim nonnullę causę volũtarię, quę pro suo arbitrio libere possunt, vel agere, vel non agere, vt homines, sequitur autẽ natura seu ordine naturali. Ordine enim naturę id quod efficit vel aliquo modo facit ad esse alterius prius seu dignius est eo quod ab ipso esse accipit. Sic pater naturę ordine semper filio prior manet, ad quantumuis etiam magnas dignitates euecto: quemadmodũ narrat Gellius in noctib⁹ atticis: Honestissimã cõcertationẽ inter patrẽ & filium, vter vtri cederet loco q hic dignitate pręiret patrẽ, pater vero naturę ordine filio esset pręfect⁹. ¶ Prima aũt ẽ causę species ẽ, causa efficiens, quę sic definitur. Causa

efficiens est, a qua primo fit motus, vt aliquid fiat, Nam quod prestat in agendo principium motus, quodque primum operi velut manum admolitur, hoc nimirum efficiens est. Et qui domum struit, & fundament iacit, ac parietes superstruit, deinde tecto edificium complet, aut qui ad huiusmodi ministrat, effecisse domum dicitur. Sic ignis facere ignem dicitur, & in suma, quilibet artifex sui operis efficiēs est & quodlibet naturale agens suum opus vel operationem efficit. Verum non in omnibus, nec semper eodem modo, sumitur argumentū. ¶ Sunt enim causarum quedam necessarie, id est, sine quibus effectus certus fieri nequit, vt dies non nisi ex ortu solis causatur. Nox solum ex aduentu tenebrarum per solis ablationem a nostro hemispherio; Eclipsis solis, non nisi ex interpositione lune inter solem & aspectum nostrum. Eclipsis lune, non nisi ex interpositione terre inter solem & lunam. In his causis, sunt argumenta tam affirmatiua quam negatiua tam a causis quam ab effectibus. Et sequitur, Sol exoritur, igitur dies est, vel dies fit. Sol abscedit a nobis, aduesperascit igitur. Iam sol totus occidit, tenebre aduenerunt, nox igitur est. Sol nondum exortus erat cum Troia deuastaretur, non est igitur interdiu Troia deuastata. Non erit hoc anno interpositio lune inter solem & aspectū nostrū; igitur non erit solis eclipsis. Erit hodie interpositio terre inter solē & lunā, igit̃ hodie lune eclipsis erit. Ab effectu, vt dies fit, igit̃ sol orit̃. Iā plenus dies est, igitur sol totus nobis ortus est. Luna eclipsatur, necesse est igitur terrā interpositā esse inter solē & lunā. Nō eclipsabit hoc anno luna neque igitur erit interpositio terre. Maxime he sunt, » Posita causa efficiente, ponitur effectus eius. Ablata causa efficiente, nece» ssario aufertur & effectus. Posito effectu, ponitur & causa ad talem » effectum necessaria. Ablato effectu, aufertur & causa. ¶ Quedam vero » cause sufficientes tantum sunt, non etiam necessarie, vt iugulatio causa sufficiens est mortis, non necessaria tamen. Potest enim mors pluribus aliis modis accidere, quemadmodum Boetius in suo libro de Consolatu Philosophico deflet. Quos sepe, inquit, de hominibus, muscularum morsus, aut vermiculorum in secreta queque nature repentium necat introitus. Ab his causis valet solum argumētum affirmatiue sumptum, & ab effectu negatiue. Et sequitur: si hic iugulatus est, necessario ipsum interiisse: & si nō interiit neq; iugulatum esse. At nō cōsequitur: si interiit iugulatum esse. Neque oportet, si non sit iugulatus, nō interiisse. Sunt enim hec duo argumenta sophistica.

Contra locum â causa ab effectu.

Argu. 1. ¶ Primo non semper effectus distringuitur essentialiter à causa, ergo malè dicitur q; causa est ad cuius esse sequitur aliud. Antecedens probo, risibile est effectus hominis, tamē non distinguitur realiter ab homine.

Confir. ¶ Confirmatur. Esse ideale est effectus trinitatis, tamen non

distingutur

distinguitur realiter ab ipsa sanctissima Trinitate, ergo intentum.

Secundo sic. Relatiua sunt simul natura, sed causa & effectus sunt correlatiua, ergo causa non est prior effectu: vltra, nō est prior, ergo non potest illum causare. Argu. ii.

Tertio. Non sequitur, domificans est, ergo domus est, ergo malè dicitur quòd effectus sequitur suam causam. Argu. iii.

Ad primum respondetur quòd duplex est causa, nimirū physica & metaphysica. Causa physica semper distinguitur realiter à suo effectu, vt ignis producēs, ab igne pductō. Alia est metaphysica, quę nominatur largo modo causa, & ista non distinguit aliquādo à suo effectu realiter, licet bene formaliter, vt subiectum à sua propria passione, Et ad cōfirmationem dicitur q esse ideale, nō distinguitur realiter à Deo, sed formaliter. Ad primū argumentū & ad confirmationem.

Ad secundum respondetur concedendo maiorem, & distinguo minorem, quia vel causa & effectus sumuntur materialiter & profunda mentis relationum & sic nec nego quòd sint relatiua, nec quòd sint simul natura, imò fundamentum causæ est prius fundamento effectus, sed pro formali bene sunt relatiua, & simul natura, & vnum non est causa alterius. Ad ii. argumentum.

Ad tertium dico, quòd licet non sequatur, domificans est, ergo domus est, sequitur tamen bene domificans est, ergo domus fit, vel melius domus est in fieri, licet non in factum esse. Ad iii. arg.

Caput. xii.

De vulgatiori vsu horum locorum a causis.

Solent autem vulgo recentiores in omnibus his locis a causis atque itaab effectibus, non alit er argumentari, quem vel in propositionibus quas vocant de est secundo adiacente, id est, a positione vnius ad positionē alterius: vel a destructione ad destructionē aut cum prędicatis bonū & malū, a bonitate causę ad effectum, vel ecō trario. Neque modos illos argumentādi nos damnamus, cum recte valeant. Uerum posterius ostendemus & alium longe meliorem & generaliorem horum locorum vsum omnibus disciplinis artibusque non mediocriter commodum. Prius tamen per singula causarum genera discurrentes, paucis indicabimus modos illos argumentandi vulgatiores ne vel fastidire vetera, vel vtilium quicquam negligere merito arguamur. Itaque ab efficiente causa, ita vt supra ostensum est, argumentamur a positione causę ad effectum, & econtrario:

A causa efficiente.

item & ab abnegatione. Ubi & hoc est adiiciendum: quando in terminis significantibus potentiam vel habitum assignatur causa, tūc in cōsequente inferri debere non actualem effectus existentiam, sed possibilem. Exempli gratia, si domificator est, domus esse potest: si adest pistor, panis haberi potest: si scriptor, scriptura haberi potest. Ad actualem autem existentiam non valebit argumentatio, Pistor est, igitur panis est. Domificator est, igitur domus est. Nam etiam si nullus actu sit panis, pistor tamen vere dicitur is qui artem usumque habet coquendi panem: & scriptor dicitur, nulla actuali existente scriptura. Denique, & si actuali vocabulo exprimatur causa, nō tamen esse, sed fore aut fieri, aut incipere effectum colligemus. Non enim sequitur, Domificans est igitur domus est. Quandiu enim in faciendo domū artifex occupatur, nondum illa subsistit in esse, sed tantum est in fieri. Sic igitur licebit argumentari. Est qui domificat, igitur domus incipit esse, aut fit, aut in fieri est, aut erit, subaudi, si pergat artifex. ¶ Ab esse autem effectus ad esse causę, sive actualis sive potentialis, non valet argumentatio. Non enim sequitur, Domus est, igitur domificans aut domificator est. Domus enim subsistit, etiam tunc quando multos annos is qui eam struxit quievit in cinere. Sed vel esse vel fuisse aliquando causam, infertur ab existentia effectus, Itē a fieri effectus ad existentiam causę proceditur. Si enim domus fit, necesse est quispiam sit qui ędificet eam.

A causa materiali.

¶ Circa locum autem a causa materiali, distinguitur duplex materia. quędam permanens, quędam transiens. Materia permanens dicitur quę in re postquam effecta est permanet in sua natura. Ut lapides & ligna & calx, sunt materia permanens domus. Postquam enim domus extructa fuerit, lignum manet lignum, & lapides permanent lapides. Transiens autem materia est, quę secundum suam substantiam non manet in re effecta, sed mutatur & formam accipit aliam. Ut farina & aqua sunt materia panis, sed transiens quoniam postquam panis coctus est, nec farinam ultra videmus, nec aquam. Similiter silix est materia vitri transiens: quoniam cum vitrum factum est, nusquam silix apparet, sed transiit. ¶ Secundum diversitatem autem huiusmodi duplicis materię aliter & aliter fiunt argumentationes a materia. Veruntamen affirmative argumentando nihil refert. Similiter enim proceditur a positione materię ad possibilitatem effectus hoc modo, Ferrum est, igitur culter ferreus, aut arma ferrea possunt esse. Aqua & farina sunt, igitur panis haberi potest. Ligna & lapides & calx adsunt, potest igitur haberi domus. Maxima Posita causa materiali, possibile est effectum poni. ¶ In argumentando autem negative, aliter proceditur. A materia enim permanente auferimus effectum, si non actu subsistat causa materialis hoc modo, Non est ferrum, non igitur sunt arma ferrea, Non sunt lapides, neque ligna, non igitur domus. Maxima, Remota causa materiali permanente, removetur effectus. In materia autem transeunte, ex actuali negatione materię non valet negatio effectus. Non enim sequitur, Non est farina, igitur non est panis. Non est silix, non igitur vitrum. Sed ut valeat, oportet ita procedere, Non fuit silix, igitur non est vi-

trum. Non fuit farina, igitur non est panis. Valebit tamen ad fieri esse ctus, hoc modo. Non est ferrum, non possunt igitur fieri ferrea arma. Non est farina, non fit igitur panis, neque fieri potest: subaudi, quandiu non est materia. ¶ Ab effectu causę materialis permanentis sic proceditur, Arma ferrea sunt, igitur ferrum est. Domus lapidea est, igitur lapides & ligna sunt. In materia autem transeunte sic, Vitrum est, igitur silix fuit. Panis est, igitur farina fuit. Maximę, Posito effectu causę materialis permanentis, ponitur simul & causa. Posito effectu causę materialis transeuntis, necesse est materiam ipsam pręfuisse. Negatiue autem non valet a negatione actualis existentię in neutra materia. Non enim sequitur, Domus non est, igitur ligna & lapides nō sunt. Vitrum non est, igitur silix non est. Valet tamen, si negetur possibilitas effectus, hoc modo. Panis non potest esse, igitur farina & aqua non sunt. ¶ Possumus quoque argumentari in pręedicatis, bonum & malum hoc modo, Farina fuit bona ex qua panis iste pistus est, igitur panis bonus est. Farina mala fuit, igitur panis non est bonus. Ferrum bonum est unde hęc arma facta sunt, igitur ipsa arma bona sunt. Si autem ferrum non est bonum, nec quę ex illo facta sunt. Maximę, Si causa materialis bona est, ipse quoque effectus bonus est. Si causa materialis mala est, effectus malus erit. ¶ Ubi tamen aduerte, cū affirmatiue bonitas effectus ex bonitate causę colligitur, intelligendū esse consequens, non secundū omnimodā effectus bonitatem, sed quatum ex ratione materię. Potest enim esse panis malus, etiā ex optima farina coctus nimirum si pistor male coxerit, aut nimium fermenti iniecerit, aut aquę nimium, aut si alius aliquis defectus aliunde contigerit. Sic potest domus esse mala & ruinosa, etiam quę ex optimis lapidibus & calce pręstantissima fuerit ędificata a malo artifice. Ab effectu quoque valet econuerso. Si enim effectus bonus est, & causa materialis bona sit necesse est: si autem ille malus (intellige ex vitio quod ad materiam attineat) & ipsa causa materialis mala erit. ¶ A causa autem formali sic argumentamur affirmatiue, Albedo est, igitur album est. Scientia est, igitur sciens est. Anima bruti est, igitur brutum. Negatiue, Si non est albedo, non est album. Maximę, Posita causa formali, ponitur effectus. Remota causa formali, remouetur & effectus. Econtrario idem ab effectu valet affirmatiue, Si album est, albedo est: si homo est, animal rationale est: si lapis est, forma lapidis est. Negatiue, Si non est album, non est albedo: si non est brutum, non est anima bruti. ¶ Ubi nota, duplices esse formas, substantiales, & accidentales: ac rursum quasdam dici naturales, quasdam artificiales. Quam distinctionem plenius in Physicis declarauimus, libro secundo. In omnibus autem formis, siue accidentalibus, siue substantialibus, siue naturalibus, siue artificialibus similiter valet argumentatio. In forma tamen humana, hoc specialiter est obseruandum, ut non solum ab esse eius procedatur, sed ab inesse. Non enim sequitur, Anima rationalis est, igitur homo est. Sequitur tamen, Anima rationalis inest corpori, igitur homo est. Quod autem in sola anima rationali hoc sit speciale, inde est, quia ipsa sola potest esse quando non inest materię,

A causa formali.

quod de nulla alia forma habet veritatem: cum ipsarum omnium esse sit inesse, nec possint vnquam extra materiam subsistere, vt in Physicis plenissime declaratum est, libro primo & octauo. ¶ Sub hoc autē loco a causa formali, concludendus videtur locus ille qui apud Aristotelem signatur, ab inexistentia formę ad subiecti ab ea denominationem: qui communiter breuitatis gratia appellari solet, locus ab inesse ad denominare. A quo ita argumentamur, Parieti inest albedo, igitur ipse est albus. Animę inest scientia, igitur anima est sciens. Itē in formis substantialibus, Huic composito naturali inest rationalis anima, igitur est homo. Maxima, vnūquodque subiectum a forma inexistente denominari debet. ¶ A causa denique finali argumenta fiunt, in predicatis, bonum & malum. Ut si beatitudo est bona, igitur virtus est bona. Uirtus enim ordinatur ad beatitudinem consequedam, tanquam ad proprium suum finem. Sanitas bona est, igitur amarę potionis supptio bona est, deambulatio quoque post coenam: & alia huiusmodi quę ad sanitatem tanquam ad optatum finem ordinantur. Item speciei conseruatio bona est, igitur generationi intendere bonum est. Ordinatur enim naturaliter generatio ad speciei cōseruationem, sicut nutritio ad indiuidui substentationem. Maximę. Cuius causa finalis bona est, ipsum quoque bonum est. Cuius finis malus est, ipsum quoque malū est. ¶ Fit etiam ab effectu causę finalis argumentum ad causam. Uirtus est bona, igitur beatitudo bona erit. Peccatum est malum, igitur damnatio mala erit. Effectum autē causę finalis appellamus id quod ad aliquod ordinatur tanquam ad finē, estq; velut medium quo per se finis attingitur. Ut virtus ad beatitudinem ordinatur, & peccatum ad damnationem, medicinalis potio ad sanitatem.

Caput. xiii.

¶ De vsu generaliori locorum a causis.

Totū istud caput diligenter expende cum iis omnibus quę ō causis dicuntur.

PReter autem formas & modos vulgatiores istos quibus vulgo solent ab his causis duci argumenta, alii sunt longe pręcellentiores, generaliores, & vtiliores, quibus omnis ars, omnis vti possit disciplina, & de re qualibet aptissime disputari. Est enim locorum istorū a causis tanta foecunditas, tantamque subministrant argumentorum copiam, vt non videam certam aliquam argumentandi ex eis formam posse prescribi. Id quod & Seuerinū Boetium in Commentariis super Topica Marci Tullii arbitror sensisse, qui loco a causis maximam non aliquam prioribus similem assignauit, specialē videlicet & paucis argumentis commodam, sed generalissimam & maxime vniuersalem, dicens, Unāquamque rem ex causis spectari debere, id est, de vnaquaque re ex causis iudicandum esse ac disserendum. In his ergo locis exercitatissimos se reddere studeant, qui artis huius verum vsum & fructum quęrunt. Nec enim alius est locus, e quo fructum ampliorem referat exercitatio. Ut non temere pręcepisse videatur Satyricus, Discite (inquens) o miseri, & causas cognoscite rerū. Nec sine causa dixisse videtur ille Poetarum princeps Uirgilius, Felix qui potuit rerum

cognoscere causas. Nos vero, vt viam quandam indicemus rudibus
⁊ inexercitatis, diuersarum rerum diuersarumque professionũ, varia
exempla proponemus. ¶ Et primum quidem a causis efficiẽtibus du
camus argumenta. Querat politicus, Nũ iustitia ciuilis, quę nocẽ
tes cogit etiam extrema ferre supplicia, naturalis sit an forte contra
naturam per tyrannidem potentiũ intrusa? ita questio terminabitur
cõsiderata efficiẽte causa. Congregatio hominũ est naturalis: quoniã
natura homo animal ciuile est atque domesticũ, quod ad cohabitandũ
pariter cũ aliis sui generis naturali inclinatione fertur. Hęc autẽ con
gregatio ⁊ cohabitatio hominũ, a principio iustitiã istã induxit. Nõ
enim poterat pacificus haberi conuictus, nisi penes aliquẽ esset po-
testas ⁊ vitę ⁊ mortis qui noxios puniret, innocẽtes defenderet. Igi
tur iustitia illa naturalis est. ¶ Querat Physicus aut medicus, nũ som
nus sit naturalis? ita argumentabimur. Post fatigationẽ ex longa vigi
lia ⁊ cõtinua operatione in sensibus contractã, ab operatione sensitiua
aliquãtulũ requiescere ad restaurãdũ sensibꝰ vigorẽ, est naturale. Hoc
autẽ somniũ efficit, igitur somnus est naturalis ⁊ necessarius. Querat
deinde ethicus, Nũ etiã somnolẽtia sit naturalis vt somnus? respõde
bimus, nõ, quoniã pigritia ⁊ vitiosa assuefactio amplius quã oportet,
⁊ quãdo nõ oportet dormiẽdo: somnolẽtiã efficit, nõ ipsa natura. Nõ
est igitur somnolẽtia naturalis aut necessaria, sed innaturalis ⁊ fugiẽ
da. Sic Physicus ꝓbabit, homini esse naturale cibo nutriri: quoniã ca
lor ille qui humidũ radicale cõsumit ipsoqꝫ pascitur, naturalis est, atqꝫ
ipse est nutritionis causa efficiẽs. ¶ Querat Theologus, Nũ mors ab
initio homini cõueniat secundũ naturã? Dicimus nõ: quoniã peccatũ
extra naturã est, ⁊ diaboli: itẽ malitia extra hominis naturã est: hęc au-
tem efficiens causa sunt mortis. Inuidia enim diaboli (vt ait Sapiẽs) Sapient. ij
mors intrauit in orbẽ terrarũ, ⁊ (iuxta Apostolum) per peccatũ vnius Roma. v.
primi hominis in omnes homines mors pertransiit. Non igitur secũ
dum naturam a principio mors homini cõuenit. Querat rursum, Nũ
post corruptam naturam hominis per peccatum mors sit natura-
lis? Dicimus ita habere: quoniam calor naturalis post hanc inductam
corruptionem naturaliter semper aliquid consumit humidi radicalis
nec fit per nutritionem tanti boni humidi reparatio vt ante, sed defi-
cit semper a primaria bonitate, atque ita post lignum vitę preclusum,
dum non potest fieri omnimoda reparatio, tandem necessarium est Matt. xij.
penitus calorem deficere ac hominem mori. ¶ Ad hunc locum perti-
net, quod in Euangelio Christus dominus peruersis Pharisęis ait,
Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cũ sitis mali?
Ex affectu enim peruerso, vt causa, prauum sermonem vt effectũ cau-
sę ad similem colligit, Id quod ⁊ cõfirmat, dicens. Ex abundantia cor-
dis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, mal-
similiter mala. Hoc est, iuxta causę efficientis qualitatem, effectus con-
sequitur. Ad idem pertinet quod dicit. Omnis arbor bona fructum Matt. vij.
bonum facit, mala autem malum. Sic enim arbor quę est causa effi-
ciens ⁊ producens fructus, bona est, erunt ⁊ fructus boni: contra autem

mali si arbor mala fuerit, cum autẽ a fructibus docet arborem cognos-
Mat. xv. cere, ab effectibus ad suam docet procedere. ¶ Rursum hoc loco ab ef-
ficiente causa ⁊ alibi vtitur cum probat, ea quę intrant per os nõ coin-
quinare animam, ea autem quę de corde procedũt inquinare. Quę e-
nim in anima possint efficere maculã sola illa sunt quę de corde nascũ-
tur: ea autem quę per os intrant, non sunt huiusmodi. Vbi enim non
est propria inquinationis causa, effectus inquinationis inueniri non
poterit. Sublata enim causa, aufertur effectus. Per hunc locũ Pau-
lus apostolus apud Corinthios astruit resurrectionem mortuorum,
Corin. xv. ex resurrectione Christi. Si mortui, inquiẽs nõ resurgũt, neque Chri-
stus resurrexit, a negatione videlicet effectus ad negationẽ causę effi-
cientis, quoniã Christi resurrectio quodãmodo causa est efficiẽs bea-
tę resurrectionis fidelium. ¶ Iurisperitis quoque ⁊ equi tractoribus
iis etiã quorum est in forensem contentionem descendere, vix alius
locus est vtilior. Lex est, Si iumentum via publica pascens in vicinũ
pratum conscendens, domino prati damnum intulerit, damnum resar-
ciat, qui est iumenti dominus. Ponimus hanc rem trahi in contentio-
nem. Quis dubitet, causam damni statim esse spectandã, ad litem diri-
mendã? Si enim dominus pascuę in causa est cur transcenderit iumen-
tum, vt pote quia vel dolo viam aperuit iumẽto vt dãno afficeret do-
minum, vel per incuriam munire pascua sua iuxta morẽ regionis ne-
glexit, absoluitur a pęna iumẽti dominus. Si vero in causa ipse est:
quia cũ sciret equũ petulantẽ, cõpedibus nõ strinxerit, neqꝫ custodes
adhibuit, damnũ resarciat qui damnũ dedit. ¶ Similiter de boue cor-
nupeta qui hominẽ trucidauerit. Item de nauta qui naufragium faciẽ-
do merces perdidit, si quęstio fiat, in his atque similibus omnibus cau-
sa semper spectanda est, ⁊ ex causa res terminãda. Si enim is cuius est
bos cornupeta causa est necis, id est, si cũ nosset talem eum fuisse ab he-
ri ⁊ nudiustertius, non eum domi alligauerit, punietur vt iustum est.
Si vero non ipse in causa est, vt pote si prius nunquam tale quicquã
audierit vel viderit, sed subito aliquo impetu res peracta est, merito
absoluitur dominus, vt qui causam necis nullã dederit. Sic nauta si
causa est submersionis nauis, quoniã vel per negligentiã vel per insci-
tiã cum debuisset ⁊ potuisset seruare nauẽ, non fecit, ipse vt causa sub-
mersionis resarciat damnũ. Si vero nullã ipse causam dedit submersio-
ni, si omnẽ adhibuit diligentiã omnemqꝫ industriam, nec potuit prę
tempestate ⁊ fluctibus, parcendum est misero, nec illi imputandũ da-
num. Ipse suę nauis, alter mercium suarum iacturam feret. ¶ Ad hunc
locum pertinet, quod rem laudamus aut vituperamus, bonam aut ma-
lam, vtilẽ aut inutilẽ colligimus, ex ipso vel authore vel consultore.
1. Tit. iiii. Sic omnem creaturam bonam probat Apostolus: quoniam dei est, ⁊
a Deo facta ad vsum hominum. Peccatum autem malum esse cognos-
Ioan. viii. citur, quoniam diabolus malus ipsius author est. Ipse enim mendax
est ⁊ pater eius, nempe mendacii. Ita mors non simpliciter bona esse
Sapien. i. probatur, quoniam bonus deus (vt ait Sapiens) mortem non fecit.
Mala autem est, quia malus diabolus ⁊ malum peccatum ipse efficit.
Hinc colligimus, bonum esse consilium, bonum propositum, quoniã

a Deo suggeritur, a sanctis angelis confirmatur. Hinc virginitas bo-
na esse, et precellenter supra matrimonium bona comprobatur, quo- Mat. xix.
niam Christus eam consuluit, item et Apostolus, vt virtutem perfe- j. Cor. vij.
ctiorem. Uniuersaliter enim consiliarius efficiens causa dicitur sui cō
silij. Sic quod viri graues prudentes et experti consulunt, commenda
tur. Unde est illud Poete, Barbato crede magistro. Quod autem cō
solent pueri, inexperti, imprudētes, carnales, merito vt suspectū nō
amplectabimur. Quomodo si recte collegisset Roboam, non ita fede iij. Re. xij.
paternum auitumque regnū scidisset. Hinc quod diabolus suadet, quod
caro suggerit, quod mundus ostentat subiectum haberi debet. Non
enim boni sunt isti consiliarij, neque tales quibus tuto fidi possit.
Quod autē spiritus domini suggerit, id certissimum est consilium.
¶ Ita lex vnaquęque aut cōsuetudo, a primis institutoribus, aut subse
quentibus approbatoribus, commendatur vel reijcitur, preferetur al- Hebr. ij.
teri vel postponitur. Sic enim Apostolus apud Hebreos de vtraque
lege disserens, nouam prefert veteri, quod ista per angelos data fue-
rit, ac per Moysen ministrum tantum et famulū domini promulgata
populo: illa vero per ipsum dei filium instituta, confirmata et predica
ta fuit. Hinc veneranda omnia noue legis sacramenta, quod Christus
ea instituerit. Apostoli spiritu sancto inspirati promulgauerint. Hinc
omnis scriptura sacra summa veneratione digna colligitur, quoniam
ab ipso spiritu Dei (iuxta Petri testimonium) profecta. Hinc om-
ni veneratione et obseruatione dignum esse arguimus sacrum quadra-
gesimale ieiuniū, quod olim eximia illa legis columina, Moyses et He
lias obseruauerūt, ac deinde Christus ipse in se consecrauit, nobisque
cōmendauit. ¶ Ac quoque ratione magicas artes dānamus, quod a dia-
bolo sint authore profecte. Ita agricolture ars, vt omnibus antiquior
et prestātior probatur, quod ab ipsa dei institutione post peccatū sit p
fecta, naturali necessitate cogente, non vlla curiositate superuacanea
preter necessitatem adinuenta, vt alie plereque, quemadmodum varie
tincture, sculpture, atque texture, quibus nihil opus erat humano ge-
neri, sed lux hominum ea effinxit. Sic ars vsuraria damnatur, quā ho-
minem progenuit auaritia: ars cupidiaria, quam adinuenit gula satia
ri nescia, atque ita in ceteris. ¶ Hoc etiam loco vti commode pos-
sumus ad exhortationem filiorum, dum parentes efficientes causas
proponimus, vt illos vel ad imitandum eorum probitatem excite-
mus, vel ab eorum improbitate reuocemus. Primi exemplū est apud
Tobiā, vbi filius accepturus Saram in vxorem, a sponsa et a seipso spe Tobi. viij.
cialē exigit hac ratione castitatis pudorē. Filij (inquit) sanctorum su-
mus, ideo nō possumus ita cōiungi sicut gētes, que ignorant deū. Huc
respicit et quod Apostolus ait, Si radix sancta, et rami: et si delibatio
sancta et massa. Huc et illud pertinet saluatoris, Si filij Abrahe estis, o- Rom. xi.
pera Abrahe facite. Uos ex patre diabolo estis, ideo eius opera vul- Joan. viij.
tis perficere. Secundi vero exemplum proponit scriptura, cum filiis Psal. xciiij
loquens ita ait, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare cor-
da vestra, sicut in exacerbatione, vbi tentauerunt me patres vestri. Sic
et in Euangelio dominus improbis Judeis ait. Que prophetarū non

occiderunt patres v. stri: statim subiungens, Et vos impletemensurã patrum vestrorum.

Caput. xiiij.

¶ De vsu loci a causa materiali.

Ex loco quoque a causa materiali, alia adferri possunt a supraposititis argumenta. Ubi primum nota, materiam considerari duplicem, alteram ex qua res componitur simul cum forma: vt homo componitur ex suo corpore simul cum anima. Hęc vocatur materia ex qua. Aliter appellamus materiam, id circa quod versatur alicuius consideratio. Et materia scientię cuiuslibet, dicitur id de quo talis est scientia, aut circa quod eius consideratio versatur. Et materia dialecticę, est argumentatio: materia grammaticę, est eloquutio: materia Physicę, corpus naturale: materia theologię, ipse Deus. Dicitur quoque virtus quęlibet habere suam materiam circa quam versatur, vt sobrietas est circa cibum & potum, patientia circa res difficiles tolerandas, fortitudo circa res arduas aggrediendas. Iccirco cibus & potus dicuntur materia sobrietatis siue temperantię, vsus rei venereę est materia continentię: res toleratu difficiles materia sunt patientię, res arduę fortitudinis, atque ita in ceteris: quorum plena determinatio ex morali doctrina petenda est. Dicitur quoque omne votum omnisque promissio aliquam habere materiam, ipsum videlicet de quo fit votũ aut promissio. ¶ Ex consideratione igitur materię, multipliciter argumenta trahimus. Hinc enim colligimus, virtutem alteram, alteri pręstare: quoniam alia materiam habet sublimiorem, alia humiliorem: item scientiam vel artem aliam alii praestare, ex materia circa quam versatur. Ideo enim inter omnes mechanicas agricultura videtur honestissima & vtilissima: quoniam circa ea versatur quę sunt humano generi omnium vtilissima. Hinc illę artes quę circa res vtiles humano generi occupantur: vere vtiles probantur: illę autem quę tantum circa superuacanea & curiosa, aut etiam a parte noxia & prohibita, vel minus probantur vel omnino reiiciuntur. Propterea Physica disciplina alis est pręstantior sermocinalibus: quoniam illę in vocibus hęrẽt, ista res naturales contemplatur. Inter partes quoque physicę scientię, Aristoteles ex hoc loco argumentatur scientiam de anima esse cęteris pręstantiorem, quoniam illa de anima est, quę omnium naturarum est nobilissima & pręstantissima. Omnium vero scientiarum simpliciter altissima esse probatur Theologia, quoniam materiam habet omniũ pręcellentissimam. Moralis autem scientia antecedit medicinam: quoniam illa circa morbos animę, ista circa morbos corporis curandos: Denique legum cognitio, medicorum scientia videtur inferior quod hii circa corpus homines occupentur, illi potissimum circa possessiones atque pecunias, vt quid sit vniuscuiusque proprium definiat. Corpus vero melius est temporalibus bonis. Hinc omnium virtutum eminentissimę probantur tres illę quę appellantur theologicę, nempe fides, spes, & charitas, quod immediate circa

Argumenta a materia.

materiã excellentissimã ipsum deũ versentur. Ceterę vero immediate circa aliquid mediũ occupantur, quod ad deum dirigitur, vt circa passiones malas refrenandas, aut vtilia opera peragẽda. ¶ Hoc quoque modo colligimus votũ esse bonũ aut malum, seruãdum aut rescindendũ, si videlicet materiã habeat bonã, bonum erit: si malã, vt potè si vel in aperte malum fertur vel in minus bonum, quo aliud maius bonũ excluditur, malũ erit. Similiter laudatur consilium, propositũ cogitatio, affectio, & studium, si circa rem bonã sit: dãnatur, si circa rem malã. Vnde & vita contẽplatiua, voce domini ex materia cõsideratione prefertur actiuę: quoniam ista sollicita est, & turbatur erga plurima illa vero vni inhęret, quod est necessarium. ¶ Huc pertinet quod de beato Augustino legitur & canitur. Testamentũ nullũ fecit, quia vnde faceret, non habuit. Simili modo Augustinus ipse probat, vitam actiuã non fore in patria, ex eo quod non inuenietur illic materia circa quã hic modo versatur. Modo, inquit, quia esuritur, quia sititur, misericordia miseris necessaria est. Frangis panem esurienti, quia inuenisti esurientem. Tolle famẽ cui frangis panẽ? Tolle nuditatem, cui pręstas vestem? Ac post pauca concludens sic ait, In futuro non erunt ista mala, ergo nec ista ministeria. ¶ Ex materia quoque corruptibilitas aut incorruptibilitas, longa aut breuis duratio arguitur. Hinc enim cęlum ostendimus esse incorruptibile: quoniã materiam non habet agentibus & patiẽtibus adinuicẽ primis qualitatibus subiectã. Cętera autẽ corpora inferiora: quoniam materiam habẽt eiusmodi qualitatum actioni subiectã, corruptibilia probantur. Itẽ quo vniuscuiusque corporis naturalis materia maxime passionibus huiusmodi est obnoxia, eo res ipsa fragilior faciliusq; corruptibilis probatur. Hoc modo ex materia argumentandi miratur Psalmista, hominẽ stellis & cęlestibus corporibus viliorẽ, dicens, Videbo cęlos tuos opera digitorum tuorũ, lunam & stellas quę tu fundasti. Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, &c. Quasi dicat, post quã illa sunt incorruptibilia, homo autem corruptibilis: quid igitur est, quod tanti facias hominem cum videatur hac ex parte illis quoque inferior? ¶ Deniq; hoc ex loco, considerata conditione materię, argumentamur id quod ex ea factum est tale esse aut tale. Vt cum sic colligimus, Vas istud est vitreum, igitur mũdum est, sed fragile: cereũ, igitur liquescet facile. Poculum istud est quercinum aut faginum, durabit igitur. Domus ista ex luto tantũ & stramine constructa est, non multę igitur erit durationis. Domus est lapidea, non facile igitur inflamabilis. Monumentum hoc ęreum est, igitur perstabit in multa sęcula. Statua hęc aurea est, magni igitur precii. Cymbalum istud argenteum est, igitur bene sonorum. Psal. viij.

¶ Contra locum à causa materiali arguitur sic.

PRimo. Non sequit, Ligna sunt, ergo ignis est, & tamẽ ligna sunt materia ignis. Itẽ ferrũ est, ergo ensis est. Argu. pri.

Argu. ij. ¶ Secundo. Ab ente in potentia, ad ens in actu non valet consequentia. Antecedens probo. Non sequitur, Petrus potest currere ergo currit, ergo à materia quæ secundũ omnes Philosophos est ens in potentia, ad ens in actu quod est effectus eius, nulla est consequentia.

Argu. iij. ¶ Tertio. Panis non est, ergo farina non est. Antecedẽs potest esse verum, consequẽte existente falso, ergo sequela nulla.

Ad primũ. ¶ Ad primum dico quòd ligna non sunt materia ignis sunt tamen cibus ignis, sicut potus et cibus sunt nutritiua hominis, & non sunt materia hominis, nisi sumatur materia largo modo, & sic argumentum nihil valet. Et ad illud, ferrum est. &c. Dico quòd non debitè arguitur, sed sic debet inferri, Ferrum est, ergo ensis potest esse.

Ad secũdũ. ¶ Ad secundum respondetur. Distinguendo maiorem, quia vel esse in potentia, capitur pro potentia obiectiua, quæ est id quod non est, sed potest esse, et sic concedo sequelam, vel potest capi pro potẽtia subiectiua, quæ est illud quod est in actu positiuo & reali, & potest suscipere aliquid siue substantiale, siue accidentale, & sic nego sequelam, à tali enti in potẽtia bene sequitur effectus in esse: vel in fieri, & sic se habet materia prima secundum Scotum, in primo secunda distinctione secundi sententiarum.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium respondetur. Quòd sequela est nulla, & antecedens potest esse verum consequente existente falso.

Caput. xv.

¶ De loco a causa formali.

1. Argumẽta a causa formali. Porro a formali causa (iuxta Boetii traditionem) vniuscuiusque rei virtutem metimur. Ideo enim Dedalus volare non potuit, quia naturali forma ad volandum dispositus non fuit. Maximã huic argumento istam assignat. Tantum vnaqueque res potest, quantum eius forma naturalis permittit. Hinc colligitur aquam non posse naturaliter calefacere, neque ignem frigefacere: sed econtrario aquam posse frigefacere & ignem calefacere. Cũ enim omnis actio siue operatio a forma aliqua debeat procedere (vt in Physicis declaratũ est) si forma illa quę requiritur ad talem, aut talem operatione improbetur rei non adesse, monstratum erit talem operationem illi rei non conuenire. Ut (exempli gratia) nihil potest calefacere, nisi mediante calore, quę est forma quędam accidentalis, per quam debet fieri ope-

ratio calefactionis. Cuicunque igitur monstratum fuerit non inesse calorem, huic neque calefactionem competere monstratum est. Videtur autem in his forma simul ⁊ sub ratione efficientis considerari. Arguimus enim a forma, quatenus est talis operationis effectiva vel non effectiva. ¶Idem fere argumentandi modus est quo iubemus vnumquenque artificem intra suos limites consistere: vt (iuxta proverbium) sutor non vltra crepidam, nec in alienam messem professor quilibet falcem mittat. Nequit enim artifex de ea re iudicare, cuius non habet peritiam. Si agricola quispiam est, de agricultura ⁊ rusticatione decernat: si calcearius est de calceis: si pellio, de pellibus. Si grammaticus est, de rebus grammaticis iudicabit. Si mathematicus, de mathematicis. Si autem theologus non est, rerum theologicarum determinationem sibi non vsurpabit: si dialecticus non est, de rebus dialecticis temere non definiet. ¶Ita quoque generaliter ab vniuscuiusque professione argumentari licebit, ad ea que professionis illius sunt officia. Est enim professio velut forma quedam. Quemadmodum enim formis naturalibus res distinguuntur in natura, naturalibusque officiis, ita professione sua quisque determinatus ad officia sibi conuenientia, videnturque res humane alioqui confuse, huiusmodi statuum ac professionum diuersitate velut ad ornatũ distingui, vt in naturalibus omnia alioqui indistincta per formas distinguuntur. Ita licebit argumentari. Monachus es, diuinis igitur rebus intende, a secularibus autem negotiis ⁊ tumultibus abstine. Maritus factus es, igitur prolium generationi ⁊ educationi familieque gubernande dabis operam. Sacerdos non es, non est igitur tuum offerre in ecclesia sacrificium aut sacra peragere. Poeta es, cane igitur fortium gesta virorum. Theologus non es, a rebus igitur fidei decernendis abstine. Ita in ceteris. ¶Considerabimus preterea in rebus humanis, que vel signis vel ceremoniis quibusdam ad hoc institutis fiunt, quo modo aut qua forma vnumquodque eorum peragatur. Nam ⁊ sic a forma licebit argumentari. Exempli gratia, Baptismi Christianorum forma est, vt is qui baptizat super tinctum aqua sancte Trinitatis nomen inuocet dicens, Ego te baptizo in nomine patris, ⁊ filii, ⁊ spiritus sancti. Matrimonii forma est vt, mutuo sibi consentientes, masculus ⁊ femina dicant sibi inuicem, Do tibi fidem, aut equiualens aliud. Sic igitur licebit a forma argumẽtari, Hic puer aqua tinctus est, eo qui tingebat nomẽ beate Trinitatis super ipsum inuocante, igitur puer iste baptismum suscepit. Est quippe illa baptismi forma. Item, hi duo, vir atque mulier mutuum animorum consensum expresserunt, dicentes. Do tibi fidem, aut equiualens aliquid peregerunt, igitur verum est inter eos matrimonium. Hec enim est forma matrimonii. Item, Hic religionis sacre vestem suscepit, atque in manus patris obedientiam, reguleque communis obseruantiam sancte promisit, igitur monachus est factus. Hic homo nunquam ab episcopo est inunctus, neque super eum verba sacra ad id instituta prolata sunt: igitur non est sacerdos. Hac enim forma cõsecrantur sacerdotes. ¶Ad hunc locũ possunt reduci ⁊ mores diuersi qui antiqui

tus ad rē quampiā ex institutione seruabatur. Ut si probemus Scipionem triumphasse, ex eo quod in curru aurato vectus sit a quatuor equis albis cū ducētibus capite coronato, deuictis hostibus currum sequentibus, quorū colla catenis erant onerata, sicque præeunte senatu in capitoliū ascēdit ad templū Jouis, vbi tauro albo mactato eadē pōpa comitatus domū redit. Hic enī apud Romanos erat mos triūphantiū forma que triūphi. Item si ostendam⁹ apud Romanos quēpiam manumissum ex eo quod dominus caput serui manu tenens, ita dixisset, Hunc hominē liberū esse volo, statimque illū emisisset e manu. Hic enim apud illos mos erat in manumissione. Aut si hostes ostēdamus subiugatos ex more quē in subiugando Romani seruabant: duabus quippe hastis in terra defixis tertia superponebatur, ac deinde discincti hostes, sub illa transire cogebantur inermes. Ita in cęteris. Denique, a formis res adinuicē comparamus secundū dignitatē maiorē aut minorē. Ideo enim omniū corporū homo est dignissimum, quoniā animā rationalē habet formā omniū corporaliū nobilissimā, nimirum dei in se gestantē imaginē. Ideo bruta plantis, plantę rursū inanimatis corporibus pręstant: quoniam anima sensitiua vegetatiuę pręstat, atque hęc iterum formis omnibus, quę nec vegetandi habēt virtutem. Similiter ex formis artificialibus opus operi pręferimus iuxta quod forma fuerit pręcellentior vel inferior.

¶Contra locum à causa formali ad suum, effectum sic arguitur.

Argu. Pri. PRimo. Albedo est, ergo album est, nō sequitur quia datur albedo in sacramento altaris, tamen nullum album est.

Argu. ij. ¶Secundo. Non sequitur, Albedo est, ergo paries est alb⁹, & tamen arguitur à causa formali ad suum effectum.

Argu. iij. ¶Tertio. Non sequitur, Anima est, ergo homo est.

Argu. iiij. ¶Quarto contra diffinitionem causæ formalis, ait enim, Causa formalis est quæ dat esse rei, & conseruat eam in esse. Deus dat esse rei, & est conseruator omnium, ergo non causa formalis, quod est falsum.

Ad prim⁹. ¶Ad primū respondetur. Dupliciter primò ꝙ intelligit illa cōditio, nō facto miraculo, sed in sacramēto est miraculū, accidētia esse sine subiecto. Vel potest secūdo dici ꝙ ibi ē albedo et albū, sed albū ē quātū mathematicū, & nō quid substātiale.

Ad secūdū. ¶Ad secundum respondeo quòd nō debitè arguitur, quia ille locus non tenet, nisi inter abstractum & concretum; & nō inter subiectum & accidens.

¶ Ad tertium. Concedo q; non sequitur, cum possit esse sine homine. Item dico, q; anima non est abstractū hominis, & sic argumentum non est ad propositum. — Ad tertiū.

¶ Ad quartum dico q; duplex est cōseruatio, intrinseca, & extrinseca. Intrinseca est à propria forma intrinseca, sicut conseruatio hominis ab anima rationali: extrinseca est à Deo tāquā à causa efficiēte, & cōseruāte omnia. Itē haec extrinseca, nec potest efficere hominē, nec cōseruare eū sine causa formali intrinseca, cum Deus nō possit esse forma, nec pars alicuius rei. — Ad quartū

Caput. xvi.

¶ De loco a causa finali.

Finis omnium causarum prçcipua est, atque adeo causarum causa, ad quam cetere omnes debent secundum proportionem accōmodari. Propter quod consyderanda semper est diligenterque spectanda finalis hec causa, vt inter omnes prçcipua, Ex hac enim, omniū artium atque disciplinarum, omnium quoque consiliorum & operū metimur bonitatem siue vtilitatem. Quorum enim est prestantior finis, illa magis erunt cōmendāda. Hinc virtutes sciētiis meliores colligimus, quoniā ille ad voluntatē excolendā, & vitā instituendā faciūt iste ad intellectū tantum ornandū. Minus aūt est, intellectū exornare quā affectum excolere & vitā instituere. Hinc colligim⁹, meliores esse virtutes theologicas, fidem, spē & charitatem, virtutibus moralibus: quoniā he ordinātur ad refrenandū malas passiones, que regnant in corpore: ille vero ad subleuandā mentem affectūque in Deū, qui finis per se altero est prestantior. Et vniuersaliter ex fine proposito colligimus causas alias, efficientē, formalem, & materialē. Secundum enim diuersitatē finiū, adhibende erunt diuerse cause efficientes: forme diuerse, itē & materie. ¶ Exēpli gratia, struere vis edificiū, hoc fine vt in eo possis etiā ab hostium vi & impetu esse securus, quere talem artificē qui non ornatū curet, sed fortitudinē operis: talē quoque materiā elige, que maximā prestet fortitudinez, vt que minus facile possit tormentis bellicis confringi, denique formam talē cura induci edificio, que huiusmodi fini magis est cōmoda, cuiusmodi est forma castrorū aut turriū. Sin vero edificium tibi queris, ad hoctantum vt in eo magnificentiā tuam ostentes, inque eo subinde oblectes animum, quere artificē talē qui ornatū amplius & cōmoditatem quā fortitudinē spectet: materiā quoque accipe cōmodam videlicet lapides eminus resplendētes: qui parietibus edificii decorē tribuant, Formā quoque elige, non castri aut turris, que inamentor est, sed quadrati palatii, que ē oculis gratior. ¶ Ita ex finiū destinatorū diuersitate, pueris assignantur magistri diuersi, diuersaq; studia. Si prolē tuā destinas religioni, iā inde a puero talē illi delige preceptorē, quē putes ad eum finem posse instituere puerū: talibus quoque studiis illū fac exerceri, quib⁹ — Argumenta a fine.

adiuuctur & incitetur ad finem propositum: talibus quoque moribus
fac illū assuescere ab annis teneris, qui fini conueniāt. Sin autē ad au-
licā vitā illū destinas, tali eū trade institutori, & talib⁹ moribus imbuē
dum trade, talib⁹q; exercendū artibus, que ad finē sint destinatū accō-
moda. ¶ Hinc ita licebit argumentari. Uitā beatam adipisci desyde-
ras, nō igitur voluptati operā dabis, non carnē curare satages, sed
carnē tuam crucifigere. Denique mandata seruare. Si ideo studes, vt
deum cognoscere agnitoq; illi seruire velis: igitur non lasciuis poe-
tarum versibus, aut vanis sophistarū captionibus tibi est inherendū
nec superuacaneis philosophorum contentionibus immorandū: sed
creaturarū sobria cognitio tibi expetenda est, atque ad libros sacros
transeundum, qui te eo quo tēdis peruenire doceant. Si ideo loque-
ris vt edifices, igitur abstinendum ab iis que tantum aures demulcēt
ea vero proponenda, que mentem illuminent animumq; accendant.
Carnem vis habere spiritui subiectam, assumēda igitur ieiunia, ora-
tiones, gemitus, pugne, & lachryme. Hec enim sunt media ad finem il-
lum per se ordinata & necessaria. ¶ Nil autem refert proposito aliquo
fine, siue argumenteris ad electionem mediorum conuenientium, siue
ad abiectionem disconuenientium, & que potius ad contrarium finem
deseruiant. Ut cum ita argumētamur. Uitam beatam adipisci deside-
ras, non igitur vitiis teipsum implicabis, que ad mortem perducunt
sed virtutibus & actionibus bonis sedulo dabis operam. Uis in per-
fectionis studio deo militare, non igitur secularibus negotiis te de-
ij. Thi. ij. bes inuoluere (iuxta illud Apostoli. Nemo militans deo implicat se
negotiis secularibus) sed in quiete vitam egere. Hoc modo a fine ex
verbis Christi sic argumentamur. Si velis ad vitam ingredi, sunt ti-
Math. xix. bi ergo mandata seruāda. Si velis esse perfectus, sunt igitur tibi vē-
denda omnia que habes, & danda pauperibus, ac deinde ad Christi se-
quelam est veniendum. Obseruatio enim mandatorum, est mediū asse-
quendi finem optatum vite eterne: & omnium propter Christum co-
temptus, est congruum medium ad assequendam perfectionem vite
Christiane. ¶ Huiusmodi argumento dominus Jesus Petrum & Joā
nem vindictam querentes aduersum Samaritanos magistrum nolē-
Luce. ix. tes recipere confutauit. Cum enim illi dicerent. Dñe vis dicimus, vt
ignis descendat de celo, & consumat illos, ostendit domin⁹ ex fine ad
quem venit in primo aduentu, id non conuenire dicens. Filius homi
nis non venit animas perdere, sed saluare. Tanquam si dicat. Ad hūc
finem ego veni vt saluē non vt perdam, igitur non est decens quod
vos proponitis, vt ego pro leui iniuria homini facta statim illos per
dā: sed magis conuenit, vt mea longanimitate ferendo illos tandē ad
penitentiā adducam. Simili argumento vtitur aduersum Phariseos
se excusans, quod cum Publicanis & peccatoribus manducaret, eos
Mat. ix. que benigne susciperet. Non veni, inquit, vocare iustos, sed peccato-
res ad penitentiā. Uelut ex hoc manifeste inferens, quod cū illis de-
beret magis conuersari, cū non alio conuenientiori medio illos posset
ad salutē adducere, quā assidue cū ipsis viuēdo, ipsosq; instruēdo. Si
mili modo & post mortē in peregrini specie ambulans cū duobus dis-

cipulis, declarat ex fine, se debuisse passionē amarissimā perferre. Nō
ne, inquiens, oportuit Christū pati, & ita introire in gloriā suam? Ac Luc. xxiiij.
si diceret. Si ad finem erat perueniendum, vtiq; medium respuendū
non erat, quod a deo erat ad finē talē prçordinatum. ¶ Paulus quo- Gala. vi.
que Apostolus a fine argumētatur, cū ad bonū exhortans discipulos,
sit, Bonū facientes nō deficiamus, tēpore enim suo metemus nō defi
cientes. Messis enim retributionis ęternę, omniū bonarū actionū est
finis. Et alibi, quoties ex propositione cęlestis pręmii fideles monet
tribulationes mundi pacienter ferre, nisi, nihil aliud quā a fine argu-
mentatur: quoniā sustinentia in aduersis mediū est cōueniens ad pro- 1. Pet. iiij.
merēdū futurę beatitudinis requiē. Sic & Petrus Apostolus ait: Cō
municantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione glorię
eius gaudeatis exultantes. Sic Petrus ex fine nos instruit benedice- 1. Pet. iij.
re semper & nō maledicere. Non reddētes, inquit, maledictū pro ma-
ledicto, sed econtrario benedicentes quia in hoc vocati estis, vt be-
nedictionē hęreditate possideatis. Quasi dicat, Finis ad quē pędesti
nati estis benedictio ē cęlestis: mediū igitur proportionatū fini huic
eligendū est, nēpe benedictio mansuetudinis: & quod ab illo fine abdu
cit, nēpe maledictio iracūdię, fugiendū. Ex finiū quoque cōsyderatio-
ne & collatione sumitur argumentū pulchrū & efficax, ad iudicandū de
mediis quę ad finē huiusmodi ordinatur. Sic Paulus legē veterem Gala. iij.
multis in locis longe postponit nouę, quod illa ad hunc finē potissi- Hebre. ix.
mū sit data, vt quasi in modū pędagogi seruaret populū durę cerui-
cis sub timore, donec ꝓmissus adueniret Messias. Lex aūt noua post 1. Cor. ix.
illā data est vt sublato timore, in libertate spiritus per amorē deo ad-
hęrentes, cęlestis regni hęredes constituemur. Sic alibi finē laboran-
tiū in stadio vel agone huius seculi, cū fine laborantiū in militia Chri
sti cōparat: dicens, Et illi quidē vt corruptibilē coronā accipiant, nos
aūt incorruptam. Atque hac cōparatione finiū, labor Christo seruiē-
tiū lōge pręfertur labori eorū qui pro corruptibili pręmio mūdo in-
seruiunt. Simili modo apud Romanos fines bonorū atque malorū Roma. vi.
cōparat, & quę ad vtrūque finē perducunt media, ostendere volens, ex
diuersitate finiū illa eligēda, hęc abiiciēda. Quē (inquit) fructū habu-
istis tūc in illis, in quibus nūc erubescitis? Nā finis illorū mors est.
Nūc vero liberati a peccato, serui aūt facti deo, habetis fructū in san
ctificationē, finē vero vitā ęternā. Stipendia enī peccati mors, gratia
aūt dei vita ęterna. ¶ Omniū aūt horū argumentorū, atq; eorū omniū
quę in pręcedētibus dicta sunt, vna est generalis maxima, quā supra
ex Boetio citauimus. Unamquāq; rē ex causis spectari oportet.

¶Contra locum à causa finali arguitur sic.

Argu. pri.

PRimo. Medicina laxatiua ē bona, ergo sanitas est bona, po
sito q; sit medicina, & sanitas non sequatur. Argu. ij.
¶Secūdo. Mors Christi fuit bona, ergo Christ⁹ fuit malus

Argu. iij. ¶ Tertio sic. Dare eleemosynam est bonum, ergo furari propter hoc est bonum, & tamen (teste apostolo) non sunt facienda mala, vt veniant bona.

Ad primũ. ¶ Ad primum dico, quòd male infertur, sed sic debet inferri, ergo sancta sesit, vel erit, vel potest esse bona.

Ad secũdũ ¶ Ad secundum respondeo, quòd mors Christi fuit bona secũdum quid, sed mala simpliciter, quia destructiua suæ naturæ. Item dicitur q finis alicuius rei potest capi pro termino suæ durationis, et sic mors est finis hominis, & finis pestilentiæ est terminus eius, & sic non capitur finis in proposito. Alio modo capitur finis pro illo quod mouet efficiens ad operandum, & sic mors Christi fuit finis suæ durationis, & non sequitur mors Christi fuit mala, ergo Christus fuit malus.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium dico, q licet finis sit bonus, non tamen ordinatum ad ipsum est bonum, vnde illa maxima, Cuius finis bon^9 est, ipsum quoq; bonum est, sic venit intelligenda, quòd illud quod ordinatum est ad bonum finem, secũdum dictamen seu iudicium rectæ rationis, est bonum, cuiusmodi non est furari propter eleemosynam tribuendam, quia hoc non prouenit à dictamine rationis rectæ, sed à dictamine erroneæ rationis.

Caput. xvij.

¶ Quomodo etiam apud Poetas multus sit horum locorum vsus.

Quantus apud poetas sit vsus locorum a causis.

SUnt quoque loci isti apprime vtiles Rhetoribus atque Poetis, neque est alius quo vel libẽtius vti soleant vel frequenti^9, in quocunque tandem causarum genere. Siquidem tria apud rhetores distinguuntur genera causarum: nempe deliberatiuum, iudiciale, & demonstratiuum. Deliberatiuum ad consilia pertinet, iudiciale ad contentiones & forenses causas spectat. Demonstratiuum vero pertinet ad docendum, ad narrandum res gestas, ad laudandum aut vituperandum. In genere deliberatiuo, plurimum confert causarum diligens consyderatio. Communis enim deliberandi forma est, nu quod proponitur expediat: deinde, si ad effectum perduci possit quod expedire inuentum fuerit, & quomodo, quibusque mediis, & per quos effici possit. Si enim vel non expedit quod proponitur, vel nõ apparet cõmodus modus ad ipsum efficiendũ, statim a deliberatione tanquam vanum reiicitur. Fit autem hoc cõmodissime a causis, efficienti potissi

potissimum & finali. Manifestum igitur est generi deliberatiue accomodam esse causarum cōsiderationem. Huc etiam pertinet quod supra diximus, propositum consilium sępe ab ipso authore vel cōfutari vel acceptari. Sic apud Cęsarē in Commētariis, libro quinto de bello Gallico, legati duo, Cotta & Sabinus contendunt. Negat Cotta authore hoste de summis rebus capienda consilia, Ambiorigē scilicet, hostem reputans. Contra, Sabinus, quod Ambiorigem amicum ęstimaret, consilium insequendum contendit, de educendis ex hybernis legionibus. Siquidem in hoc versabatur contentio. Ad hunc modum & apud Virgilium, vbi de equo per Grecos fabricato in vrbem Troiam transferendo, a ciuibus consultaretur, Laocon ab ipsis donis authoribus nequaquam in vrbem inferendum esse arguebat, his verbis ciues compellans,

O miseri, quę tanta insania ciues?
Creditis auecto s hostes, aut vlla putatis
Dona carere dolis Danaum?

Ac post pauca, quid ex authoribus malę suspitionis colligat, aperit, subiungens in hęc verba,

Aut hoc inclusi ligno occultantur Achiui.
Aut hęc in nostro fabricata est machina muros;
Aut aliquis latet error,

Ac postremo conclusionem infert, ita sermonem finiens,

Equo ne credite Teucri.
Quicquid est, timeo Danaos & dona ferentes.

Eodem argumento & alii plerique sagacioris ingenii, in eandē ducebantur sententiam: quemadmodum de Capy eodem in loco Virgilius ita inquit,

At Capys & quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
Pręcipitare iubent, subiectisque vrere flammis.

Ita videlicet ab ipsis equi fabricatoribus donique authoribus prudēter suadebant, ipsum minime suscipiendum in vrbem, Cui consilio si fuisset obtemperatum, non ita copiosum Poetis omnibus Troia infelix dedisses canendi argumentum: atque (vt ipsius vtar verbis, qui tuam tuorumque cladem canendo inter Latinos Poetas principatum iure obtinuit) Troiaque nunc stares, Priamique arx alta maneres. ¶ Porro in genere demonstratiuo, ad laudandum atque vituperandum Poetis & Oratoribus vsitatissimum est causas adferre. Ut apud Virgilium, pocula sua Menalcas commendat, ab efficiente Alchimedonte: a materia, quoniam fagina essent: atque etiam a forma, quoniam sculptura erant mirabili. Ita enim cum Damoeta certans, cum de grege non auderet quicquam deponere, pocula ista commendat, dicens.

Quoniam tibi pocula ponam.
Fagina, cęlatum diuini opus Alchimedontis.
Lenta quibus torno facili superaddita vitis,
Diffusos hedera vestit pallente corymbos,

In medio duo signa, Conon, & quis fuit alter,
Descripsit radio totum, qui gentibus orbem,

¶ Hoc modo laudam' quempiam, a genere, a patria, a pedagogis, quę omnia quędam efficientes sunt causę. A genere quidem Ilioneus apud Latinum, Phrygem Aeneam commendat, dicens,

Ab Ioue principium generis, Ioue Dardana pubes
Gaudet auo, rex ipse Iouis de gente suprema.

A doctore autem & pedagogo se commendare videtur Persius, ita Cornuto suo loquens,

Cum primum pauido custos mihi purpura cessit,
Me tibi supposui, teneros tu suscipis annos
Socratico Cornute sinu.

Sic ii quorum est artes commendare, quidlibet potius negligunt, quam earum exponere primos inuentores, vnde & illud in Ecglogis Virgilianis,

Ab Ioue principium musę. Iouis omnia plena.
Ipse colit musas, illi mea carmina curę.

Sic de arte arandi terram in Georgicis ait,

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit.

¶ Ad exhortandum quoque & increpandum non parum habet momenti hic locus, cum progenitorum exemplis propositis, vel facta tantū commemoratione honesta, ita filios vel adhortamur ad similia, vel ab iis quę genere suo sunt indigna, auocamus. Sic Virgilius ecgloga quarta, siue Saloninum siue Marcellum ad magna exortatur his versis,

Aggredere o magnos (aderit iam tempus) honores
Chara deum soboles, magnum Iouis incrementum.

Contra molles Romanos increpat Persius, dicens,

Vos o patricius sanguis quos viuere fas est,
Occipiti cęco, posticę occurrite sannę. Et rursum,
Hic neque more probo videas, neque voce serena
Ingentes trepidare Titos, dum carmina lumbum
Intrant, &c.

¶ Ad excitandum quoque misericordię affectum, flectēdosque animos, plurimum valet efficientium commemoratio. Ut est illud Didonis ad Aeneam,

Quis te nate Dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quę vis immanibus applicat oris?
Tu ne ille Aeneas, quem Dardanio Anchisę
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad vndam.

Item apud Terentium pulchre tractat Clitipho, sic matrem alloquens, Si vllum vnquam fuit tempus mater cum ego tibi voluptati fuerim dictus filius tua voluntate, &c. Sic orantes ad persuadendum & exornandum adferre solent, quicquid ad rem impetrandam possit efficere. Quomodo apud Virgilium Dido abire parantem, Aeneā desinere cupiens, interponit obsecrando quicquid illius putet animū

posse commouere.
Per ego has lachrymas (inquiens) dextramque tuamque
Per conubia nostra, per inceptos hymenęos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum, miserere domus labentis, & istam
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
¶ Nec est Poetis inutile argumentum, quod materia sumitur. Hinc
enim pigrescentem puerum Persius ita alloquitur,
Udum & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri
Fingendus sine fine rota.
Quasi dicat, Quia nūc dum modica est ętas, aptissima es materia dis
ciplinis ac moribus suscipiendis, nunc nunc formandus es & institue̅
dus ad eum modum quo figulus materiam, dum vda & mollis est for
mat pro libito. Huc pertinet, quod in Georgicis Virgilius docet ter
ras diuersas cōsiderare, quatū alię melius vites, alię foelicius segetes
proferant. Arborum quoque diuersę species diuersis in locis ac terris
foelicius prouenire, Sic enim ille canit secundo Georgicorū libro,
Nec vero terrę ferre omnes omnia possunt.
Fluminibus salices, crassisque paludibus alni,
Nascuntur steriles, saxosis montibus orni.
Littora myrtetis aptissima, denique apertos
Bacchus amat colles, aquilonem & frigora taxi.
Simile fere est, quod ex consideratione ingeniorum diuersis studiis
pueros destinamus, vt iuxta conditionem materię, idest, qualitatis in
genii, huic aut illi tradantur disciplinę. Ubi enim materia non est ido
nea frustra tentamus quicquam efficere: quemadmodum vetus ha-
bet prouerbium, Nihil inuita Minerua. Inde & vulgatum illud, Vete
rum canem difficile est loris assuescere. Et illud, A teneris assuescere
multum est. Et quod Poeta ait.
Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu.
¶ Porro, quam non negligāt formę considerationem Poetę, passim
eorum omnia indicant Vix enim curiosius aliud quam rerum formas
depingere satagunt. Ex forma & habitudine corporis, simul & ex vo-
ce Aeneas aparentem sibi Venerem, quanquam incognitam, & venato
rio habitu adornatam,
Deam tamen esse colligit his verbis eam alloquens,
O quam te memorem virgo, nanque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat, o Dea certe.
A forma quoque Aeneam pulchre Virgilius commendat, eum cor
poris decorem & habitudinem quam ex matris acceperat colloquio
ita describens,
Restitit Aeneas, claraque in luce refulsit,
Os humerosque deo similis: namque ipsa decoram
Cęsariem nato genitrix lumenque iuuentę
Purpureum, & lętos oculis afflarat honores.
Cuiusmodi exempla passim apud Poetas omnes occurrunt.
¶ Denique, a fine efficaces admodū sumuntur exhortationes & obiur-

gationes. Sic enim apud Virgilium Aeneas grauissimis iactatus casibus socios consolatur, ex fine proposito, dicens,

O passi grauiora dabit deus his quoque finem:
Per varios casus, per tot discrimina rerum.
Tendimus in Latium, sedes vbi fata quietas
Ostentant: illic fas regna resurgere Troię,
Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Hic videlicet proposito fine desiderabili, ad ea quę pro finis illius adeptione fata volebant ab illis ferri magno & inuicto animo substinenda, suos pius Aeneas exhortatur. ¶ Alloquens vero Didonem Ilioneus, dolens & indignans, post tot perpessas miserias ne tunc quidē portum quietum sibi suis que permitti, proposito omnium fine, qui est dei pro cūctis retributio, monet ab iis abstinere quę ad finem malum suos authores adducerent. Sic enim ait,

Quod genus hoc hominum, quęue hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenę,
Bella cient, primaque vetant consistere terra,
Si genus humanum, & mortalia temnitis arma:
At sperate deos memores fandi atque nefandi.

¶ A fine quoque, Persius illos qui vel in populari fauore, vel in voluptatibus corporis finem constituerent studiorum, amara irrisione increpat, dicens.

Usque adeo ne
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?

Et iterum aduersus voluptarium.

Quę tibi summa boni, vncta vixisse patella?

Iuuenalis quoque vanum Hannibalis laborem ex vano fine irridet, his versibus,

I demens, & sęuas curre per alpes.
Ut pueris placeas, & declamatio fias.

Uidelicet a fine tam vano & ridiculo, quem ait quęsisse Hannibalem tam nouo molimine, conatum irridet vanumq; comprobat. ¶ Abeffectis quoque locus non infeequens est Poeris, cuius nos vnum tantum, aut alterum exemplum proferemus. Apud virgilium Dido ab Aenea despecta, illum concludit neque patre Dardano, neque matre Venere natum, his versibus,

Nec tibi diua Parens, generis nec Dardanus author
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus hyrcanęque admorunt vbera tygres.

In argumentum sumit effecta, quę subsequuntur,

Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lachrymas victus dedit, aut miseratus amantem est?

¶ Ad eandem formam Priamus colligit Pyrrhum ante oculos suos filium sum trucidantem non fuisse verum filiū Achillis, his versibus,

At non ille satum quo te mentiris, Achilles,
Talis in honeste fuit Priamo.

Quasi dicat, non potuisse fructum tam amarum, filium tam insigniter

inhumanum, a bona arbore, a pio ⁊ humano patre progigni. Contra a filiis per hunc modum ⁊ parentes commendamus. Cuiusmodi est illud Aeneę ad Didonem,
Quę te tam lęta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuere parentes.
Sunt huiusmodi exēplis plena Poetarum carmina, pręcęteris autem quę a principe Poetarum Virgilio summo artificio sunt elucubrata, extremaque diligentia limata. Nobis vero satis visum fuit pauca ista in exemplum proponere, ad indicandum viam quandam iis quibus per ętatem vel ex professione in huiusmodi literis versari libet ac licet: vt ostenderemus dialecticos istos locos nō solū ad inutiles rixas sterilisque cōtemptiones (id quod scioli nōnulli calumniātur) conducere, imo neque ad philosophicas tantummaut scolasticas disciplinas: verumetiam ad poeticen non minimum habere momenti, atque enarrandos rite Poetas imprimis esse necessarios. Curioso autem rerum huiusmodi inquisitori data tantilla occasione, non erit difficile interim dum per latos Poetarum campos oberrat, similia multa passim annotare atque in vnum acervum, si libebit, colligere. Sed nos iam causarum locis nimium demorati, ad eos qui supersunt intrinsecos locos expediendos, ocyus transeamus.

Caput. xviii.

❡ De locis a generatione ⁊ corruptione.

Locis a causis ꝓpinqui sunt loci alii, qui appellātur a generationibus ⁊ corruptionibus atque ab vsibus. Siquidem generans ⁊ corrumpens, quędam efficiētia sunt. Vsus vero est velut finis quidam rei cuius est, cum vnaquęque res naturaliter ad vsum aliquem ordinetur. ❡ Fiunt autem ab his locis argumenta, iuxta communem modum in prędicatis bonum ⁊ malū. Fit igitur a generatione argumentū hoc modo, vt si generatio vel acquisitio cuiuslibet rei bona sit, ipsum quoque genitum monstretur esse bonum, vt in his patet exemplis. Generatio domus bona est, igitur domus est bona. Aedificatio templorum, monasteriorum, Xenodochiorum, bona est, igitur tēpla, monasteria, Xenodochia, bona sunt. Assuefactio ad virtutem bona est, igitur virtus bona est. Assuefactio ad vitium mala est, igitur vitiū malū est. Constructio prostibulorum, aliorumque huiusmodi locorum in quibus regnant vitia, mala est, igitur huiusmodi ędificia mala sunt. Scipionem Aphricanum natum fuisse, ciuitati Romanę bonū fuit. Nam (vt apud Ciceronem de Amicitia Lęlius ait) illum natum fuisse ciuitas Romana, dum erit, lętabitur. Igitur Scipio ipse Romanis bonus fuit ⁊ commodus. Cōtra vero. Catilinam natum esse ciuitati Romanę malum fuit. igitur ipse illi malus fuit ⁊ noxius. Maxime. Cuius generatio siue acquisitio bona est, ipsum quoque bonum est. Cuius generatio siue acquisitio mala est, ipsum quoque malum est. ❡ Ab hoc loco ita licebit argumentari: Christi natiuitas cęlum ⁊ terram lętificat, est igitur ipse natus cęli ⁊ terris festiuus, Speciali cultu deiparę vir- A generatione.

ginis Marię, & sancti Joannis Baptistę natiuitates honorantur, atque celebrantur ab Ecclesia, ideo speciali bonitate ac sanctitate illos natos oportet pręcellere. Unius Marię inter mortales omnes celebranda cõceptio est, quia ipsa vnica in conceptione veneranda extitit ab omni macula immunis pręseruata. Item melior est (iuxta Sapientẽ) acquisitio sapientię acquisitione auri & argenti, igitur ipsa sapientia melior est omni auro & argento. ¶ E conuerso quoque valet a genito ad generationẽ, hoc modo, Domus bona est, ędificatio igitur domus bona. Uirtus preciosior est omni auro, studium igitur & acquisitio virtutis melius est studio auri & omnium, quę possint desiderari. Quia tẽpla bona sunt, vtpote in quibus laudatur Deus docetur populus, oblationes sacrę fiunt a fidelibus, ideo eorũ constructio bona. Quia delubra & phana demonũ, scholę epheborum, aliaque huiusmodi impura loca, pessima sunt, ipsorum quoque ędificatio pessima est. Ideo in hoc benefecisse probatur Salomon, quod templum domini edificauit. In hoc autem male quod idolis vxorum suarum phana construxit prophana. Hinc dessuademus, ne castra aliaue huiusmodi fortalitia permittantur iuxta ciuitates construi: quoniã docet experientia ipsa constructa plerũque in malũ incolarũ cedere tyrannis adciuiũ oppressionem loca illa fere occupantibus. Hinc de Joanne Baptista ad patrem angelus ait, In natiuitate eius multi gaudebunt: quoniam videlicet ipse qui nasciturus erat, bonus esset futurꝰ, & vtilis omni populo, inde gaudio plena debuit esse natiuitas. ¶ A corruptione vero dum argumentũ sumitur hoc est obseruandũ, vt non idẽ in antecedẽte & consequente sumatur pędicatum, sed commutentur adinuicem, bonum malo & malum bono. Exempli gratia, Destruere idola, eorum delubra subuertere, lucosq; succidere, bonum est. (Ex his enim plerique in scriptura commendantur) illa igitur omnia mala sunt. Fures & homicidas auferri e medio, bonum est & Reipublicę expediẽs: igitur fures ipsi & homicidę Reipublicę sunt noxii. Seditiosos homines in exilium mittere, ac de ciuitatibus propellere, bonum est Reipublicę: ipsi igitur sunt Reipublicę noxii. Uirgilii mors pręmatura rei literarię mala fuit (alioqui limatiora adhuc & tersiora haberentur eius opera) ipse igitur Uirgilius rei literarię dum viueret commodus fuit. Perditio virtutis & sapientię mala est, igitur sapientia & virtus bona
» sunt. Sanctos martyres occidi malũ fuit, igitur ipsi boni erãt. Maxi-
» mę, Cuius corruptio vel perditio bona est, ipsum est malũ. Cuius cor-
» ruptio vel perditio mala est, ipsum est bonum.

¶ Ita argumentamur ex verbis domini scandalizatores pusillorũ pessimos esse & plurimum noxios: quoniam (vt ipse ait) expedit eis, vt suspensa ad collum mola asinaria mergantur in profundum maris. Si igitur eos auferri tam bonum est, vehemẽter malos & noxios esse eos est consequẽs. Sic Judę bonum fuisse dicit saluator, si natus nõ fuisset, malam indicans generationem eius, & bonam corruptionẽ vel nõ existentiã: videlicet quoniã ipse malus erat, domini sui traditor horribilissimique sceleris author futurꝰ. ¶ E conuerso quoq; valet a corrupti vel perditi bonitate, ad malitiã corruptionis, siue a malitia ad

Pro. iii.

Luce. i.

Locꝰ a corruptione.

Mat. xviii.

Mar. xxvi.

bonitatē. Si enim mali sunt ⁊ noxii fures seditiosique homines, bonū est auferri eos de medio. Si bona res est virtus, malū est eā perdere. Si melior est sapiētia auro, peior ergo ⁊ maioris dāni est perditio sapientię, perditione auri. Idolorum statuę ⁊ delubra ⁊ luci, quoniā mala sunt, dirui illa bonum est. Maxime, Si quippiam bonū sit, ipsius corrūpi vel perdi malū est. Si quippiā malum sit, ipsum corrūpi vel perdi bonū est. ¶ Hoc autem in locis istis obseruandū est, vt argumētum sumatur in iis quę per se bona vel mala sunt. Nam in his quę non per se, sed tantum per accidens siue alterius cōcomitātis gratia bona vtilia que dicuntur, non valet argumentum. Nō enim si mors Christi bona fuit, ideo ipse malus erat cum viueret. Vere enim bona fuit mors Christi, ⁊ (iuxta verbum spiritus sancti per os Caiphę pontificis prolatum) expediens fuit, vnum illum hominem mori pro gente. Verumtamen nō per se, aut sui gratia mors illa vel occisio bona fuit, sed tantū per accidens, ratione concomitantis salutis nostrę, quam per suam mortem ille fuit operatus. Adeo enim per se bonum non fuit, Christū dei filium, hominem innocentissimum ⁊ pręceptorem fidelissimum interfici, vt cęlum ⁊ terra a facie huius facinoris exhorruerint: id quod ⁊ inanimes creaturę, illo pendente in ligno, animamque agēte demonstrarunt, cum sol non daret splendorē suum, moueretur terra, atque etiam petrę scinderētur durissimę. ¶ Similiter male colligit, qui lupanarium, aut prostribulorum constructionem vt bonam commendarit, ex eo quod ipsa per accidens bona sunt ⁊ commoda. Non enim per se bona sunt lupanaria, quoniam nihil in illis boni geritur, ⁊ quicquid illic tractatur, detestandum est. Sed per accidens bona dicuntur, quatenus per ea multę euitantur honestarum virginum deflorationes ⁊ oppressiones: dum in illis ardens libidine iuuētus, feruorem ⁊ furorem suum extinguit, quem alioqui periculum erat ne in virginem aliquam aut ciuem honestam subinde effunderet.

Joan.xi.

Mat.xxvii.

Caput.xix.

¶ De loco ab vsibus.

Ab vsu autem rerum est argumentum, ⁊ frequens ⁊ vtile: dum ex vniuscuiusque rei vsu, ipsius bonitatem aut malitiam inquirimus. Quod enim bonum habet vsum, id bonū esse probatur. Quod vero vsum malum habet, id similiter malum esse euincitur. Interdum autem fit inquisitio de tota specie vel toto genere, interdum de singularibus indiuiduis. ¶ Exempli gratia, si quęratur, Num bona res sit vinum, quo tam multos videmus corrumpere naturam bonam, dicimus, bonum esse vinum: quoniam bonum habet vsum nempe cor hominis lętificare, ⁊ animos mœrentes, atque deiectos erigere. Hunc enim verum esse ⁊ naturalem vini vsum, testantur Dauid pater ⁊ filius Salomon. Ille quidem canēs vinū exhilarare cor hominis: hic vero, cōsulens vinum dari iis qui amaro sunt animo, vt obliuiscātur doloris sui. Iuuat quoque lassatū stomacū, ⁊ infirmitatib⁹ multis

Locus ab vsibus.

Psal.ciij.

Prou.xxxi.

i. Ti.iii. succurrit, quemadmodum Paulus Apostolus Timotheo scribens
indicat, modico vino vtendum illi suadens, propter stomachum ⁊ fre
quentes ipsius infirmitates. Ita colligimus equum bonum esse, quo
niam vsum multiplicem habet bonum valde ⁊ commodum, nimirum
ferre sessorem, siue in bello, siue ad negotia, currum trahere, aratro
terrā proscindere, aliaque huiusmodi. Similiter asinus bon⁹ est, quo
niam bonū habet vsum, nempe onera ferre ad commodum domini.
Ita omnes res simpliciter bonas esse probamus, ⁊ nihil creatorū om
nino malum: quoniā quicquid a deo creatū est, aliquem habet bonum
vsum, illa quoque quę videntur esse vilissima, ⁊ in genere creatorum
despectissima. Omnia enim huc seruiunt, huncque vsum habēt, vt deū
in sua essentia laudent, hominique Diuinam in se ⁊ potentiam, ⁊ sapiē
tiam ⁊ bonitatem commonstrent. Sic Paulus Apostolus concludit
Titum. iii. non esse contendēdum verbis: quoniā ad nihil vtile id est, nisi ad sub
uersionē audientium. Item prophana ⁊ vaniloquia esse deuitāda: quo
niam multum proficiunt ad impietatem. Item stultas quęstiones ⁊ ge
nalogias, ⁊ contentiones, ⁊ pugnas legis docet esse vitādas quoniā
inutiles sint ⁊ vanę. ¶ Interdum vero fit comparatio indiuiduorū se
cundum speciem vel genus sub quo sunt posita. Vtcum quęritur num
hic sit bonus equus, aut hęc bona vacca. Tunc vero vsum illi⁹ speciei
peculiarem considerare debemus: ⁊ si bonum habeat huiusmodi vsum
id quod proponitur, bonū esse probatur: sin malum, malum. Exemplū
gratia: bonus equus est iste, si bene ferat sessorem, aut bene currū, siue a
ratrum trahat, aut aliquid eorum officiorum, quę per equos fieri soli
ta sunt recte perficiat. Si vero nullū illorū bene impleat, malus equus
dicitur. Sic dicitur bonus asinus, qui bene fert onera. Bona vacca, si
bene vitulos procreet ⁊ alat, lacque bonū ⁊ multum prębeat: Bonus
dicitur canis, si bene latrat aduersum nocturnos fures: Bonus murile
gus, si bene mures capiat: bon⁹ culter, si bene scindat: bona vestis, si be
ne tegat caloremque foueat: bonus liber, si dicentem bene erudiat, at
que ita in cęteris. Sic in Euangelio Dominus ait, bonum esse sal, si
Luce.xiiii. non euanuerit, vt vsum suum habeat, qui est salire carnes, ⁊ a corrup
Matth.v. tione seruare. Si autem euanuerit, vt ad nihilū vltra valeat, iā non vl
tra bonū esse, sed mittendū in sterquilinium. Ita in Euangelica parabola
de arbore fici dicit paterfamilias, Ecce iā trib⁹ annis quęro fructū in
ficulnea, nec inuenio. Succide ergo illam, vt quid etiā terrā occupat?
Maxime, Cuius vsus bonus est, ipsum quoque bonū est. Cuius vsus
malus est, ipsum quoque malū est. ¶ Duo autē hoc in loco sunt obser
uanda. Primū est, vt in iis quę per se bonū aut malū habēt vsum argu
mētemur. Non enim sequitur, Peccati vsus aliquo modo bonus est,
igitur peccatū bonū est. Scandalorū vsus bonus est per accidens, igi
tur scandala bona sunt. Tyrannorum vsus bonus, igitur ipsi boni sunt
verum est enim peccati vsum bonum esse, nō quidem per se, cum in ra
tione peccati nihil possit inueniri habēs rationē vtilitatis, sed per ac
cidēs, quatenus deus ipso nouit ad bonū finem vti, quēadmodum te
statur beatus Augustinus, adeo bonū esse deū, vt mala fieri nō permit
teret, nisi inde nosset maiora bona elicere. Si scādalorū per accidēs est

bonꝰ vsus, quatenus per ea electi exercitantur, ⁊ ad coronā pręparā tur. Propter quod dicebat in euāgelio Dominus, Necesse est vt veniāt scādala. Sic ⁊ tyranni iustorūqꝫ oppressores, per accidens bonū habent vsum. Non tamē ista simpliciter bona dicenda sunt, sed simpliciter mala. Uerantamē si proprie loquamur, non tam ille bonus vsus est rerū malarum, quā dei boni, qui malis sic vti nouit. Peccatū enim ipsum quidem in se nullū habet vsum ad bonū. Deus autē in se habet quomodo illo ad bonū vti possit, videlicet ad suę iustitię gloriā aduersus illud demonstrandā. ¶ Deinde est cautissime aduertēdum, ne pro vsu abusus sumatur. Locus enim ab abusibus sophisticus est. Non enim valet argumentum a rei abusu malo, ad malitiā rei illius, sed verus vsus accipi debet. Unde si quis ita in detestationē vini argumentetur. Inebriari, lasciuire, luxuriari, insanire, mala sunt, igitur vinum est malū; quoniā illa omnia ex vino procedunt, ⁊ ad hoc vino vtūtur plerique homines. Mendose colligit, qui ita infert, Non enim ab vsu vini argumentatur, sed ab abusibus. Uerus enī vsus vini non est inebriari, lasciuire, luxuriari, ⁊ huiusmodi: sed (vt supra diximꝰ) cor hominis honesta ⁊ moderata lętitia reficere, corporisqꝫ robur sustētare, et releuare siquādo deiici cęperit. Est enim verus vsus vniuscuiusqꝫ rei officiū ad quod a deo facta est, vel id ad quod ab initio instituta est. ¶ Ita nō sequitur, si malum est sine causa interficere, ob hoc malum esse gladiū, quoniā gladii est ille abusus. Uerus autē gladii vsus est aduersus hostes se tueri, aut nocētes punire, quemadmodū ait Apostolus, gladiū portare iudicē, vt vindictam inferat male agētibus. Neque sequitur, malā esse eloquentiam aut malū ingenii acumen, quoniā pleriqꝫ per ingenii acumen hęreses, erroresque confingūt, aut per eloquētiam seditiones, aut schismata generāt. Qui enim in his expēdūt eloquentiā, fontemqꝫ ingenii, nō ita vtūtur, sed abutuntur illis, quę alioqui verū vsum bonū habent. Huiusmodi tamen argumentis ab abusu desumptis, mirū quanta impudentia pleriqꝫ nostrę huius tēpestatis homines, sacra atqꝫ prophana, humana ⁊ diuina omnia infament, tantū non cęlum terrę cōmiscentes, res per se bonas ⁊ saluberrimas institutiones, ex sola abusuū consideratione dānantes, execrantes, pedibꝰ conculcāte. Hinc enim sanctissimum Christi sacerdotiū contēnunt, quod nōnulli videantur illo ad voluptatē aut quęstū abuti. Monachatum item, quod eo ad hypocrisim multi abutantur. Pontificum dignitatē ⁊ pręcellentiā, quod multi eorū ad ambitionem illa abutantur. Sic virginum conuenticula dānant, clerum omnē execrātur. Diuinorum cultuū ceremonias, sanctorū cultuū, imaginum vsum in Ecclesiis, aliaque huiusmodi. Quasi vero quicquā sit tā bonū in rebus humanis quo nō abuti possit humana malitia. Quid enī verbo Dei magis sanctū, magis augustū, magis venerandū? Et hoc quā multi pessime abutuntur? Quid Dei lōganimitate melius? Et illa (vt ait Paulus) peccatores ingrati impudenter ⁊ improbe abutuntur ad cumulum damnationis, thesaurizantes sibi iram in die iudicii. Quid scripturis sacris magis vtile? Et illis diabolus (vt Mattheus testatur) ad tentandum Christum abusus est, atque etiānum multi illius imitatores (vt

Marginal notes: Mat. xviii. Luce. xvii. — Ab abusu non valet argumētu. — Roma. xiii. — Roma. ii. — Matt. iiii.

Petrus Apostolus de Paulinis epistolis peculiariter ait) eas deprauāt ad suam atque aliorum perditionē. Denique, quid ipso vero corpore & sanguine Christi filii Dei præstantius potest cogitari, quod Paulus a multis testatur sumi in dānationem? ¶ Facessant igitur sophistæ isti, cum suo illo splendido loco ab abusibus: desinant que miseri iudicio atque adeo sensu ipso cōmuni carētes res per se optimas sine causa præter ius & equū, atra notare infamia: magis autem ex vsu bono, vt debent, singula discant cōmendare. Aut si omnino ab abusibus argumentari voluptati illis est, si ita illis libet, & ita decretum est, accedāt huc ad pulpitum proterui pueri, & discant, quomodo ab illo suo loco quem omnino deserere nolunt, recte argumentari debeant. A malo, inquā abusu, damnent non rem illam cuius est abusus, sed homines ipsos, qui rebus ex se bonis, sua malitia abutuntur. Ita non mendose, sed vere colligent, multos monachorum malos esse & detestandos, quod monachatu, re bona & pia abutantur ad hypocrisim, ad questum ad ambitionem, aliaque huiusmodi. Ita dialectice colligent, multos clericorum damnandos esse, qui in clericatu diuitias queritant, mensas opiparas & vitam deliciis plenam: atque ita in ceteris. Sic argumentantes ab abusibus malis, ad abutentium malitiam suscipiemus illos libenter, donec autem rerum quarum est abusus malitiam ex abusibus colligunt, ridebūtur suauiter, & tanquam sophistę perniciosi exsibilabuntur cum ignominia.

¶ Contra locum ab vsibus sic arguitur.

Argu. pri. ¶ Primo. Secare est bonum, ergo securis est bona, est à causa finali, ergo non ab vsibus.

Argu. ii. ¶ Secundo. Non sequitur, Deū pœnituit, ergo deus peccauit.

Ad primū. ¶ Ad primum dico, Quod secare potest cōsiderari dupliciter vno modo vt est in intentione, & sic est finis, alio modo, vt est actualis operatio, & sic est vsus.

Ad secūdū. ¶ Ad secundum respondetur quòd Deus se habuit per modū displicentiæ, sed sibi nō displicuit propter peccatū, cum ipse non cōmiserit peccatum, & sic Deus non pœnituit. Et si dicatur, ipse dicit, Pœnitet me fecisse hominē, dicēdū q; se habuit per modū displicētiæ, vt iā dictum est, & aliâs patuit ad longū.

Caput. xx.

De loco a communiter accidentibus.

Locus a cōmuniter accidentibus. AD causas quodāmodo pertinent etiā illa quę appellātur cōmuniter accidentia, non quod causę sint alterū alterius, sed quia fere ex eadē causa, vel radice procedunt, & quia ad eandē causam redu-

cuntur, aut certe sic se videntur habere vt causa & effectus vel vt effe-
ctus, vnius tertię causę, ex eo quod vnum sequitur ad alterum, eo mo
do quo effectus sequitur causam. Dicimus autem cõmuniter acciden
tia illa quorũ alterum vel semper, vel vt plurimum ad alterum sequi-
tur. Intelligimus autẽ hic sequi secundum consequentiam, ita vt vno
posito alterum poni sit consequens. Unde id quod infertur ex altero
sequi dicitur ad illud, etiam si secundum tempus pręcedat. ¶ Ubi sciẽ
dum est inter cõmuniter accidentia quędam inueniri secũdum prius
& posterius, id est, quorũ vnum tempore pręcedit, alterũ subsequitur.
Ut in arbore prius est frondere, quam florere, prius item est florere
quam fructum proferre. In vite prius est gẽmas turgentes emittere
q̃ folia, ac prius folia dare quam botros. Sic in muliere prius est cõ-
cipere, posterius parere, vel in mãmillis lac habere, prius item cum
viro coniungi, quam concipere. Sic & peccare prius est quam pęnite-
re, & sapere prius q̃ desipere, & hoc rursum prius est quam resipisce-
re. Sic iuuenẽ esse prius est quam senescere, & viuere prius quam mo
ri, & operari prius est quam cessare ab opere. Stare itẽ prius est quã
cadere, & cadere prius quam resurgere. Fuisse quoq; in gradu non sta
bili prius est quam cadere, & ita in cęteris. ¶ In his omnibus manifes-
tum est vnum non esse alterius causam, vnũ tamen ad aliud consequi,
vt ipsius arboris frõdere, nõ est causa fructuum, neque productio gẽ
marum in vite, causa est productionis vuarũ. Item ipse conceptus nõ
est causa (proprie loquendo) partus, nec peccatum est causa ipsius pę-
nitentię, nec vita ipsius mortis, & ita in reliquis. Est tamen inter ea ta
lis cohęrentia, vt post alterum secundũ tempus sequatur alterũ. Ue-
rum non idem est quod secundũ tempus sequitur, & quod secundum
vim illationis aut consequẽtię, plerunque enim quod tempore pręce
dit, sequitur secundũ consequentiã, non econtrario. ¶ Unde in his cõ
muniter accidentibus, argumentandũ est affirmatiue, a positione po-
sterioris secundum tempus, ad positionem prioris, hoc modo, arbor
ista floret, igitur fronduit. Fructũ habet, ergo flores & frõdes habuit.
Uinea ista botros profert, igitur floruit. Floret, igitur fuit gẽmis tur
gida. Mulier ista peperit, igitur cõcepit. Habet lac in huberibus, igi-
tur virginitatẽ perdidit. Ita sequitur, Hic homo cecidit, fuit igitur
nõ stabili gradu: iuxta illud Boetii, Qui cecidit, stabili nõ fuit ille gra
du. Maxima. Cõmuniter accidentiũ si posterius est, prius fuisse neces
se est. ¶ Ecõtrario valet negatiue a priori ad posterius, hoc modo,
Arbor ista nõ floruit, nõ igitur faciet fructũ. Mulier ista non cõcepit,
non igitur peperit. Nõ est viri ista hęc puella, neque igitur lac habet in
vberibus. Maxima. Cõmuniter accidentiũ si prius non fuerit, nec po
sterius erit. Huiusmodi argumẽtis vti videtur Apostolus, cum Roma Roma.x.
nis ita scribit de euangelii fide & prędicatione, Quomodo, inquit, in
uocabũt in quẽ non crediderũt? Quomodo autẽ credent in eum, quẽ
nõ audierũt? Quomodo autẽ audient sine predicãte? Quomodo prę
dicabũt, nisi mittantur? Prius enim est, mitti prędicatores, deinde prę
dicari, deinde audiri a prędicatoribus, post hoc fidẽ haberi prędicãti-
bus, postremo vt inuocetur is qui prędicatus est. ¶ Affirmatiue autẽ

a priori secundũ tempus ad posterius, nequaquã valet argumentum:
nec item negatiue a posteriori ad prius. Non enim valet hęc conse-
quentia, Arbor ista floruit, ergo fructum habebit cum sępe floreant ar
bores, nec sequatur fructus. Item non sequitur. Hęc mulier cõcepit,
igitur pariet: cum frequẽter dissipetur post conceptũ fętus in vtero.
Negatiue item a posteriori non valet, Hęc mulier nõ peperit, igitur
non cõcepit. Non habet in mamillis lac, igitur non est cõmixta viro.
Neque consequens est, si hic non pęniteat, ob hoc eum non peccasse:
cum multi peccent, qui de peccatis nunquã agũt, neque sunt acturi pę
nitentiã. ¶ Et hęc quidẽ quę diximus, ita semper eueniunt, id est, sem-
per alterũ sequitur alterum, neque secundũ naturam inuenitur vnquã
defectus. Sunt autem quędam quę licet non semper, & omnino infal-
libiliter, tamen frequenter admodum & vt plurimũ se consequuntur:
ex quibus proinde etiam Dialectica sumuntur argumẽta. Nam Dia
lecticus non solum certa & infallibilia, sed etiam verisimilia quęrit.
Exempla sunt huiusmodi, Bacchanalia hodie celebrantur aut tẽpli
encęnia, igitur multi inebriabuntur, & vulnerabuntur nonnulli. Ad
conuiuium istud vocati sunt plures diuersarum nationum, ac gentiũ:
erit igitur contentio & tumultus. Aura est grata & amęna dies, multi
igitur a prandio deambulabũt. Aura est ingrata, & plenum pluuia cęlũ
igitur pauci ad encęniorum festa conueniẽt. Pax est vbiq; terrarum,
erit igitur omnium rerũ copia. Bellum instat, igitur erit annonę cha
ritas. Fames fuit valida, pestis igitur grauis sequetur. Hic homo mo
Eccle. iiii. litur quippiã magnę industrię, igitur patebit hominũ inuidię, iuxta
illud Ecclesiastis, Omnes labores hominũ & industrias animaduerti
patere inuidię proximi, Itẽ, Hi duo vicini eiusdẽ artis & quęstus sunt
& fere ex ęquo cõcertant, igitur sibiinuicẽ inuident, iuxta vetus illud
prouerbiũ, Figulus odit figulũ. Ista quidẽ sic cõmuniter accidunt, & se
vt plurimum cõsequuntur, non tamẽ omnino infallibiliter & necessa-
rio. Potest enim casu aliquo euenire, vel ex certa causa, vt aliter ali-
quando contingat, nimirum vt priore posito, non subsequatur poste
rius. ¶ Huiusmodi fere argumenta sunt omnia illa quę a naturalibus
Matt. xvi. signis sumuntur. Quale est illud quod saluator in Euangelio ad Iu-
Lucę. xii. deorum confusionem protulit, dicens. Facto vespere, dicitis, Sere-
num erit, rubicundum est enim cęlum. Et mane. Hodie tempestas, ru-
tilat enim triste cęlum. Et iterum. Cum videritis nubem orientem ab
occasu, statim dicitis, Nymbus venit, & ita fit. Et cum austrum flantẽ
dicitis, quia ęstus erit, & fit. Hęc enim argumẽta sunt a cõmuniter acci-
dentibus. Item quod alibi ait de arbore fici. Cum iam ramus eius
tener fuerit, & folia nata, scitis quia prope est ęstas. Sic per tempus
hyemis argumentamur, ex stellis per noctem lympide lucentibus, ge-
lu postridie futurum & frigus vehemens. Aestatis tempore ex rana-
rum suaui concentu & coaxatione vnanimi sub tempus noctis, argui-
mus noctis & diei subsequentis serenam suauitatem. Ex apparẽte ma
ne caligine, & per solem dissipata, arguimus serenum diem illum futu
rum. Sic ex variis signis, agricolę arguunt annorum fertilitatem aut
sterilitatem, et ex indiciis quibusdam in quibus aut animalibus

ęteris consideratis, qualitatem aurę probabili ęstimatione nouerūt coiicere. Similiter ⁊ naurę aeris dispositionē, ex aspectu vetorum et nubiū, aut etiā ipsius maris coiectant. ¶ Pertinere huc itē videntur argumēta, quibus corporū animorūq; ex corpore dispositionē ⁊ inclinationē, ex lineamētis mēbrorū, ⁊ forma atq; habitudine corporis inquirim⁹, quod ad artē physiognomię aut metoposcopię pertinet. Ut cum argumentamur, hunc adolescentē esse boni sensus ⁊ bene ingeniosum, quod frontem habeat quasi cornutam ⁊ bonū sinciput: aut bonę memorię, quod occiput habeat amplum. Stolidū esse quēpiam eo quod aures habeat velut asininas, nimiū magnas ad propensionē capitis: aut fatuellū eo quod nimis modicas habeat: Timidum ⁊ formidolosum ex oculis magnis ⁊ prominentibus, ac velut ad albedinē tendentibus: aut astutū ⁊ calidū ex oculis paruis ⁊ interne latitantib⁹. Sic ex naso aquilino magnanimitatē argutmur, ex adunco ⁊ depresso fere auartiam, ex oris nimia latitudine inuericūdiā ⁊ effusum animū, ex eius nimia angustia, nimiam erubescentiā ⁊ animum secretum. Ita ex latis humeris fortitudinem, ex collo oblongo pectoris debilitatē colligimus. Sic ex crinibus, ex vnguibus, ex digitis, ⁊ omnino ex singulis membris argumenta sumuntur satis verisimilia, maxime vbi plura horum simul consenserint. Opus enim est in huiusmodi ad multa considerare, ⁊ non tantum membrū vnicum, vt firmior sit illatio, ⁊ tutissimum fuerit corporis ipsius totā diligenter considerare habitudinem, quemadmodum de Pythagora legimus, quod adolescentes ad se discēdi causa veniētes ephysiognomei, id est, ex vultus ⁊ oris ingenio, totiusque corporis habitudine explorabat, num a capiendas disciplinas essent idonei. Et proprie quidem hi appellātur physiognomi, qui ex totius corporis figura ⁊ habitudine conficere norunt inclinationes ⁊ mores hominum, ii vero qui ex facie tantum indi. ant metoposcopi appellātur, a po tuscopein to metopō, id est, a frōte considranda. ¶ Huiusmodi autem argumenta non omnino necessaria ⁊ cogentia, probabilia tamen atque suadentia peculiariter tcota appellantur, id est, probabilia comparatione ad conclusionem quę infertur ex ipsis. Priora vero illa quę necessario ⁊ perpetuo inferunt suū consequens signa peculiariter appellantur. Quę quidē signa Fabius Quintilianus negat argumenta esse appellanda., eo quod nihil relinquant dubitationis, sed plenam adferant conclusioni certitudinem. Uerum hac in parte aduersatur illi Rodolphus Agricola, dicens tanto magis ea esse argumenta, quanto maiorem de re dubia fidem faciunt. Siquidem ab arguendo siue probando supra diximus argumētum denominari. ¶ Sunt autem alia quędam improprie cōmuniter accidentia dicta, quorum vnum interdum quidem sequitur alterum, non tamē vel necessario, vel vt plurimum, sed vel rarius vel indifferenter interdū sequitur, interdū non sequitur. Ab his non recte ducitur argumentū Dialecticū, sed sophisticū, ⁊ suspicio incerta melius quā probabilis opinio hinc nascitur. Ut si quis colligat, hunc iuuenē adulterū aut fornicatorē esse, eo quod cōptior sit ⁊ ornatior habitu ac facie. Plurimi enim se comūt ⁊ ornāt, qui tamen a vitio adulterii aut fornicationis

sunt alieni. Itē siquis nimium zelotypus colligat, vxorē cum alio viro habere negotiū, quod semel illā viderit cum alio loquentē, aut alteri arridentē. Aut siquis pauperē videns ad hostiū per rimas prospectantē, colligat furē illum esse, & furtū animo meditari. Possunt tamen huiusmodi suspitiones tam multę simul adferri & tam multa, huiusmodi in vnū argumentū coaceruari, vt vel necessariū vel probabilē efficiant illationē. Vt siquis colligat, Hic homo cū eo qui nunc occisus iacet hoc ipso die iurgatus est, opprobria accepit, dissimulauit dolorē, domum recta abiit, inde mox gladiū retulit sub veste abscōditum, quē gestare non solet: visus est deinde ad locum properare vbi cędes parata est, vulneratus quoque rediit, vulneris certū aliquē authorem nescit designare: probabile igitur est, occiso isti hūc fuisse mortis authorē. Sic apud Terentiū Chremes, ex multis signis simul coacervatis, acute colligit Bacchidem filii sui Clitiphonis amicam esse, quod in cubiculū lectus sit allatus, quod ingressi pessulū ostio obdūt, &c. ¶ Possunt vero ad hunc locū a cōmuniter accidētibus reduci argumenta illa, quę a prodigiis, monstris, aut portentis sumuntur. Vt cum argumētamur ex cometa aut alio aliquo portēto, magni mali aliquid vel patrię vel principi imminere. Quemadmodū in libro Ma-
ii. Mac. v. chabęorū, visis armatis equitibus per aera discurrētibus, atque per ordines suos cōcurrētibus, colligit populus, noui & magni quippiā imminere. Propter quod omnes rogabāt in bonū monstra cōuerti.
ii. Mac. xv. Rursum ex viso nouo Iudę Machabęi quo conspexit, Oniam pro populo deprecantē, ac Hieremiā sibi gladiū aureum de cęlo porrigētem, in quo aduersarios deuinceret, certā spē colligit vniuersus exercitus futurę victorię. Ita & apud Virgilium Aeneas fugiendū e loco concludit, audita harpyię voce, & Anchyses Thracia excedendum colligit vno ab Aenea prodigio, cum arborē e terra euellens ex radicibus atrum cerneret cruorem defluere. Plura huiusmodi colligit Valerius Maximus, capite de prodigiis. Solent autem prodigia ipsa, sua quadā qualitate indicare, quale illud sit quod expectatur consequens vt pote si horrorē pręferat portentum, horribele colligitur futurum quod expectatur consequens. Si autem festiuum & lętum fuerit prodigium, lętum expectatur consequens. Possunt quoque & huc reduci gentilium auguria, auspicia, aruspicia, & alia diuinationum genera. Verum ea Poetis magis vsui sunt, quam dialecticis, qui non nisi certa aut vt minimum probabilia quęrunt argumenta: cum Poetis sat sit aliquid inuenire, etiā si falsum omnino & improbabile, quod fictionibus adornent Poeticis.

¶ Contra locum à comuniter accidentibus arguitur.

Regu. pri. PRimo. Christus nō deliquit, & tamē pœnituit, cū peccata nostra in corpore suo portauit super lignū, pœnitere enim est pœnā tenere, ergo in his nō valet cōsequētia negatiuē.

¶ Secundo. Deum pœnituit q̄ hominem fecisset, ergo Deus deliquit quod est falsum. Argu.ii.

¶ Ad primo respondetur, quòd licet Christus pœnam peccatorum portauerit, non tamen pœnituit propriè loquendo, pœnitētia enim propriè, est dolor voluntariè assūptus pro peccatis à se cōmissis, dicitur tamen aliquis pœnitentiā agere pro delicto alterius, extenso nomine pœnitentiæ. Ad primi.

¶ Ad secundum dico, quod est loquutio metaphorica, dicimus enim deum pœnituisse, quia ad modum pœnitentis se habuit delendo opus quod fecerat. Ad secūdū.

Caput. xxi.

¶ De loco a relatiue oppositis.

Post locos intrinsecos omnes tam a substancia quam a concomitantibus substantiam determinandi sunt loci qui appellantur extrinseci, inter quos primum occurrit locus ab oppositis. Qui locus in alios quatuor subdiuiditur, secundum quatuor oppositionis species. Sunt enim quatuor oppositorum genera, secundum quę etiam quatuor loci differentes sumuntur, nempe locus a relatiue oppositis, locus a contrarie oppositis, a priuatiue oppositis, & a contradictorie oppositis. Que autē dicātur opposita, & quomodo singulę hę oppositionum species ab inuicē differant, copiose dictū est libro secundo, in tractatu de postpredicamentis. Nunc autē dicendū quibus modis in singulis harum oppositionum sit argumētandum. Hoc autē generaliter in omnibus verū est, ab affirmatione vnius oppositorū ad alterius negationē valere argumentū. Nimirū de ratione oppositiōis hoc est, vt simul de eodē dici nō possint quemadmodū ex definitione oppositionis constat. Est enim oppositio terminorū aliquorū repugnantia. Non pugnāt autē, quę simul eidē conuenire possunt. In omnibus ergo oppositis ab vnius affirmatione valet argumentū ad negationē alterius iuxta hāc maximā omnibus generalē, De quocūque affirmatur vnū oppositorū, de eodē negatur alterū. ¶ In relatiue oppositis hęc sint exēpla, Anchises pater fuit Aeneę, igitur non fuit eius filius, Pyrrhus fuit Achillis filius, igitur non fuit pater eiusdē, Maria est Annę filia, non est ergo mater eiusdē. Ubi obseruandi sunt particulę, ad idem & secundum idem. Non enim simpliciter sequitur, Hic est pater, ergo non est filius omnino alicuius, sed inferri debet, Igitur non est eiusdem filius, eius videlicet cuius dictus est esse pater. Neque sequitur, Dauid est pater Christi, igitur non est filius eius. Secundū nanque diuinitatē, dicitur Dauid filius Christi: secundum humanitatē vero, eiusdem pater dicitur. Recte tamen sequitur si pater Christi est Dauid, non secundum idem eum esse eiusdem filium.

De locis ab oppositis.

De loco a relatiue oppositis.



Similiter non sequitur, Hic homo est illi prelatus aut illo superior, igitur non est eidem subditus aut eodem inferior. Potest enim eidē homini quis esse in aliquo prelatus, in alio subiectꝰ, in vno superior ⁊ dignior, in altero inferior ac minus dignus. Qua de re apud Aulū Gel. in noctibus Atticis iucunda inter patrem ⁊ filiū legitur concertatio. Seruata autem particula secundum idem valet illatio. Ceterū ab vnius negatione ad alterius affirmationem non valet. Non enim si ego tuus pater non sim, ob hoc filius tuus ero. Neque enim pater tuus sum neque filius. ¶ Sub hoc autem loco alius notatur nomine quidem similis, non tamen re idem, nec eundem argumentandi modū habens, qui dicitur locus a relatiuis. Aliud enim sunt relatiua, aliud relatiue opposita. Relatiua dicuntur cum simpliciter sumuntur sine comparatione ad idem. Ut pater ⁊ filius, dominus ⁊ seruus, prelatus ⁊ subditus. Relatiue autem opposita proprie dicimus quando comparatione ad idem assignantur, hoc pacto, pater ⁊ filius eius: dominus ⁊ seruus eius, prelatus ⁊ eius subditus. Quidam etiam adiectum volunt pronomen demonstrans hoc modo assignantes relatiue opposita: pater ⁊ hic suus filius, dominus ⁊ hic seruus eius. Uerum si nimiū videtur restringi alterum oppositorum, ⁊ speciei vel generi assignatur pro opposito indiuiduum, quod parum conueniens videtur. Unde prestat in generali absque demonstratione assignare relatiue opposita, ⁊ particulam tantum subintelligere, secundum idem. Illa enim intellecta, non erit querimonia, id quod in libro secundo ex Boetii sententia comprobauimus. ¶ Ex hoc autem loco a relatiuis, procedimus ab vnius positione ad positionem alterius, atque item ab vnius negatione ad negationem alterius. Ut si pater est, filius est, ⁊ econtrario: si dominus est, seruus est, ⁊ econtrario. Ac rursum si non est dominus, non est seruus: si nō est pater nō est filius. Maxime, Posito vno relatiuorum, ponitur ⁊ alterum. Ablato vno relatiuorum, aufertur ⁊ alterum. Non in omnibus tamen relatiuis generaliter valet hic modus argumentandi. In iis enim quorum alterum significat cū ampliatione aliqua, non valet. Non enim sequitur, Prius est, igitur posterius est, Scibile est, igitur scientia est. Sensibile est, igitur sensus est. De his autem plenius dictum est libro secundo, in tractatu de ad aliquid, circa proprietatem illam. Ad aliquid dicuntur simul esse natura. Sub hoc loco cōprehenditur modus argumētandi a verbo actiuo ad passiuum. Joannes percutit Petrū, igitur Petrus percutitur a Joāne. Herodes interfecit Joannem, ergo Joānes interfectus est ab Herode. Et item econtrario a verbo passiuo ad actiuum. Christus a Pontio Pilato damnatus est, igitur Pontius Pilatus Christum dānauit. Uel sic absque expressione nominum, Est qui percussit, igitur ē percussus. Calefaciens est, igitur ⁊ quod calefit. Ex libro enim predicamentorum manifestum est agere ⁊ pati adinuicem esse relatiua.

De loco a relatiuis.

¶ Contra locum à relatiuè oppositis arguitur.

¶ Primo

¶ Primo. Antecedens & consequens sunt relatiua inter se, cū in omni loco sit habitudo termini inferentis ad terminum illatum, ergo iste locus non distinguitur ab aliis, cum in omni loco reperiatur talis habitudo. Argumē. i.

¶ Secundo sic. Sortes est pater hominis, ergo non est filius hominis, seu eiusdem hominis, tamen arguitur à relatiuē oppositis, ergo modus insufficiens. Argu. ii.

¶ Tertio sic. Christus est filius Dauid, ergo non est pater eius. Argu. iii.

¶ Confirmatur. Pater in diuinis est pater Christi secūdum diuinitatem, ergo non est pater eius secundum humanitatem. Confirma.

¶ Ad primum respondetur quòd licet in omni loco sit habitudo termini inferentis ad terminum illatum, non tamen termini substracti seu materialiter sumpti, vt hō & animal sunt relatiua quod requiritur. Ad primū.

¶ Ad secundum, concedo sequelam respectu diuersorum, sed nego respectu eiusdem. Ad. ii.

¶ Ad tertium concedo quòd Christus est filius Dauid secundum humanitatem, & secundum eandem non est pater eius, sed bene secundum diuinitatem. Ad. iii.

¶ Et ad confirmationem concedo antecedens, & distinguo cō sequens. Vel intelligis quòd non est pater eius naturalis, & sic concedo: vel quòd non sit pater eius adoptiuus, & sic nego Est enim pater eius naturalis secundū diuinitatē, & adoptiuus secundū humanitatē. Ad confir.

Caput. xxii.

¶ De locis a contrariis.

Ex loco autem a contrariis sic argumentamur, ab vnius affirmatione ad alterius negationem. Hic paries est albus, nō igitur est niger. Hęc aqua est frigida, non igitur est calida. Hic homo est humilis, igitur non est superbus. Hic adolescens probus est, non igitur est improbus. Liberalis est, non ergo auarus: sanus est, non ergo ęger. De loco a contrariis.

A negatione autem ad affirmationem, non item in omnibus valet. In contrariis quidem mediatis non valet. Non enim si pannus iste albus non sit, ob hoc niger erit: quoniam potest esse neque albus neque niger, sed aliquo colore medio coloratus, vt pote vel glaucus vel rubeus, vel cineritius. Item non sequitur, Hic homo non est temerarius, est igitur pusillanimis. Non est prodigus, ergo auarus: quoniā potest quis esse neque temerarius neque pusillanimis, sed magnanimus medium obtinens. Potest item quis nec prodigus esse nec auarus, sed li

beralis. ¶ In contrariis autē immediatis valebit, donec accipias subiectū susceptibile. Ut si animal quodlibet nō est sanum, est ęgrū, & si nō est ęgrum, sanum erit. Item si corpus aliquod mixtū vel elemētare nō est graue, leue sit necesse est. Non enim inter hęc est dare mediū, Signanter vero dictum est, donec accipiatur subiectum susceptibile. Nō enim sequitur, Lignum non est sanum, igitur est ęgrum, aut ecōtrario quoniam videlicet lignum non est subiectū susceptibile sanitatis, aut ęgritudinis. Quę autem dicātur contraria mediata, & quę immediata ex post prędicamentis relinquimus manifestum.

¶ Contra locum à contrariè oppositis arguitur.

Argu. i. ¶ Primo. Lignum non est sanum, ergo lignum est ægrum. Est locus à contrariis immediatis, tamen ex vero sequitur falsum, ergo modus arguendi insufficiens.

Argu. ii. ¶ Secundo. Adam non est sanus, ergo Adam est æger. Antecedens est verum & cōsequens falsum, ergo mod^9 arguēdi nullus.

Argu. iii. ¶ Tertio. Scutū pro media parte album, & pro altera nigrum non est album, tamen non sequitur quód sit nigrum.

Argu. iiii. ¶ Quarto sic, Sortes fuit albus, ergo nō fuit niger, posito quòd in vna parte tēporis pręteriti fuerit albus, & in alia niger. Antecedens est verum & consequens falsum.

Argu. v. ¶ Quin. Inter omnia cōtraria est dandū mediū, ergo malè dicitur quòd inter contraria immediata non est dandū mediū.

Argu. vi. ¶ Sexto. Hæc oratio homo albus non est affirmatiua, ergo est negatiua. In omnibus his datur antecedens verum & consequens falsum, ergo modus insufficiens.

Ad primū. ¶ Ad primū respondetur quòd argumentū nō valet eò q subiectū, putà lignū, non est susceptiuū illius contrarietatis.

Ad. ii. ¶ Ad secundum dico quòd requiritur constantia consequētis, scilicet sic arguendo, Adā nō est sanus, & Adā ē, ergo est æger.

Ad. iii. ¶ Ad tertium dico quòd est album & nigrum copulatim & secundum quid, sed neque album neque nigrū simpliciter.

Ad. iiii. ¶ Ad quartū dico quòd arguitur à non distributo ad distributū ex parte temporis importati per lyfuit, oportet addi istam particulam arguendo sic, Sortes fuit albus in qualibet parte temporis præteriti, ergo non fuit niger, in casu dato, sicut consequens est falsum, ita & antecedens.

Ad. v. ¶ Ad quintum respōdetur, quòd est dandum medium per negationem nō tamen per positionem, vt, Angelus nec est sanus

nec æger, nec albus nec niger.

¶Ad sextum nego sequelam, quia illa oratio nec est affirmatiua nec negatiua: affirmatiuum enim & negatiuum sunt passiones, non orationis, sed propositionis. Ad.vi.

Caput.xxiii.

¶De locis a priuatiue & contradictorie oppositis.

In priuatiue oppositis, ab affirmatione ad negationẽ sic argumẽtamur, Hic homo cęcus est, igitur nõ est videns: videt, igitur nõ est cęcus. Mutus est, igitur nõ potest loqui: loquitur, ergo non est mutus: surdus est, igitur nõ potest audire: dormit, igitur non vigilat: aer est tenebrosus, nõ igitur lucidus. A negatione vero ad affirmationẽ, non vniuersaliter valet. Nõ enim sequitur, lapis nõ potest videre, igitur est cęcus. Neque enim videns, neque cęcus est lapis. Veruntamẽ si accipiamus subiectũ susceptibile, & tẽpus a natura determinatũ signemus, valebit a negatione ad affirmationẽ hoc modo, Homo iste nõ potest videre, cũ tamẽ iam adsit tẽpus a natura determinatũ, quo solent videre, homines, igitur cęcus est. Puer iste nõ potest loqui, & tẽpus trãsiit a natura determinatũ, quo solet loquela donari, igitur mutus est. Homo iste dentes nõ habet, & tẽpus iam trãsiit a natura dẽtibus acquirẽdis determinatũ, igitur est edentulus. Signãter autẽ, tẽporis huius oportet mentionẽ fieri. Sine hoc enim coassumpto, nõ valet argumentũ, Catulus iste primo die quo partu est editus, nõ videt, imo nec videre potest, igitur est cęcus. Puer iste statim postquã natus est dẽtes nõ habet, igitur est edẽtulus: nõ potest ambulare, igitur est claudus. ¶Est autem hic notandũ, quod termini priuatiui, siue priuationem significantes, non puram negationem significant, sed aliquid ponunt & aliquid tollut. Ponunt enim quãdam naturalem aptitudinem & tollunt potentiam. Id quod aperte patet in terminorum huiusmodi explicatione. Cęcus enim dicitur, non omne id simpliciter quod non potest vidêre. Nemo enim lapides appellat cęcos. Illud autem dicitur cęcum, quod cum naturaliter aptum sit habere visiuam potentiam, illam tamen non habet. Et omnis homo ex sua specie & natura aptus est ad habendum visum, quoniam pene omnes homines illam potentiam ex natura accipiunt. Quisquis igitur hominum visum non habet, recte illo priuatus dicetur, & cęcus. Ita dicitur mutus & loquela priuatus, cui ex naturã competit loqui, negatur tamen ei & loqui nõ potest. Ita non dicitur quis priuatus regno, nisi qui natus sit habere regnum, id est, cui quodammodo a natura vel origine, vel ex iure debetur regnum. Nam cui non competit, vel ex naturali successione, vel ex electione, regnum habere, hic & si regnum non habeat regno tamen priuari non dicitur. Ita non dicitur exheredari aut priuari hereditate filius ex adulterio natus, quamuis cum alijs legitimis filijs non accipiat hereditatem, quoniam ad illum non spectat hereditas quę solis competit legitimis filijs. Si autem is cui

Loc a priuatiue oppositis.

competit hæreditas, illam non accipiat, exhæredari ille recte dicetur. Ita bruta non dicuntur priuari cælesti beatitudine, sed dæmones & homines mali illa priuantur: quoniam eam nunquam assequentur: cum tamen ex suæ conditionis præcellentiam illius sint capaces, & ab initio ad eam possidendam sint conditi.

¶ Contra locum à priuatiuè oppositis arguitur.

Argu. i. ¶ Primo. Anima intellectiua Sortis mouetur, ergo non quiescit, posito quòd manus eius moueatur & pes quiescat, tamen arguitur à priuatiuè oppositis.

Argu. ii. ¶ Secundo sic. Isti non sunt videntes, ergo sunt cæci, dato quòd sint duo homines quorum vnus videat, alter sit cæcus, iam antecedens est verum, & consequens falsum.

Argu. iii. ¶ Tertio sic. Lapis non videt, ergo est cæcus.

Confirma. ¶ Confirmatur. Iste homo non videt quia dormit, vel habet oculos clausos, ergo est cæcus, non valet. Et similiter dicendū est de catulo non habente tempus determinatum à natura verum est dicere quòd non videt, sed falsum quòd sit cæcus.

Ad primū. ¶ Ad primum respondetur secundum Scotum quòd non sequitur, Anima Sortis quiescit in pede, ergo quiescit. Bene tamen sequitur, quiescit hic, ergo quiescit. Mouetur hic, ergo mouetur. Non tamen sequitur, Quiescit, ergo non mouetur, sed est fallacia ignorantiæ elenchi. Vnde ponit talem regulam, Quod

Regula. prædicata affirmatiua simpliciter sequuntur ex se ipsis cū determinatione non diminuente.

Ad. ii. ¶ Ad secundum nego sequelam, debes dare multiplicē responsionem sicut multiplex est interrogatio. Item ille locus nō tenet in numero plurali.

Ad. iii. ¶ Ad tertium iam responsum est, quia lapis non est susceptiuus horum oppositorum, nec valet negatiuè.

Ad confir. ¶ Et ad confirmationem dicitur, quòd est argumentum à secundum quid ad simpliciter, & sic non valet.

Caput. xxiiii.

¶ De contradictorie oppositis.

In cōtradictorie autem oppositis, argumētamur dupliciter. Primū quidē, in propositionibus cōtradictoriis, hoc modo. Si verū est, omnē hominē esse mortalē, falsum est, aliquē hominem non esse mortalem: & si illud falsum est, hoc verū erit. Vel si illud est verū, hoc nō est verū: & si illud nō est verum, hoc erit verum. Maxima. Cōtradi-

ctoriæ propositiones non possunt ambæ simul esse veræ aut falsæ. ¶In terminis autē contradictorijs, semper valet ab vni9 affirmatione ad alterius negationē, & vicissim ab vnius negatione ad affirmationē alterius. Cuiusmodi consequentias tractat Aristoteles libro secundo peri hermeneias appellans eas a termino finito ad infinitū, & ab infinito ad finitū. Ut Petrus est homo, igitur non est non homo: lignū est non homo, igitur non est homo. Ac rursum, si lapis nō est homo, igitur est non homo: & si non est nō homo, homo sit, necesse est. Ubi propter cauillationem subaudiri potest in antecedente, cū sit, vel in cōsequente, si sit, hoc modo, Si lapis est, & nō est homo, igitur est nō homo. Uel sic, Lapis non est homo, igitur, si sit, est non homo. ¶Non est autem opus hic accipere subiectū aliquod peculiare, sed in omnibus valet illatio: quoniā inter contradictoriæ opposita (vt plenius declaratum est in post prædicamētis) nullū omnino est dare mediū de quo vel ambo negentur vel ambo prædicentur. Propter hoc in omnibus valet, tam a negatione ad affirmationem quam econtrario. Maxima, De quolibet est affirmatio vel negatio, de nullo vero simul.

¶Contra locum à contradictoriè oppositis sic arguitur. Argu. i.
¶Primo. Chimera non est homo, ergo chimera est non homo, antecedens est verum, & consequens falsum, ergo modus insufficiens. Veritas antecedētis patet. Est enim vna negatiua cuius subiectū nō supponit, ergo vera. Falsitas cōsequētis patet per suam cōuertentē, Si chimera est nō homo, ergo nō homo est chimera, & sic lapis qui est non homo, esset chimera.

¶Secundo sic. A homo non est homo, ergo, a, homo est non homo, antecedens est verum & cōsequens falsum, vt faciliter potest deduci, ergo modus insufficiens. Argu. ii.

¶Tertio sic. Inter cōtradictoria est repugnātia media, ergo falsum est dicere, quòd inter cōtradictoria nō est dandū mediū. Argu. iii.

¶Ad primum respondetur quòd sequela est bona, quia tot causas veritatis habet propositio affirmatiua de prædicato infinito, sicut & negatiua de prædicato finito. Vel fortè melius dicē dum est, quòd argumentum non tenet variando terminos fini tos in infinitos, sed prima videtur melior responsio. Ad primū.

¶Ad secundum dico, quòd quādo arguitur à negatiua ad affirmatiuam, variando terminos penes finitum & infinitum, cauēdum est ne subiectū stet confusè tantū, sicut est in ꝓposito. Ad. ii.

¶Ad tertium respōdeo, quòd bene est dare mediū putà repugnātiā secundum rationē, sed non est dare mediū secundū rem. Ad. iii.

¶ De locis qui appellantur a contrario ⁊ in ipso.

Loci a contrario ⁊ in ipso.

SIgnantur autem ab Aristotele ⁊ alii duo loci qui fiunt in terminis aliqua prędictarum oppositionum oppositis, qui vocantur locus a contrario ⁊ locus in ipso. Quando enim duo adinuicem cõiunguntur in antecedente, ⁊ his duobus oposita coniunguntur adinuicem in consequente, argumentatio fieri dicitur a cõtrario vel in ipso. A contrario quidem, si in conclusione mutetur situs, ita vt oppositum subiecti antecedentis ponatur pro prędicato conclusionis, ⁊ oppositum prędicati antecedentis ponatur pro subiecto conclusionis. Vt in hac argumentatione, Homo est animal, igitur non animal est nõ homo. In ipso vero si in conclusione idem seruetur ordo, vt oppositum subiecti antecedentis sit, item subiectum in conclusione, ⁊ prędicati antecedentis oppositum in conclusione similiter prędicati locum obtineat. Vt cum sic colligimus. Humilitas virtus est, igitur superbia vitium. Videtur autem hęc denominatio sumpta ex terminorum oppositorum ordine. A contrario enim ducitur argumentum quando ordine contrario locantur opposita in antecedente ⁊ consequẽte. In ipso vero, quando in eodem ipso ordine consequens habet opposita quo in antecedente. ¶ Consequentia autem quę in ipso dicitur, maxime fit in contrariis ⁊ relatiuis. In contrariis ad hunc modũ. Humilitas est virtus, igitur superbia est vitium. Modestia est laudabilis, igitur immodestia est vituperabilis. Humilitas Deo ⁊ hominibus grata est, igitur superbia odibilis. Si pulchra est vrbanitas, indecora est rusticitas, Si decet iuuenem verecundia, dedecet inuerecũdia. Qui sophistice loquitur odibilis est, qui igitur veraciter ⁊ syncere loquitur amabilis. Maturitas bene consulit, igitur pręcipitatio male. Quę cõpendiosa, amplectẽda sunt, igitur quę prolixa fugiẽda. Quod simul vtile est, ⁊ dulce pręomnibus eligendum (iuxta illud Poetę, Omne tullit punctum qui miscuit vtile dulci) igitur quod ⁊ asperum est ⁊ inutile, omniũ maxime detestandum. Vera scientia humilem facit ⁊ benignum, sophistica igitur inflatum ⁊ iracundum redit. Mansuetudo placat, igitur immitis contentio exacerbat, Responsio mollis frãgit irã, amara igitur exagitabit. ¶ In relatiue autem oppositis sic argumentamur, in ipso eodem terminorum ordine, Pater est dignior, filius ergo minus dignus. Pater est prior dignitate ⁊ origine, igitur filius posterior. Pater est suprapositus filio, filius igitur patri subiectꝰ Pater est filii vel filiũ habet, filiꝰ ergo patris est vel patrẽ habet. Vir caput est vxoris ipsique a Deo pręlatus, vxor ergo per Deũ est viro subdita. Reges ⁊ principes a Deo sunt pręlati populo, populꝰ igitur iure diuino debet illis esse subiectꝰ. Imperatoris est imperare, militũ ergo est parere. Pręceptoris est docere, discipuli igit discere. Domini est pręcipere, serui ergo obedire. Ita in cęteris. ¶ Locus autẽ a cõtrario vel opposito ordine frequẽtius fit in priuatiue, ⁊ cõtradictorie

oppositis. In priuatiue oppositis hoc modo, Qui habet visum habet sensum, igitur qui caret sensu caret visu. Qui habet virtutem, habet laudem ⁊ gloriam, igitur qui sine laude est ⁊ inglorius, virtute caret. Qui habet hereditatem heres est, qui ergo exheredatus est, hereditate caret. Qui scientiam habet ornamentum habet animę suę, igitur qui ornatu caret animę, caret ⁊ scientia. ¶ In contradictoriis itē sic Iustitia est virtus, igitur quod non est virtus non est iustitia. Qui timet Dominum faciet bona, igitur qui bona non facit, nō timet Dominum. Qui prudēs est dum tempus habet operatur bonum, igitur qui non operatur bonum, dum tempus habet, non est prudens. ¶ Cōtra vero in oppositis priuatiue vel contradictorie locus in ipso vniuersaliter non valet. Non enim sequitur, Omnem quod habet visum habet sensum, igitur omne quod caret visu caret sensu. Omnis qui habet abundantiam auri ⁊ argenti diues est: igitur qui caret auro ⁊ argento pauper est aut caret diuitiis. Potest enim quis esse diues in alíis possessionibus agrorum ⁊ armentorum, cuiusmodi erant illę priscorum patrum pręcipuę diuitię, multo istis inanimatis metallorum cumulis meliores ac pręstantiores. Nec in contradictoriis sequitur, homo est animal, igitur quod non est homo non est animal. In oppositis tamen contrarie ⁊ relatiue valebit interdum a contrario consequentia, vt pote cum in particularibus proceditur enunciationibus. Et sequitur, Humilitas est virtus, igitur quoddam vitium est superbia. Pater est dignior, igitur aliquid minus dignum est filius. In vniuersalibus tamen enunciationibus, aut indefinitis pro vniuersalibus acceptis non valebit. Non enim sequitur, Omnis humilitas est virtus, igitur omne vitium est superbia. Omnis pater est dignior igitur omne quod est minus dignum est filius. Nam ⁊ seruus minus dignus est, non tamen est filius. ¶ Interdum vero in argumentationibus istis fit permixtio oppositorum diuersi generis adinuicem. Et cū ita argumentantur, Iusti in perpetuum viuent, igitur iniusti in perpetuum morientur, Iusti hereditate possidebunt terram viuentium, igitur iniusti auferentur ⁊ exheredabuntur a terra illa. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cęlorū, igitur vę ⁊ miseria diuitibus ⁊ inflatis spiritu: quoniam ipsorum non est regnum cęlorum. Si non sunt expetendę diuitię, paupertas non est fugienda. Quia lumen visum oblectat, tenebrę contristant. Scientia ornat animam, ignorantia igitur dedecorat. Labor bonus ⁊ sanctus est, ocium igitur malum ⁊ execrandum. In his enim, simul contraria cum priuatiuis vel cōtradictoriis commiscentur. ¶ Huiusmodi autem exemplis plena est omnis scriptura, maxime librorum, qui sapientiales nominantur, in quibus, id passim occurrit, vt quod in priori sententię cuiuslibet mēbro dicitur de iustis, eius oppositum in altera parte dicatur, vel secundum eundem ordinem, vel secundum ordinem commutatum, de impiis. Expende videlicet caput decimum parabolarum Salomonis plura illic manifeste videbis sic ex opposito pulchre dicta. Cuiusmodi est illud in principio, Filius sapiens letificat patrem, filius vero stultus męstitia est matris suę. Ac deinde, Egestatē operata est mens

remissa, manus autem fortium diuitias parat. Iterum, Qui cōgregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit ęstate, filius est cōfusionis. Rursum memoria iusti cum laudibus, nomen impiorum putrescet. Similiter capiti vndecimo, Ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: vbi autem est humilitas, ibi & sapientia. Item, Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est animi, celat commissum. Itē, Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendētium. Huiusmodi exempla mille quilibet per se ex libris illis plenis eruditione bona colligere facile poterit. Sed & Psalmorum liber huiusmodi comparationibus scatet, quę miram habent vim ad effectum commouendum, cum sic oppositis iuxta se inuicem collatis ambo clarius elucescant & virtutis commodum, & vitiorum incommoda.

Caput. xxvi.

¶ De loco a disparatis.

Locus a disparatis.

A Disparatis quoque sicut ab oppositis sumuntur argumenta, ab affirmatione vnius ad negationem alterius, hoc modo, Ioānes est homo, igitur nō est asinus vel leo, vel arbor, vel aliquid huiusmodi, quod ab homine prorsus separatum est. A negatione autem ad affirmationem, minime valet argumentatio. Non enim sequitur, Ioannes non est leo, igitur asinus erit, aut bos, aut equus. Maxima. Cuicunque conuenit vnum disparatorum, eidem non conuenit alterum. Quę autem dicantur disparata, & quomodo ab oppositis differant, prolixe satis & dilucide in post prędicamentis tractatum est, vt superuacanea repetione hoc in loco nihil sit opus. ¶ In omnibus autem his locis oppositorum atque disparatorum generaliter, hoc est aduertendum: quoties ab affirmatione vnius ad alterius negationem volumus argumētari, debere opposita sumi pro prędicatis, & quidem totalibus. Nam si ponantur opposita ex parte subiecti, non valebit sic in eis argumentatio. Non enim sequitur, Album est, igitur nigrum non est. Album est coloratum, igitur nigrum non est coloratum. Quod videt est animal, igitur quod cęcum est non est animal. Pater est homo, igitur filius eius non est homo. Item si opposita sumantur tantum vt partes minus principales prędicati, nō valebit similiter argumentatio. Et non sequitur, Uideo album, igitur non video nigrū. Possideo iumenta videntia, non igitur cęca. Possideo asinum, non igitur possideo bouem. Ueruntamen si opposita sumantur vt partes principales, valebit argumentatio, non minus quam si per se tota essent extrema. Recte enim sequitur a contrariis, Hic est homo albus, igitur non est homo niger. Hoc est animal sanum, igitur non est animal ęgrum.

¶ Contra locum à disparatis arguitur sic.

¶ Primo non sequitur, lac est album, ergo non est dulce, ergo locus a disparatis insufficienter est determinatus. Argu. pri.

¶ Secundo sic. Albedo est qualitas, ergo nigredo nõ est qualitas, antecedens est verum & consequens falsum, ergo modus arguendi est nullus. Argu. ii.

¶ Tertio sic. Plãta non est homo, ergo planta est asinus. Argu. iii.

¶ Quarto sic. Sortes est homo, ergo Sortes non est sciens. Ad. iiii.

¶ Ad primum dico, q̃ iste locus tenet in cõcretis substantiæ & non accidentis, vt si homo est animal non est planta. Ad primũ.

¶ Ad secundum respõdetur q̃ iste locus nõ tenet ex parte subiecti sicut arguitur in proposito, sed ex parte prædicati. Ad secũdũ.

¶ Ad tertiũ respõdeo q̃ iste locus non tenet negatiuè sed affirmatiuè, seruatis seruandis, sicut dictũ est in expositione text[9]. Ad tertiũ.

¶ Ad quartum, nego sequelam. Iam enim dictum est, q̃ non tenet in concretis accidentis, sed bene quando ambo concreta sunt de prædicamento substantiæ, vt si brunellus est asinus non est homo, tamen non sequitur, Si brunellus est asinus, ergo non est albus. Ad. iiii.

Caput. xvii.

¶ De loco a maiori

Sumuntur quoque argumenta, tã Dialecticis, q̃ Rhetoribus ad persuadendũ bene accõmoda, a rerũ cõparationibus. Cõparatio autẽ fit interdũ maioris ad minus, interdũ minoris ad maius, interdũ similium. Atque hinc loci nascũtur a maiori, a minori, a simili. A maiori dicitur sumi argumentũ, quãdo ab eo quod magis apparet procedimus ad id quod minus apparet. Maius enim in proposito, non secundũ quantitatẽ molis est accipiendũ, sed secundũ maiorẽ probabilitatẽ. Unde id quod habet maiorẽ probabilitatem veritatis, aut quod probabilius faciliusque alicui videt̃ conuenire, aut cui aliquid probabilius videtur conuenire, id maius dicitur, cõparatione ad alterum quod minorem videtur habere probabilitatem, aut minus probabiliter conuenire alicui. Exempli gratia, regem expugnare ciuitatẽ maius est: ducem aut comitem expugnare ciuitatem eandem minus est. Magis enim probabile est regẽ expugnare quam ducem, & facilius illud proponẽti creditur q̃ã istud. Itẽ expugnare castrũ, in proposito est maius, expugnare validã ciuitatẽ minus: quoniã facilius & probabilius alicui cõuenit expugnare castrũ, quam validã ciuitatẽ, hoc aũt minus probabiliter alicui cõuenire creditur quã illud. Ideo minus dicitur. ¶ Fit aũt argumentũ a maiore negatiue tantũ, idque trib[9] modis, Primũ ex parte subiecti tantũ, Rex fortissimus hanc ciuitatẽ nõ Locus a maiori.

poterit expugnare, neque igitur dux aut comes impotentior eandem
poterit expugnare. Ipse quidem Cicero, aut Demosthenes causam
hanc non posset deffendere, multo minus igitur alius quilibet ex vul
go Oratorum. Hectoris manu non potuit Troia defendi, igitur ne-
que manu Aeneæ defendi potuit. Cuiusmodi argumentum apparens
Aeneæ Hector, his innuit verbis, Si pergama dextra defendi possent
etiam hac defensa fuissent. Sic in euangelio Dominus ait, Neque
passer vnus super terram cadit sine patris cœlestis ordinatione ⁊ vo-
luntate, igitur neque sanctorum aliquis sine patris dispositione ca-
det, quoniam pluris apud Deum sunt rationales homines, quã irra
Matth. x. tionales passerculi. Ac rursum, Capillus de capite vestro nõ peribit,
multo minus igitur aut corpus, aut anima vobis peribit. Magis enĩ
apparet, posse capillum de capite perire, quam corpus totũ vel ani-
mam perdi. ¶ Secundo fit argumentum a maiori ex parte prædicati,
hoc modo, Si exercitus iste non sufficit arcẽ expugnare parũ munitã,
neque ciuitatẽ fortiorẽ, meliusq; munita expugnare poterit. Si non
sufficit hic homo gestando oneri. 100. pondo, neque oneri. 200. põ
do sufficiet. Si nõ est quis paratus bona temporalia in proximos ex-
Matth. vi. pendere, multo minus animã pro eis ponere volet. Si propter Dei
amorẽ neque verbulũ durũ ferre possimus, multo minus acerbã mor
tem pro eo quis ferre valet. Si (iuxta Domini verbũ) nõ potest quis
sua sollicitudine adiicere ad staturã suam cubitũ vnũ, aut capillũ vnũ
album facere vel nigrũ, neque maius aliquid per seipsum sine Deo ef-
II. Cor. iii. ficere poterit. Si (vt Apostolus ait) nec cogitare aliquid ex nobis tan
quam ex nobis sufficientes sumus, multo minus ad peragendũ ardui
operis aliquid inueniemur idonei. Sic (iuxta Apostolũ Ioannẽ) qui
I. Ioã. iiii. proximũ non diligit quẽ videt, Deum quomodo diliget quẽ non vi-
det. ¶ Tertio valet argumẽtũ ex parte subiecti simul ⁊ prædicati, hoc
pacto, Vir robustus non sufficit. 800. põdo oneri gestãdo, non igi-
tur adolescens aut puer imbecillior sufficiet oneri 1000. põdo gestã
do. Summo ingenio ⁊ inexhausto labore Philosophi maximis labo-
ribus non potuerunt vel vnius infimarum creaturarum perfectã asse
qui cognitionem: nos igitur qui ingenio non præstamus, ⁊ laborem fu
gimus, altissimarum rerum nequaquam valebimus plenam assequi
„ cognitionem. Omnium autem harum argumentationum vna est confir-
„ matiua maxima, talis, Si id quod magis videtur non est verum, ne-
„ que id quod minus videtur, verum erit. Aristoteles vero singulis mo
„ dis singulas assignat maximas, dicens, Vno de duobus dicto si cui ma-
„ gis videtur inesse non inest, nec cui minus videtur inesse inerit. Duo
„ bus de vno dictis, si quod magis videtur inesse non inest, nec quod
minus videtur inesse inerit. Duobus de duobus dictis, si quod alteri
magis videtur inesse non inest, nec reliquũ reliquo inerit. Prima maxi
ma primo modo seruit, secũda secũdo, tertia tertio. Affirmatiue autẽ
a maiori nunquã valebit argumentũ. Non enim sequitur. Vir robu-
stus huic oneri sufficit, igitur puer imbecillis. Hic potest ferre decẽ
pondo, igitur centũ. Non enim oportet si id quod magis videtur ita
se habeat, ob hoc id quoque quod minus videtur ita se habere.

Caput. xxviii.

¶ De loco a minori.

A Minori econtrario valet affirmatiue, nec aliter quam affirma-
tiue, tot modis quot supra diximus valere a maiori negatiue.
Ex parte subiecti sic, Puerulus rem tam modicam ferre potest, ergo
& adolescens robustior. Ethnici homines diligunt sibi benefacientes
multo magis igitur Christiani. Seculi huius milites pro fide erga re-
gem suum multa & dura ferunt, geruntque grãdia, multo igitur magis
spiritualis militię cultores pro fide erga suum regem & magna agẽt &
patientur grauia. Formica animal irrationale dũ tempus est sibi pros
picit, igitur multomagis rationalis homo dum tempus habet sibi de-
bet prospicere. Si sanctissimus Dauid, sapiẽtissimus Salomon, Sã-
son fortissimus, & ab vtero matris Nazareus, per mulieres Deum
offenderunt: & nos igitur qui illis sapientia, fortitudine, & sanctitate
longe sumus inferiores, per illa, nisi diligentissime caueamus, seduci
poterimus. Sic Joannes argumẽtatur, dicens, Si Christus nos di- 1. Joan. iii.
lexit, & pro nobis mortuus est, & nos debemus fratres diligere ac pro
eis animas ponere. Ita Paulus Apostolus legem veterem cũ noua Hebre. ii.
comparat in hanc sentẽtiam, Si lex illa quę per angelos data est vim
habuit obligationis, ita vt transgredientes pęnę statutę essent obno
xii: multomagis lex noua, quam per semetipsum filius Dei in mun-
do prędicauit, summa obseruatione debet custodiri, eruntque multo
magis pęnę obnoxii qui eam fuerint transgressi. Ita apud Joannẽ Do
minus. Si ergo laui pedes vestros Dominus & magister, & vos de- Joan. xiii.
betis alter alterius lauare pedes. ¶ Ex parte pędicati, hoc pacto ar-
gumentamur, Si hic pro Christi amore etiam vitam temporalem pa
ratus est perdere, multomagis & omnia fortunę bona. Sic Apostolus
apud Romanos argumentatur dicens, Deus proprio filio suo non Roma. viii
pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiã
cum illo nobis omnia donauit? Rursum apud Hebręos, Patres, in- Hebre. xii.
quit, carnis nostrę eruditores habuimus, & reuerebamur eos, quanto
magis obtemperabimus patri spirituum & viuemus? Et ipse in Euã
gelio Dominus, Si deus sic vestit liliũ agri quod hodie est & cras in Matth. vi.
clibanũ mittitur, quãto magis vos modicę fidei? Et si aues cęli quę
neque serunt, neque metunt, neque in horrea congregãt, Deus sic pas
cit quanto magis vos modicę fidei? Si corpus dedit & animã, escam
quoque dabit & vestimẽtũ. ¶ Ex parte vtriusque extremi sic argumẽta
mur, Christus pro nobis grauissima tulit supplicia, nos igitur vel mo
dica pro eius amore ferre debebimus. Seculi milites pro tẽporali
pręmio grauissima patiẽter ferũt, Christi ergo milites pro pręmio
ęterno vel modica quę occurrũt libẽter sustinebunt. Christus domi-
nus noster totas pro nobis in oratione noctes transegit insomnes,
nos ergo serui eius nõ poterimus vel vna hora ad orationẽ vigila-
re? Sic apud Virgiliũ, Juno argumẽtat, Pallas vulgaris dea, ob vnius
culpã, potuit totã classẽ nauiũ exurere: ergo & ego quę sum deorũ atque

dearum regina, potero vt mininũ regem Troianorum mihi inuisum Italia auerte, ne ibi regnet. Item apud Iouẽ Venus pro Aenea sic argumentatur, Antenor homo nõ ita magni generis aut nominis, potuit elapsus Grecorum manibus per vastissima maria requiẽ ce tam inuenire, atque etiam vrbem condere. igitur multo magis equum est, vt meus filiꝰ tuus nepos Aeneas, post tot pericula, saltẽ portũ bonũ accipiat, ⁊ tutã sedẽ obtineat. ¶ Primũ argumentũ Virgiliꝰ his claudit versibus, Iunonẽ inducens flãmato corde ista volutantem.

Mene incepto desistere victam?
Nec posse Italia, Teucrorum auertere regem?
Quippe vetor fatis, Pallas ne exurere classem
Argiuum, atque ipsos potuit submergere ponto
Vnius ob noxam ⁊ furias Aiacis Oili?
Ipsa Iouis rapidum iaculata e nubibus ignem
Deiecitque rates, euertit que equora ventis.
Ast ego que diuum incedo regina, Iouisque
Et soror ⁊ coniunx, vna cum gente tot annos
Bella gero: ⁊ quisquam numen Iunonis adoret
Preterea, aut supplex aris imponet honorem?

Secundum vero his describit versibus, Venerem pro filio Aenea Ioui ita loquentem inducens,

Quem das finem rex magne laborum?
Antenor potuit mediis elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Lyburnorum, ⁊ fontem superare Timaui.
Hic tamen ille vrbem Patauí, sedesque locauit
Teucrorum, ⁊ genti nomen dedit, armaque fixit
Troia, nunc placida compostus pace quiescit:
Nos tua progenies celi quibus annuis arcem,
Nauibus (infandum) amissis vnius ob iram
Prodimur, atque Italis longi disiungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?

¶ Porro de maximis huius loci proportionabiliter dicendũ est quo modo supra diximus in loco a maiori. Omnium enim argumentorũ vna confirmatiua maxima potest hec assignari. Si id quod minus videtur, verũ est, id quoque quod magis videtur verum erit. Secundũ vero Aristotelem tribus diuersis modis tres diuerse assignantur he maxime. Vnc de duobus dicto, Si cui minꝰ videtur inesse inest, etiã illi cui magis videtur inesse inerit. Duobꝰ de vno dictis, Si id quod minus videtur inesse inest, etiã id quod magis videtur, inesse inerit. Duobus de duobus dictis, Si quod alteri minꝰ videtur inesse. inest, ⁊ reliquũ reliquo. ¶ Est quoque caute in his duobus locis aduertendum, ne pro maiori minus, aut ecõtrario pro minore maiꝰ accipiatur. Frequens enim ⁊ facilis est in hac re fallacia, vt argumẽtum quod vere a minori sumitur, existimetur sumptum a maiori ⁊ econtrario. Cuius erroris causa est, quia plerũq; id quod quãtitate (vt pote vel mole vel numero) maius est minus cẽsetur in proposito: cõtra vero minꝰ, id

quod mole vel numero maius est. Exēpli gratia, portare centū pondo, quantitate maius est, quam portare tantū viginti. Illud tamen in proposito minus est: quoniam minus apparenter illud alicui conuenit quam istud. Facilius enim de vno quoque creditur, quod possit gestare decem pondo, quam centum. Ita cum dicimus, Deus fecit cęlum & terram, ergo & glebam potest facere, apparet secundum speciem argumentum esse a maiori, eo ꝙ maius videatur secundum rem & pōdus operis creare cęlum & terram, ꝙ glebam modicam. Est tamē argumentum a minori, id est, ab eo quod habet minꝰ verisimilitudinis & apparentię. Sic & in alis similibus diligenter considerandum est, & caute semper prospiciendum est, ne a maiori aliter vnquam quam negatiue, aut a minori aliter ꝙ affirmatiue procedatur. A maiori enim affirmatiue, aut negatiue, a minori, processus non valet.

¶Contra locum à maiori, & minori arguitur.

PRimo, Episcopus non potest ducere vxorem, ergo nec sacrista, tamen arguitur à maiori, ergo modus insufficiens. Argu. pri.

¶Secundo sic, Rex non potest portare pondus centum librarum, ergo nec miles. Argu. ſ.

¶Tertio sic, Imperator nō potest ieiunare sextam feriam sanctam, ergo nec monachus. Argu. iii.

¶Ad primum respondetur, Quòd prædicatum non conuenit vtriq; comparabilium, quod requiritur in his locis. Item, licet episcopus sit maioris dignitatis, non tamen est magis idoneꝰ ad ducendam vxorem. Ad primū.

¶Ad secundum dicitur quòd non arguitur à maiori, sed à minori, minor enim apparētiæ est, ꝙ rex possit portare centum libras quam miles. Ad secūdū

¶Ad tertium respondeo sicut ad secundum. Ad tertiū.

Caput. xxix.
¶De loco a simili.

A Simili vero dicitur sumi argumentum, quando id quod assumitur, cum eo quod probatur similem vel ęqualē habet verisimilitudinem, id est, quando ęqualem habent apparentiam veritatis. Ut cum ita argumentamur. Joannes mortalis est, igitur & Petrus. In vtroque est eadem verisimilitudo, eademque apparentia veritatis, quoniam ambo ęque sunt homines. Judas male periit, quia de misericordia desperauit, ergo & nos peribimus, si illius efficiamur similes. Sodomitę perierunt, quia peccatores nimis erant, & nō egerunt pe- Locus a simili.

nitentiam: igitur & nos male peribimus, si illorum efficiamur similes.
Immoderato affectu concupiscere diuitias, vanũ est & vitiosum: igi-
tur immoderato affectu cocupiscere terrenam scientiam vanum erit
& viciosum. Est enim in vtroqz similitudo. ¶ Sic argumentatur Apo
stolus apud Corinthios docens, licitum esse doctoribus Euangelii
stipendia accipere sumptuum, in hanc sententiam, Nemo, inquit, suis
stipendiis militat, sed stipendium suę militię ab illo accipit cui mili-
tat: igitur qui alios docet non suis sumptibus debet viuere, sed illo-
rum quibus prędicat. Item, Qui vineam plantat de fructu eius vesci
tur, & qui gregem pascit de lacte eius manducat: igitur qui populum
domini docendo colit & pascit, merito debet ab eis temporalia subsi-
dia accipere. Item, Boui in tritura laboranti cibus non est denegan-
dus, igitur nec doctori in doctrina laborãti. Pręterea, Qui arat (in
quit) in spe debet arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi, igi-
tur & qui docendo laborat, temporalia ei debẽtur subsidia. Denique
ita concludit, Nescitis quoniam hi qui in sacrario operãtur, quę de sa
crario sunt edunt? & hi qui altario deseruiũt, cum altario participant?
Ita & dominus ordinauit iis qui Euangelium annunciant, de Euãge-
lio viuere. ¶ Multum quoque valet hic locus ad exhortandũ, obiur-
gandum, & consolandum: dum propositis exemplis similibus ad imi-
tationẽ excitamus, vel consolationem ingerimus. Sic Judith illa no
Judith. ii. bilis propositis patrum exẽplis ait, Memores esse debetis, quomo-
do pater noster Abrahã tentatus est, & per multas tribulationes pro-
Genesi. xxii batus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses & om
nes qui placuerunt deo, per multas tribulationes transierũt fideles.
Illi autem qui tentationes nõ susceperunt, cum timore domini exter-
minati sunt. Ex quibus deinde conclusionem infert dicens, Et nos
igitur non vlciscamur nos pro his quę patimur, sed flagella domini
quasi serui qui corripimur ad emendationem & non ad perditionem
Mach. iiii. nostram euenisse credamus. Sic Judas Machabęus milites suos ex-
hortatur, Mementote, inquiens, qualiter salui facti sunt patres nos-
tri in mari rubro cum sequeretur eos Pharao cũ exercitu multo. Et
nunc clamemus in cęlum, & miserebitur nostri dominus. Sic Paulus
i. Cor. iiii. Apostolus Corinthiis exempla proponens pręcedẽtium, monet eos
Hebre. iiii. non murmurare neqz tentare dominum. Et alibi propositis incredu-
lorum patrum exemplis posteros monet non assimilari illis. neque
Hebre. ii. in exemplũ illud incredulitatis incidere. Alibi vero, positis ob ocu-
&. xii. los multis pręclaris patrum exemplis, ad fidem tot exemplis proba-
tam nos hortatur suscipiendam. Plenę sunt huiusmodi exemplis om
nes sacrę literę nec solum iis quę a simili sũmuntur, sed & a maiori at-
que minori, quę ad idem genus pertinent, eandemque habent effica-
ciam. Neque solum literę sacrę sed & Philosophorum libri, & maxime
Poetarum carmina: id quod non potest non esse manifestissimum illi
qui vel sobrie in illorum fuerit lectione versatus.

¶ Contra locum â simili arguitur sic.

¶ Sicut se habet propositio negatiua ad negatiuã, ita affirmatiua ad affirmatiuam, sed propositio vniuersalis negatiua infert vniuersalẽ negatiuã, ergo propositio vniuersalis affirmatiua infert vniuersalẽ affirmatiuã, sed consequens est falsũ, ergo modus arguendi nullus. Sequelam probo, & antecedens similiter. Nullus homo est angelus, ergo nullus angelus est homo, sequitur bene: ergo à simili, omnis homo est substantia, ergo omnis substantia est homo. Argu. pri.

¶ Secundo sic. Terminus inferens debet esse notior illato, sed vnum simile non est notius altero, ergo modus arguẽdi non est probatiuus, cum antecedens sit notius consequente. Argu. ii.

¶ Tertio sic. Sicut se habet propositio particularis affirmatiua ad affirmatiuam, ita particularis negatiua ad negatiuam, sed prima cõuertitur simpliciter, ergo & secunda: sed consequens est falsum. Falsitas consequentis probatur, quia licet bene sequatur, animal est homo, ergo homo est animal, non tamẽ sequitur, animal non est homo, ergo homo non est animal. Argu. iii.

¶ Ad primum respondetur negando antecedens, non enim sunt similia in conuertibilitate, licet sint in quantitate. Ad primũ.

¶ Ad secundum respondeo, quod simile pro formali non est notius alio simili, sed bene pro materiali. Ad secũdũ.

¶ Ad tertiũ respondetur, sicut ad primũ, quia licet sint similes in quantitate, non tamen in conuertibilitate. Ad tertiũ.

Caput. xxx.

¶ De loco a proportione.

Sub hoc autem loco a simili contineri videtur locus a proportione. Qui locus, iuxta sententiam Boetii, ita differt a priore: quoniam illic vna res vni cuilibet alii comparatur, hic autem non est similitudo rerum, sed quedam habitudinis comparatio. Hec enim vocatur proportio, habitudinis vnius ad aliam comparatio. Sit questio, Num gubernatores communitatis sint eligendi sorte? Ita a proportione sumetur argumentum, Sicut se habet gubernator nauis ad nauem regendam, ita gubernator ciuitatis ad ciuitatem: at gubernator naui non sorte est eligendus, sed arte et consilio, igitur non sunt eligendi sorte aut per fortunam ciuitatis gubernatores, sed magno iudicio et delectu sunt ad id muneris assumendi. Maxima, Locus a proportione.

De proportionalibus idem est iudicium. Itē, Quod in vnaquaque
re euenit, id in eius proportionali euenire necesse est. Estque hic lo-
cus ad moralem doctrinā valde accōmodus, quando ex naturalibus
vel cōmunibus rebus ducta proportione ad mores quę illic conside-
rantur, trāsferimus. Quod nos quidem pluribus adductis exemplis
non grauate demonstrabimus. ¶ Sic itaqꝫ argumentamur. Quomo-
do se habet lumen oculi in corpore, sic rationis lumen in anima, oculi
autem lumen omnia corporis membra ⁊ vires debet in suis operib⁹
dirigere, neqꝫ fęliciter vlla exercetur sine directione oculi corporalis
actio, igitur ratio in anima omnibus debet viribus lumen prębere,
⁊ in cunctis eam actionibus dirigere. Rursum, Sicut se habet ancilla
ad heram in domo aut familia, ita sensualis affectus ad rationem in
anima. Atqui turpe admodum est in domo ancillā imperare herę, eā-
que pro suo arbitrio trahere ad indigna ministeria, sed ecōtrario illa
huic debet obtemperare: igitur fęda ⁊ intoleranda res est in homine
sensualem appetitum natura subiectum, rationi imperare, eamqꝫ tra-
here ad sua desideria, sed ecōtrario iustum est vt imperet ratio, ⁊ ille
obediat. Iterum Sicut se habet lumen solis corporei ad mundum is-
tum visibilem, ita lumen cęlestis gratię in anima rationali: solis autē
lumen necessarium est mundo ad rerum generationem, nec potest nisi
eius beneficio mundus in sua dispositione ⁊ ordine subsistere: igitur
absque lumine cęlestis gratię in anima mortua sunt omnia, nec potest
boni quicquam fieri. Rursum, Sicut se abet ars medicinę ad sanitatē
corporis, ita scientia pastoralis curę ad sanitatem animę. Medicus
autem corporalis subinde amaris vtitur potionibus, ⁊ res duras fer-
re cogit ęgrotum: igitur ⁊ qui scientiam habet officiumque curę pa-
storalis, non semper placentia aut grata, suis subditis loqui aut age-
re debebit: sed vbi res poposcerit, duras quoque increpationes ad-
hibebit, ⁊ alia quę opportuna ipse iudicabit ad sanandas animas.
¶ Conuenit etiā peculiariter hic locus in ęstimatione mercedis ope-
rariorum, iusta proportionem laboris. Et si is qui diem vnum in vi-
nea, aut agro est operatus ex iusto laboris precio quatuor nummos
accipiat, is qui duos dies operatus est duplam accipiet mercedem, ⁊
qui tres triplam, atque ita deinceps. Qualis enim est proportio sim-
plicis laboris ⁊ operę ad mercedem simplicē, talis est proportio du-
plicati laboris ad mercedē duplam, atque ita deinceps. Intelligendū
autem hoc est de ęstimatione secundum iustitię debitum. Non enim
erit cōsequens si pro huius vnius diei labore ex liberalitate eius qui
te conduxerit acceperis .9. stuferos cum tantum tibi ex debito. 4.
competebant ob hoc pro duorum dierum labore. 12. nummos debe-
re tibi persolui. Ita sane argumentabantur illi in vinea operarii con-
ducti a patrefamilias de quibus in euangelica parabola loquitur do-
Matt. xx. minus, qui cum viderent iis qui nouissimi venerant dari totum de-
nariū diurnū, arbitrabantur plus illis se accepturos, secundū propor
tionē videlicet sui laboris, quē in colēda vinea ampliorū impēderāt
mercedem. Propter quod ⁊ murmurabant ęqualem accipientes de-
narium, Hi, inquiunt, nouissimi vna hora fecerūt, ⁊ pares illos nobis
fecisti,

fecisti, qui portauimus pondus diei ⁊ ęstus. Uerum dominus ratio-
nabiliter eorum paralogismum dissoluit, ⁊ irrationabilem murmura-
tionem confutat, ex sua liberalitate dari sibi licitum quod voluisset.
¶ Conducit item hic locus iudicibus, quorum est pęnas infligere de-
linquentibus, ⁊ pręmia conferre bene meritis, quemadmodū ait san- Rom. xiii.
ctus Apostolus. Secundum enim proportionem meriti aut demeriti
conferenda sunt beneficia, vel irroganda supplicia. Huc pertinet illud Exod. xxi.
veteris legis. Oculum pro oculo, dentem pro dente. Et illud, Secun Matth. v.
dum mensuram delicti, erit ⁊ plagarum modus, ⁊ item alia multa quę Deut. xxv.
ibi secundum proportionem statuuntur. Huc pertinet ⁊ illud quod a- Esaię. iii.
pud Esaiam pręuaricatrici genti dicitur. Erit pro suaui odore fetor,
⁊ pro zona funiculus, ⁊ pro crispanti crine caluitium, ⁊ pro fascia pe-
ctorali cilicium. Item ⁊ illud quod in Apocalypsi de damnata Baby- Apo. xviii.
lone dicitur. Quantum glorificauit se ⁊ in diliciis fuit, tantum date il
li tormentum ⁊ luctum. Nec dissimile est, quod diuiti illi pater Abra-
ham respondit, Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, ⁊ Laza Lucę. xvi.
rus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. ¶ Ui
dentur quoque ad hunc locum pertinere comparationes illę quarum
sunt poetę studiosissimi, item sapientium apologi ⁊ fabulę ad morā
instructionem appositę conficte, quibus suum nomen posteritati in-
signiter notum reddidit egregius ille e Phrygia fabulator Aesopus
iuxta Auli Gelii testimonium haud immerito sapiēs ęstimatus, quod
ea quę monitu suasuque videbantur vtilia, non seuere, non imperiose
pręcepit ⁊ censuit (vt philosophis mos est) sed festiuos delectabiles-
que apologos commentus, res salubriter ac prospiciēter animaduer-
sas, in mentes animosque hominum cum audiendi quadam illicebra
induxit. ¶ Pertinent item ad hunc locum parabolę illę quę in scrip-
turis sanctis frequenter occurrunt, quibus etiam maxime omnium
vsus fuisse cognoscitur dominus noster Jesus Christus. qui cum ipsa
esset patris ęterna sapientia, ac protinde verba grandia eloqui de ple-
nitudine suę sapientię atque scientię potuisset, nostrę tamen infirmita
ti se contemperans, quasi mater aut nutrix cum paruulo balbutiēs, pa
rabolicis huiusmodi sermonibus sępe ⁊ multum vti non est dedigna-
tus, pro simplicium discipulorum atque turbarum eruditione. Adeo
que in his creber extitit. vt per excessum quendā de illo scripserit san
ctus Euangelista. Matthęus sine parabolis non fuisse cum turbis lo-
quutum, Hęc omnia, inquit, loquutus est Jesus in parabolis, ad tur- Matt. xiii.
bas: ⁊ sine parabolis non loquebatur eis. ¶ Has autem omnes, quantū Matt. xiii.
libet prolixas, instructiones Christi parabolicas, non difficile fuerit
in argumenta huius loci reducere. Uidelicet illa de semine ⁊ seminan
te admodum prolixa parabola. sic potest in argumenti formam redi-
gi. Quemadmodum se habet semen corporale ad terram in qua semi
natur, ita se habet verbum dei, ad eos quibus prędicatur a doctore.
Semen vero non in omni terra proficit, nec igitur in omnibus ver-
bum dei proficit qui audiunt ipsum. Quomodo autem se habet semē
ad terram bonam, in qua bene suscipitur ⁊ conseruatur ita verbū dei
ad cor bonū in quo suscipitur ⁊ custoditur. in tali autē terra bona pro

fert fructum semen: igitur in corde tali verbum dei fructum suum profert. Contra vero, ut se habet semen ad terram malam ita verbum dei ad cor malum: in terra autem mala non facit fructum semen tametsi in se bonum: nec igitur in corde malo verbum dei. Item, Quod sunt visibiles aues corporali semini, id sunt inuisibiles dęmões verbo dei: sed aues cum semen aliquod vidēt secus viā iacere, statim illud diripiunt, prohibentes ne inde fructus consurgat: itaque & dęmones dum vidēt hominem dei verbum in profundo cordis recondere, sed tantū in superficie gestare, statim illud satagunt, ne fructum proferre possit, a corde eius abripere. Iterū, Quod sunt spinę nascentibus frugibus, hęc sunt seculi curę, & diuitiarū fallacię bonis initiis ex dei verbo exurgētibus. Spinę vero solent nascētes de semine fruges suffocare, & a perfectione iusta impedire. Igitur & diuitiarum solicitudines & curę seculi, bona initia ex verbo dei forte concepta, suffocabunt, ac ne ad iustam perfectioné increscant, impedient. Ad hoc exemplum, facile possunt alię parabolę omnes, quę passim in Euangeliis occurrunt, ad presentem locum accómodari. ¶ Uide autem in promptu hunc locum habere studeant, qui bus commissum est rudes populos erudiendi officiū. Nec enim hi melius, aut commodius, vel doceri, vel commoneri possunt, quam huiusmodi crassis comparationibus. Id quod suo nos exēplo optimus magister clarissime docuit, qui cūctis pene sermonibus comparationes huiusmodi admiscuit.

¶ Contra locum à proportione arguitur sic.

Argu.i. ¶ Primo. Sic ut se habet nauta ad nauem gubernādam, ita papa ad gregem christianum, sed nauta indiget velis & remis ad nauem gubernandam, ergo & papa indiget velis & remis ad gubernandum populum.

Argu.ii. ¶ Secundo sic. Sic ut se habet corpus, ad hoc corpus ita locus ad hūc locū, sed corpus nō potest esse sine loco, ergo hoc corpus nō potest esse sine hoc loco.

Argu.iii. ¶ Tertio sic. Sic ut se habet homo ad animal, ita non homo ad non animal sed omnis homo est animal, ergo omnis non homo est non animal.

Ad primū. ¶ Ad primum respondetur quòd nauta & papa nō sunt similia in remis & velis, sed in prouida gubernatione, & vigilanti custodia, & sic argumentum non est à proportione.

Ad.ii. ¶ Ad secundum dico, quòd iste locus non tenet nisi in quantitate discreta, & non in continua.

Ad.iii. ¶ Ad tertium respondetur, quòd iste locus non tenet nisi in terminis conuertibilibus, & cum homo & animal nō sint termini conuertibiles, argumentum non est ad propositum.

Caput. xxxi.

¶ De loco a transmutata proportione.

Sub hoc autẽ loco a proportione, alius solet cõcludi, quem vocant a transmutata proportione. Qui maxime locum habet in rebus arithmeticis. Et cum sic argumentamur, Sicut se habent duodecim ad sex, ita se habent octo ad quatuor, quoniam vtrobique est proportio dupla: igitur sicut se habent duodecim ad octo, ita sex ad quatuor, est enim vtrobique proportio sesquialtera. Item sicut se habent octo ad quatuor, ita sex ad tria, quoniam vtrobique est proportio dupla: ergo sicut se habent octo ad sex, ita quatuor ad tria, quoniã vtrobique est proportio sesquitertia. ¶ Proportionem autem duplam dicimus, quando numerus maior bis continet minorem. Et inter duodecim & sex est proportio dupla, item inter sex & tria, inter quatuor & duo. Nam duodecim bis sex continent, sex bis tria, quatuor bis duo. Proportionem vero sesquialteram dicimus, quando maior numerus continet minorem, & insuper eius partem dimidiam, Et duodecim continent octo, & insuper quatuor, quę sunt medietas ipsorum octo. Ita sex continet quatuor, & insuper duo, quę sunt medietas ipsorum quatuor. Proportionem vero sesquitertiam vocamus, quando maior numerus minorem continet, & insuper tertiam eius partem. Et octo continent sex, & insuper duo, quę sunt tertia pars senarii. Item quatuor continent tria, & insuper vnitatem, quę est tertia pars ternarii. Propter hoc, inter octo & sex, item quatuor & tria, dicitur esse proportio sesquitertia. Vocatur autem hic locus a commutata proportione, eo quod ordo eorum quę comparantur in conclusione commutetur. Nam in antecedente, primo numero comparato ad secundum, & tertio ad quartum, in conclusione ordine commutato cõparatur primus ad tertium, & secundus ad quartum. Maxima. Sicut primum ad secundum, ita se habet tertium ad quartum, & primum ad tertium se habebit, vt secundum ad quartum.

Caput. xxxii.

¶ De loco a dissimili, & a disproportione.

Quemadmodum autem a simili argumentũ ducitur & a proportione, & ab affirmatione ad affirmationẽ, vel a negatione ad negationẽ, quãdo similia considerantur secundum id in quo sunt similia, aut proportionalia, secundũ id in quo cõsistit proportio: ita sumi potest nõ inutile argumentũ a dissimili & disproportione, cõsideratione eius in quo est dissimilitudo, aut disproportio ab affirmatione vnius ad alterius negationẽ, vel ecõtrario. ¶ Et cũ sic argumẽtamur, Non ita est de anima rationali quomodo de anima bruti, Anima autẽ bruti simul cum corpore perit, igitur anima rationalis non perit cum corpore, sed manet extra corpus separatim per se subsistẽs. Itẽ, Nõ sic inest homini rationale vt risibile, sed rationale inest homini vt differẽtia, igitur risibile nõ inest homini vt differẽtia. Itẽ, Nõ est deus sicut A dissimili & disproportione.

homo, sed omnis homo est mendax et non verax, igitur deus verax est
et non mendax. Item non sic sunt cogitationes dei ut hominum, nec ta-
Esa. vi. les viae eius ut hominum (Nam, ut ait Esaias, quantum exaltatur caeli
a terra, tantum exaltantur cogitationes dei a cogitationibus hominum
et viae dei a viis hominum.) Cogitationes autem hominum sunt ad malum
ad iniustitiam, ad vindictam et huiusmodi, igitur cogitationes dei
rectae sunt et aequae, cogitationes pacis et non afflictionis. Item, Non est talis
deus erga inimicos suos, qualis erga suos est homo. Homo autem per-
sequitur inimicos, et malefacere eis conatur: Deus igitur beneficiis af-
ficit suos inimicos, atque ad se conatur allicere ut poeniteant. Item, Non
sic se exhibebit deus in iudicio futuro, ut modo se exhibet: Nunc au-
tem semper paratus est misereri clamantibus ad se, et flecti potest pre-
cibus. Tunc igitur nullis precibus flecti poterit, nullis fletibus com-
luc. xxii. moveri. ¶ Sic in Evangelio dominus, ait discipulis, Non sic erit in-
ter vos quantum ad eos qui aliis erunt praelati, quemadmodum inter re-
ges gentium. Reges autem gentium dominantur eorum imperio, et cum
fastu potestatem exercent inter illos. Igitur inter vos non ita erit, sed
per humilitatem debebit infra omnes se submittere praelatus aliis, ut
qui maior esse velit, sit omnium servus, et qui praecessor sicut ministra-
Mat. vi. tor. Item, Non sic verbis orandum est, quomodo orant ethnici: confi-
dunt autem illi in multiloquio, igitur non vos in multiloquio orabi-
tis, sed corde attento. Item, Non talis erit vestra dilectio qualis est
Ethnicorum: hi autem solum diligunt sibi benefacientes et propinquos, vos
Matt. v. igitur non illos solum, sed omnes, amicos et inimicos. Maxima, De dis-
similibus non idem est iudicium. ¶ A disproportione, Non ita se habet in
homine anima, quomodo nauta in navi: Nauta vero in navi est non si-
cut pars navis aut navem vivificans, sed tantum quasi motor extrinsecus:
Igitur anima est in homine sicut eius pars, et vita, et movens intrinsece.
Item, Non sic se habent duodecim ad sex, quomodo octo ad sex: Ha-
bent autem se duodecim ad sex in proportione dupla. Igitur non se
habent octo ad sex in proportione dupla. Maxima, De iis inter quae
non eadem est proportio, non idem erit iudicium. Item et a comutata
disproportione (ut ita loquamur) argumentum sumitur, hoc modo Non
sic se habent duodecim ad sex, quomodo se habent quatuor ad tria.
(Inter illa enim est proportio dupla, inter haec sesquitertia) ergo non
sic se habent duodecim ad quatuor, quomodo sex ad tria. Nam inter haec
est proportio dupla, inter illa vero tripla. Duodecim enim ter conti-
nent quaternarium. Maxima, Si non ita se habet primum ad secundum
ut tertium ad quartum, nec ita se habebit primum ad tertium, ut secun-
dum ad quartum.

Caput. xxxiii.

¶ De loco ab authoritate.

Inter locos extrinsecos, unus superest tractandus, quem Boe-
tius nominat a rei iudicio, quod in eo sumatur argumentum eius

dicio sapientum atque expertorum, quod de re illa tulerunt quę in
disputationem vocatur. Cicero vero ab authoritate eum nominat,
qua appellatione & vulgo vtuntur recentiores. Ex hoc autem loco p
bamus aliquid ita esse vel non esse, eo quod vel omnes, vel plurimi,
vel magis sapientes, magisque experti in qualibet professione ita sen
tiunt. ¶ Valet autem solum affirmatiue, hoc modo, Qui in Astrono-
mia peritiores habentur, sub firmamento asserunt septem esse planeta-
rum orbes: igitur septem sunt sub firmamento planetarū orbes. Phy-
sici asserunt quatuor esse elementa, ex quibus mixta omnia componū
tur: igitur ita est. Grammatici tradunt octo esse partes orationis, igi-
tur sic res habet. Dialecticorum princeps Aristoteles, syllogismum
dixit tribus tantum constare terminis, igitur sic res habet. Agricultu
rę periti dicunt, tempus hoc aut illud esse aptum sationi, igitur sic ha
bet. Comentarię artis periti asserūt non durabile esse opus quod hye
mali tempore compingitur, sic igitur habet. Ita in omni professione,
ab omnium, vel plurium, vel paucorum magis sapientum, imo vnius
eximie sapientis & experti iudicio, licet argumentari. Maxima, Uni-
cuique experto in sua scientia credendum est. Item, Quod omnibus,
vel pluribus, vel maxime sapientibus videtur, ita se habere probabile
est. ¶ In hoc autem loco, illud est peculiare, quod non sumuntur argu
menta ex certa aliqua habitudine ad terminum in quęstione positum
nec est hic inuenire terminum inferentem, & terminum illatum, cum in
cęteris id fieri sit manifestum, etiam in locis extrinsecis omnibus. Ut
verbi gratia, in loco ab oppositis semper valet illatio ratione habitu
dinis quę est inter duo opposita, quorum vnum infertur ex altero: sic
in locis a maiori, minori, simili, valet illatio ratione habitudinis,
quę est inter maius & minus, aut inter duo similia siue proportionalia
Hic vero nihil tale inuenitur. Atque hoc illud esse puto, quod Cice-
ro in Topicis ait. Gręcos huiusmodi argumentationes, appellare
Atechnas id est, inartificiales, siue (vt ipse ait) artis expertes. Eadem
quoque ratione extremo loco hunc arbitror vulgo locari, quemad-
modum & Cicero omnium nouissimum illum constituit, & quasi post
cęteros adiecit. Boetius tamen in enumeratione locorum extrinseco
rum primum illum constituit. Cuius, si vlla est ratio (vt esse vtique
putandum est) hanc arbitror assignandam: quoniam maxime extrinse
cum videtur esse conclusioni argumentum, quod non ab aliquo ter-
mino in quęstione trahitur, nec secundum vllam habitudinem termi
norum sumitur, sed tantum ab ipso rei iudicio, quod a personis ad-
fertur extrinsecus. ¶ Hoc autem sciendum est ex loco isto non debe-
re fieri argumentationes, nisi affirmatiuas. Negatiuę autem non sunt
efficaces, Non enim sequitur, Aristoteles aut Plato hoc non dixit:
igitur non ita est. Nemo enim quantumuis in professione, aut arte sua
insignis, omnia sic potuit explicare quę ad suam artem aut professio-
nem pertinet, vt nihil reliquisset inueniendum, discendumque poste-
ris. Nulli enim Deus omnia reuelat, neque vlli hominum totam scien
tis natura sic prodit, vt nihil celet. Qui igitur negatiue argumentan-
tur ab authoritate quorumlibet expertorum, in fallaciam incidunt.

¶ Negatiue autem dicimus argumentari ab authoritate, quando ex eo quod non sit hoc dictum argumentamur, ipsum no ita habere. Unde ouimita argumentor: Aristoteles dixit, cęlum non esse corruptibile: igitur non est corruptibile. Magistri Theologię testantur non esse plura sacramenta, neque pauciora quam septem. igitur neque plura sunt, neque pauciora: sic colligens non dicat argumentari ab authoritate negatiue, sed affirmatiue. Tametsi enim propositio sit negatiua, ad quam adfero authoritatem, modus tamen hanc adferendi, secundũ affirmationem fit, non secundum negationem. ¶ Diligentissime vero hęc cautio in hoc loco est obseruanda: eoque magis, quod nostra hac tempestate plurimos etiam magnę (vt videri volunt) eruditionis homines, ita in re turpiter labi videamus: qui quicquid non est in scripturis expresse descriptum, hinc quasi falsum condemnant atque reiiciunt. Item in rebus Philosophicis, quicquid apud Platonem, Aristotelem, Ciceronem, aut alios antiquos tractatum non inueniũt, velut vana & nugamenta reiiciunt. Quasi vero antiqui illi abyssum naturę ita penetrauerint, sicque penitus exhauserint, vt nihil omnino relictum sit posteris, quod ipsorum possit ingeniis adiici: quasi antiqui illi magni & pręclari dii fuerint, posteri vero bruta ratione iudicioque carentia. Adde quod & ex diuina authoritate posteris generationibus longe plura & potiora quam prioribus sint patefacta mysteria: atque etiamnum quo diutius perstat sancta Ecclesia, eo plura indies patefiunt fidelibus sanctę veritatis mysteria.

Caput. xxxiiii.

¶ Quibus potissimum disciplinis conueniat locus iste, & de authoritate duplici.

Est quoque hic notandum, quod locus iste licet ad omnes disciplinas vsum suum pręstat, potissimum tamen ad duas: eam videlicet quę omnium infima est ac velut fundamentum, & eam quę summa est ac velut regina cęterarum, id est, Grammaticam & Theologiam. Fere enim omnes grammaticę regulę ex voluntate processerunt eorũ qui primitus illam effinxerunt, tametsi in nonnullis rationem consuluerint. Unde quicquid in Grammaticis probatur, ex authoritate cõficitur eorum qui vel regulas condiderunt loquendi atque scribendi vel ex quibus regulę istę desumptę sunt, vt pote ex vsu Oratorum atque Poetarum, & eorum qui emendate loquuti existimantur. ¶ In Theologia autem quoniam res tractantur arduissimę, quę supra captum sunt hominum, & rationis acumine attingi non possunt, ideo ratio perparum in ea valet, authoritas omnia. Atque etiam, licet ratio nonnulla diuinas res concernentia possit vtrumque probabiliter siue verisimiliter ostendere (id quod nonnulli editis de Theologia naturali libris pulchre satis monstrarunt) non tamen potest ratio hominem eo perducere vt talem prębeat diuinis rebus assensum, qualis debetur iisdem. Debetur nãque illis fides, quę est assensus firmus sine formidine de opposito: cuiusmodi proculdubio assensum, nõ po-

test humana ratio nimium imbecillis ⁊ caligans in animis nostris generare. Authoritas vero sola id potest cum illi sic mens humana prorsus innititur, vt omni postposita dubitatione infallibiliter verum esse credat, quod ex illa proponitur, etiam si ratione id nequaquam possit comprehendere vel intelligere. ¶ Ubi rursum notandum est, duplicem esse authoritatem, diuinam, ⁊ humanam. Humana est, quę ab homine nascitur: Diuina, quę a Deo. Illa fallere potest, sicut ⁊ falli: ista nec falli potest, nec fallere. Nemo est enim hominum tanti ingenii, aut tantę exercitationis, cui non interdum aliquid exciderit non probandum. Nam Ciceroni Demosthenes, ⁊ Horatio Homerus ipse interdum dormitasse videtur. Unde est illud vulgatum in omnium ore prouerbium, Quandoque bonus dormitat Homerus. Solus autem Deus est, qui nunquam errat, nullibi labitur, nunquam decipitur. Propter quod humana authoritas, tametsi probabilis sit, semper tamen suspecta est, nec fidem plenam generare sufficiens. Diuina autem certissima est, ⁊ absque periculo, fidemque certissimam generat ¶ Inest autē diuina authoritas, non iis solū, quę per semetipsum Deus loquitur, sed ⁊ quę per ministros suos scribit aut loquitur spiritu suo inspirante. Hinc omni canonicę scripturę authoritas diuina competit, quoniam (vt Apostolus Petrus ait) spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. ii.Pet.i. Unde quicquid manifeste asserit scriptura Canonica, id tanquam firmum ⁊ indubitatum haberi debet. Iam quicquid docet Christi sponsa, sancta Ecclesia, id tanquā verum ⁊ indubitatum, ex authoritate spiritus sancti, qui eam regit suscipi debet sine formidine. Cetera vero dogmata patrum orthodoxorum, licet eximia sanctitate pręfulgentium, non parem habent authoritatem, vt per omnia cogant nos assentiri ipsorum sententiis. Interdum enim licet illorum authoritati cum rationabili modestia refragari, interdum etiam corrigere errorem cum reuerentia. Quēadmodum de se ipso ingenue testatur beatus pater Augustinus, de suis scriptis similium scriptis ita ad Uincentium scribens. Negare non possum, nec debeo, sicut in nostris maioribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quę possunt iusto iudicio ⁊ nulla temeritate culpari. Ac rursum, Hoc genus literarum (de scriptis patrum loquitur) ab authoritate canonum distinguendum est. Non enim sic leguntur tanquam ita testimonium ex eis proferatur, vt contra sentire non liceat sicubi forte aliter sapuerint quam veritas postulat. ¶ Ueruntamen non temere, nec sine magna ratione talium patrum, qui in Ecclesia magnę eruditionis ⁊ sanctitatis habentur dictis licet refragari: vt nostra hac tempestate nimium impudenter faciunt plerique, qui sui ingenii ⁊ crassi, ⁊ tardi, ⁊ peruersi sententiam, nimia pręsumptione clarissimorum quoque patrum exactissimo iudicio, nihil verentur, vel ęquare, vel anteponere. Quę tanta impudentia atque pręsumptio, non modo decorem Christianum: verumetiam naturalem dedecet verecundiam atque modestiam. Semper enim ⁊ ab Ethnicis magnus honor, multaque authoritas dari consueuit iis, qui in professione aliqua insignes aut pręcipui sunt habiti.

Tametsi enim nemo hominū ex suo spiritu loquēs omnia bene dixerit aut scripserit, imo & ii qui spiritum Dei habent orthodoxi patres, tametsi in aliquibus permissi sunt cecutire, aut labi: plurimi tamen illorū, vel pleraque vel pene omnia recte dixerunt, vixque in vno aut altero aut omnino in paucissimis aberrauerunt a scopo, ita vt recte dictorum multis milibus, vix vnum possit non recte dictum opponi. ¶ Propter quod, ab authoritate eorū merito probabile erit argumētum, potissimum quando de ea re agitur, cui alius nemo posterior, vel paris, vel maioris authoritatis, post plurima secula ausus est cōtradicere. Et si hec dixit Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Cyprian⁹, Tertulianus, vel alius huiusmodi, & nemo orthodoxorum patrum. Id tanquam falsum reprehendit, neque ecclesia vnquam contrarium declaraui, admodum probabiliter colligimus id verum esse. Secus vero cum ea de re agitur quę postmodum ab aliis paris aut maioris authoritatis doctoribus, in contrariū definita est. Quemadmodum non valet argumentatio, Cyprianus censuit baptizatos ab hereticis esse rebaptizandos in Ecclesia: igitur sic res habet. Huic enim sententię aduersatus est beatus Augustinus, & tota obluctatur Ecclesia, quę plus habet authoritatis, quam vnus ille cum paucis sibi adherentib⁹. Nec sequitur. Origines (vt asseritur) finem posuit damnationi malorum angelorum: igitur sic res haber. Aduersus hanc enim sententiam fortissime depugnarunt plurimi orthodoxi, Hieronymus, Augustinus, ac huiusmodi plures, atque tota Ecclesia. Denique & hoc aduertendum est, quantum ad humanas disciplinas attinet, loci huius vsum maxime conducere apud eos, qui ad professionem aut disciplinā quālibet accedunt nouitii. Iuxta Aristotelis notatu dignam sententiam, Credere oportet eum qui discit. Qui enim primum limina disciplinę cuiuslibet ingreditur, nondum sufficit per rationē de iis quę proponuntur iudicare, cum nihil adhuc intelligat eorū quę traduntur. Uerum vbi longius quis progressus fuerit, artemque ipsam & disciplinā penitius introierit, tum magis illud oblectabit ratio, incipiet magna animi iucunditate singularum rerum, quas prius discendo tātum credidit, rationem inuestigare & inuenire.

¶ Contra locum ab authoritate arguitur sic.

Argu. i. ¶ Primo. Philosophus non dixit mundum incepisse esse, ergo mundus non incepit esse, antecedens est verum, consequens hæreticum, ergo argumentum ab authoritate non tenet.

Argu. ii. ¶ Secundo sic. Sanctus Thomas dixit beatam virginem esse cōceptam in peccato originali, ergo ita fuit, Antecedens est verū & consequens falsum, ergo sequela nulla.

Argu. iii. ¶ Tertio sic. Martinus quintus dispensauit cum quodam vt retineret germanam suam pro vxore, ergo ita potest quilibet

summus pontifex dispenare cum fratribus vt ducāt suas germanas in vxores, cōsequens videtur esse falsum, ergo locus ab authoritate est insufficiens.

¶ Ad primum dico, quod locus ab authoritate nō tenet negatiue. Item dico, quod philosophus non fuit expertus in creatione mundi, & ideo non est illi credendum. Ad primū.

¶ Ad secundum respondeo, q Sanctus Doctor potest excusari quia ecclesia non determinauerat Beatam Virginem esse cōceptam in peccato originali, nec non conceptam. Secundo dico, quòd sibi non est credendum, postquam asseruit vtranq; partem contradictionis. Nam ipse Doctor sanctus Thomas tenet (vt habetur in tertio sententiarum, distin. tertia) q Beata Maria fuit concepta in peccato originali sed statim liberata à Deo ipse etiam in primo sentētiarum distin. decima septima, articulo quarto, in solutione quarti argumenti & in primo sententiarum distin. xliiii. arti. tertio in responsione ad tertiū argumentum sic ait. Puritas intenditur per recessum à suo cōtrario, ideo potest inueniri aliquod creatum, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, siue vlla contagione peccati, & talis fuit puritas Beatæ Virginis quę immunis fuit ab omni peccato tam originali, actuali quam mortali: sed ista immunitas seu puritas fuit sub Deo, quia ipsa habuit potentiam peccandi sed Deus non. Tertio dico quòd authoritas eius potest inficiari, eo q non est authoritas scripturæ sacræ, vel ecclesiæ, aut sacrorum canonum. Ad secūdū.

¶ Ad tertium respōdetur q Papa Martinus motus fuit aliqua rationabili causa ad dispensandum, sed non est trahenda illa authoritas in consequentia, sicut nec illa quòd matrimonium ratum & non consumatum potest dissolui, & ducere vxorem secundam viuente prima, quāuis non ingrediatur religionem. Item dicitur q authoritas papæ non est authoritas Dei, nec sacræ paginę, nec sacrorum Canonū, & sic argumentum est validum. Tertio dicitur q papa potest errare. Ad tertiū.

Caput. xxxv.

¶ De loco a trāssumptione.

De loco a transsumptione.

Solent quoque locis extrinsecis adiicere locum alium, dictum a transsumptione, cuius duplicē assignāt vsum. Interdum enim quęstione aliqua proposita generali, ad aliquam speciem nos transferimus, vt facilius expeditiusque propositum monstremus: ęstimātes generale propositum sufficienter declaratum, si particulare illud ad quod nos transtulimus declaremus. Huius exemplum Boetius adducit ex Socrate, qui cum quęreret, quid in vnoquoque posset iustitia: omnem tractatum transtulit ad reipublicę magnitudinem, atque ex eo quod illic efficeret in singulis etiam valere confirmauit. Interdum vero hęc transsumptio fit in nomine, cum proposito nomine ignoto ad aliud nos transferimus notius. Et si disputatio de philosopho habeatur, ꝛ ignoret forsitan quis philosophi nomen, ad sapiētis nomen translatio fiet. Est enim sapientis nomen notius quā philosophi, quoniam illud Latinis domesticū est, hoc peregrinum. Uerum huius loci nō ita magna videtur esse vtilitas, propter quod de eo prolixiorem tractatum nō facimus, ad medios locos properantes.

Caput. xxvi.

¶ De locis medijs, ꝛ primū de loco a coniugatis.

Locus a coniugatis.

Inter locos medios primus est, qui appellatur a coniugatis, secundus qui a casibus. Inter coniugata ꝛ casus hęc est differentia quod coniugata dicantur terminus abstractiuus ꝛ denominatiuus idem principaliter significantea: casus vero, plura dicuntur denominatiua, siue nominalia, siue verbalia, siue aduerbialia ab eodem aliquo abstracto secundum denominationem formata, Ut iustitia iustus ꝛ iuste coniugata sunt: item sapientia sapiens ꝛ sapienter. Idem enim habent significatum principale, sed differunt tantum in minus principali significato eo quod terminus abstractiuus nudam qualitatem significet, terminus autem concretiuus simul substantiam. ¶ Dicta sunt autem coniugata, quia sub eodem sunt iugo significationis, aut quia ad idem significationis iugum pertinent. Casus vero sunt, vt iustus ꝛ iuste. probus probe. Ideo dicti casus, quoniam ambo per quandam deflexionē cadunt a principali nomine, id est, ab abstracto Hoc enim dicitur nomen principale: quoniam formam ipsam nudam ꝛ per se significat nihil simul aliud, nec ex principali, nec est minus principali significato importans. Unde licet forsitan interdum contingat, secundū Grammaticorum deriuationem, a concreto deriuari abstractum: secūdum rem tamen ꝛ significationem ac per se, abstractum est principalius concreto: quoniam concretum suam habet denominationem a forma per abstractum simpliciter significata. ¶ Interdum vero sub nomine coniugatorum generaliter intelliguntur etiam casus, vt apud Ciceronem qui locum a casibus non distinguit ab hoc loco a coniugatis: sed illum sub hoc concludit. Quia enim plura concreta ab eodē abstracto formata sub eodem sunt iugo primarię, ꝛ precipuę significationis, non immerito coniugata dici possunt. ¶ Fiunt autem argumentationes, tam a cōiugatis quā a casibus, ꝛ affirmatiue ꝛ negatiue.

Interdum quidem in prędicatis bonum ⁊ malum. Interdum in aliis. Primi exemplum est Qui iustus est, bonus est: igitur iustitia est bona, ⁊ econtrario. Item in aduerbiis sic, Quod iuste fit, bene fit, igitur iustitia est bona, ⁊ econtrario. In verbis sic. Temperate bonum est, igitur temperantia est bona. Obedientia sancta est, sanctum igitur est obedire. Maxima, Quod vni conuenit coniugatorum, ⁊ alteri conuenit. Item, Coniugatorum in eo quod coniugata sunt, vna est eademque natura. ¶ Interdum vero fit in prędicatis aliis quam bonum ⁊ malum, hoc modo, Qui currit mouetur, igitur cursus est motus. Percussum patitur, igitur percussio est passio. Album est coloratum, igitur albedo est color, Quod dulce est sapidum est, igitur dulcedo est sapor, Qui iustus est probus est, igitur iustitia est probitas aut virtus. Maxima, Si coniugatorum vnum vni conuenit, ⁊ alterum alteri conueniet. ¶ Vt autem vniuersaliter ex hoc loco desumpta argumenta valeant, primũ quidem obseruandum est, vt propositiones sumantur in quibus prędicatum per se conueniat subiecto, non per accidens. Nõ enim necesse est, si duo concreta per accidens de se inuicẽ dicantur, ob hoc illorũ quoqꝫ abstracta de se inuicẽ similiter prędicari. Quemadmodũ videlicet albũ ⁊ dulce, duo hęc cõcreta de se inuicem prędicãtur, dicendo, Albũ est dulce, ⁊ dulce est albũ: eo ꝙ vnum ideqꝫ lac simul ⁊ albũ sit ⁊ dulce. Nõ tamen hinc potest inferri, albedinẽ esse dulcedinẽ. Per accidens enim nõ per se, illa concreta de se inuicẽ prędicãtur. ¶ Tunc autẽ dicuntur duo cõcreta de se inuicẽ per accidens prędicari, quãdo res significata per vnũ nõ est in re per alterum significata, nec eadẽ est vtriusque significati natura, sed ambo simul in eodẽ subiecto reperiuntur. Vt albedo non est in ipsa dulcedine, neque dulcedo in ipsa albedine, nec ambę eiusdẽ sunt naturę. Verum, quia simul ambę inueniũtur in odem subiecto tertio, nẽpe in lacte, hinc est quod de se inuicem prędicantur: idque per accidens, ratione subiecti tertii, in quo conueniunt, non autem per se, non eo quod vnius essent naturę, aut alterum in altero. Ita dicendum ⁊ de istis propositionibus, Sciens est probus vel studiosus, Humilis est iustus, Grammaticus est Dialecticus, Videns est audiens, Sapidum est coloratũ, atque huiusmodi. Ex quibus non licet inferre, igitur scientia est virtus humilitas est iustitia, grammatica est dialectica, visus est auditus, sapor est color. Cum autem dico, albũ est coloratum, prędicatio est per se, non secundum accidens. Albedo enim quę per subiectum significatur, ⁊ color qui per prędicatum, eiusdem sunt naturę, sicut species et genus ⁊ coloris natura est in albedine, sicut natura generica in natura specifica. Ob hoc per se ista conueniunt. Similis est de istis propositionibus, Humilis est probus, Grammaticus est sciens, Dulce est sapidum, Suaue est odoriferum, Triangulare est figuratum, Durum est naturaliter potens, Molle est naturaliter impotens, Percutiens est agens, percussũ est passum, atque ita in cęteris prędicamentis. Ex quorum singulis: apte inferri potest prędicatio abstracti de abstracto. ¶ Deinde ⁊ hoc obseruandum est, vt assignentur vere coniugata non tantum secundum vocem, sed secundum rem ⁊ significationem. In iis

enim quę tantum secundum speciem & vocis sonum coniugata videntur, non valet. Non enim sequitur, Somnolentus vitiosus est, igitur somnus malus. Nec sequitur: Somnus bonus est, igitur somnolentum esse bonum est. Somnolentus enim non proprie est somni denominatiuum secundum significationem ei correspõdens, Somni enim denominatiuum proprium est, dormire vel dormiens. Somnolentus autem denominatiuum est a somnolentia. Unde sic est argumentandũ Somnolentus vitiosus est, igitur somnolentia vitiũ. Sõnus autẽ bonus est, igitur dormire bonũ est: & dormire bonũ est. igitur somnus bonus est. Nihil autẽ refert, siue denominatiuũ sit significatione tantũ, siue voce & significatione simul. Pręcipuũ enim quod hic quęritur, significatio est. Uerũ denominatiuũ voce tantũ huic loco minime cõuenit,

¶Contra locum à coniugatis arguitur sic.

Argu. pri. ¶Primo. Album est dulce, ergo albedo est dulcedo, nec econtra valet, Albedo non est dulcedo, ergo album non est dulce.

Argu. ii. ¶Secundo. Humanitas non est animalitas, ergo homo non est animal: nec econtra, homo est animal, ergo humanitas est animalitas.

Argu. iii. ¶Tertio. Album est coloratum, ergo albedo est colorata, antecedens est verum, & consequens falsum, ergo intentum.

Argu. iiii. ¶Quarto. Quod iuste fit, liberaliter fit, posito quòd pater exhæredet filium suum, iam antecedens est verum, & cõsequens falsum.

Ad primũ. ¶A primum respondetur. Concedendo totum, cum sint prædicationes de per accidens, sed iste locus non tenet nisi in prædicationibus de per se.

Ad secũdũ. ¶Ad secundũ respondeo, q iste locus non tenet in abstractis.

Ad tertiũ. ¶Ad tertium dico, q non arguitur respectu vnius prædicati quod requiritur, sed respectu plurium: color enim & coloratum sunt plura prædicata.

Ad quartũ. ¶Ad quartũ concedo, q sequela nõ valet, quia iste locus à cõiugatis non tenet nisi in prædicatis de per se: accidit eñ iusto quòd liberaliter aliquid agat, & sic licet antecedens sit verum quòd pater iuste exhæredet filium suum, tamen illud non dicitur liberaliter fieri.

Caput. xxxvii.

¶De loco a casibus.

Eadem quoque hęc obseruanda sunt, cum a casibus argumentum Locus a ca
sumitur. Sic enim est argumentandum. Quod iuste fit, bene fit, sibus.
igitur qui iustus est bonus est. ⁊ econtrario. Quę humilia sunt hone
sta sunt igitur quę humiliter fiunt honeste fiunt. Qui grāmatice lo-
quitur, scienter loquitur, igitur grāmaticus est sciens, ⁊ econtrario.
Qui sophistice loquitur odibilis est, igitur est sophista odibilis. In-
iuste agere malū est, igitur iniustus malus est. Percuti est pati, ⁊ per- „
cutere est agere, igitur percussum est passum ⁊ percutiens agens. Ma- „
xima, Casuum in eo quod casus sunt, eadem est natura. ¶ Cicero vero
tale proponit pręsentis loci exemplum, Si ager est compascuus, ius
est compascere: iuxta quam formam ita licebit ex hoc loco argumenta
ri. Si religiosus est, religiose debet viuere: si Christianus, Christiane.
Si Christiane aut religiose nō vixit, non est Christianus aut religio-
sus. Cęnobitarum si omnia sunt cōmunia, iustum est vt cōmuniter om
nibus vtantur. Si proprie vtantur ⁊ peculiaria sibi ac propria faciāt:
⁊ ipsi (vt vulgo apellantur) proprietarii censendi erunt. Si hęc res nō
est mihi propria, non ea licet mihi vti proprie. Item si quis fortiter
agit aut prudēter, is fortis aut prudens dicetur: si impudice loqua
tur vel agat, impudicus erit. Item, Spiritus est deus, spiritualiter
ergo colendus. Magnus est deus, magnifice igitur est colendus. Itē
si nobilis quispiam est aut ingenuus, nobiliter ⁊ ingenue debet agere.
Si non agat ingenue, nec ingenuus erit. Huc illud pertinet quod ille
apud Terentium ait, Homo sum humani nihil a me alienum esse pu-
to. Et illud quod per Sapientem in confessione laudis Domino di-
citur, Cum sis iustus, iuste omnia disponis. ¶ In propositionibus au Sapiē. xii.
tem per accidens non valet argumentum. Non enim sequitur, Per-
cutiens est percussum, igitur percutere est percuti. Nec sequitur. Grā
maticus est probus, igitur grammatice loqui est probe loqui. Item,
cum non assignantur propria denominatiua non valet argumentatio
hoc pacto, Potare aut bibere bonū est (cum sit ad naturę sustentatio-
nem necessarium) igitur potor aut bibulus bonus est, sed inferri de-
bet, igitur potans aut bibens benefacit.

Caput. xxxviii.
¶ De loco a diuisione.

Tertius inter locos medios est, qui appellatur a diuisione. Pro
cuius loci pleniori intellectu pręmitēdum est, quid sit diuisio, ⁊
quę ad bonam diuisionem requirantur conditiones, ⁊ quod modis
fiat. Est autē diuisio, partitio aut sectio, siue distractio alicui⁹ totius
in plures partes. Unde in omni diuisione spectandū est aliquid quod
diuiditur, ⁊ aliqua in quę fit diuisio, ⁊ quędam signa per quę fit diuisio.
Quod diuiditur, appellamus diuisum, illa in quę fit diuisio, membra „ Quid di
diuidentia aut membra diuisionis, quod in ea tāquam in membra vel uisio.
partes fiat totius diuisio. Illa autem signa per quę fit diuisio, signa di-
uidentia aut notę diuisionis appellantur. Ut cum ita dicimus, Ani-
malium aliud est homo, aliud est brutum, tota illa oratio est diuisio:

animal. diuisum: homo & brutum, membra diuidentia, siue partes diuisionis: aliud vero est signum diuisionis. Aliter efficitur diuisio per coniunctionem disiunctiuam hoc modo, Omne animal vel est homo, vel brutum, vbi nota diuisionis est coniunctio disiunctiua. ¶ Ad hoc autem vt diuisio propria sit & absolute bona, primo exigitur, ne diuisum excedat membra diuidentia omnia simul sumpta, idest, ne diuisum latius pateat, quam simul omnia membra, ita vt aliquid posset sub diuiso contentum inueniri, quod sub nullo membrorum diuidentium cõtinetur. Hoc enim est excedere diuisum mẽbra diuidentia. Huius defectu nõ est bona ista diuisio, Animaliũ quoddam est gressibile, quoddam volatile. Sunt enim animalia, quę nec gressibilia sunt, nec volatilia, vt pisces natantes & serpentes qui repunt super terrã. ¶ Vicissim requiritur ad bonam diuisionem vt membra diuidentia non excedant diuisum: hoc est, vt non contineatur quicquam sub membrorum aliquo, quod non item sub diuiso. In proprie dicta enim diuisione, illa in quę fit diuisio, debent esse partes, & quasi membra ipsius quod diuiditur. Si autem aliquid sub membris contineatur quod non sub diuiso, iam non partes sunt aut membra: quoniam quicquid est in parte est & in toto cuius illa est pars. Huius defectu, ista non est diuisio bona, Brutorum aliud est sanum, aliud ęgrum. Multa enim sunt sana et ęgra, quę non sunt bruta, nimirum homines vniuersi. Nisi ad nomina illa sanum & ęgrum intelligatur repeti ipsum diuisum, hoc sensu, Brutorum aliud est brutum sanum, aliud est brutum ęgrum. Hic enim diuidentia membra, quę sunt partes in modo respectu diuisi, ipsum nequaquam excedunt. ¶ Atque ita in omni diuisione subiecti in accidẽtia si propria esse debeat, intelligendum est diuisum repeti ad singula membra diuidentia, vt sint ipsa partes in modo respectu totius. Et cum dico, Hominum alius est calidus, alius frigidus, alius tepidus. Hominum alius est albus, alius est niger, alius medio colore coloratus, atque ita in cęteris. ¶ Requiritur tertio, vt membra diuidentia, non coincidant, sed pugnent adinuicem, sic vt de eodem non possint vere prędicari. Illa enim in quę fit diuisio, debent esse partes diuersę ipsius quod diuiditur. Partes autem si diuersę sint, de se inuicem nõ dicuntur, sed pugnant, alioqui non sunt diuersę. Huius defectu, ista non est bona diuisio, Hominum alius est risibilis, alius flebilis. Neque ista valet, Animalium aliud est homo, aliud brutum, aliud auis. Nam auis & brutum nõ pugnant, cum sint genus & species. Simili modo ista non valet. Propositionum alia est vera, alia falsa, alia necessaria, alia impossibilis. Nam propositio necessaria & vera coincidunt, similiter propositio falsa & impossibilis. ¶ Pręterea notandum est, diuisionem fieri dupliciter. Primo, per negationem, vt, Animalium aliud est homo, aliud non est hõ, vel aliud est non homo. Omne quod est, aut viuit, aut nõ viuit. Huiusmodi diuisio nũquam habet nisi duo mẽbra: quoniã inter affirmationem & negationem, quę sunt contradictorię opposita nullum est dare medium, id est, nihil potest inueniri, de quo non alterum illorum vere prędicetur. Vnde duobus eiusmodi membris diuisio completa sit necesse est, nec potest adiici tertium,

nisi fiat coincidentia cum altero duorum, vt pote, vel cum affirmatione, vel cum negatione. Et quidem ad hoc, vt eiusmodi sit diuisio proprie dicta, repetendum est diuisum ad negationem. Alioqui membrū illud quod secundum negationem effertur, superabit diuisum, Et cū dico, Animalium aliud est homo, aliud est non homo, nisi repetatur animal, in hunc sensum, Inter animalia, aliud est animal homo, aliud animal non hominis (in quā) talis fiat, vel explicite, vel implicite repetitio, mēbrum secundū non hō, longe superabit diuisum animal: quontā de infinitis dicitur non homo, de quibus non dicitur animal. ¶ Alia est diuisio, quę fit per membra positiua, absque negatione, Atque hęc interdum duo tantum habet membra. Vt, Animalium aliud est homo aliud, brutum. Omne vitium, aut est secundum excessum, aut secundum defectum. Omne corpus animatum, aut est sensibile, aut insensibile. Et huiusmodi diuisio plura potest habere membra quam duo, vt pote vel tria, vel quatuor, vel plura. Et cum diuiditur propositio in propositionem vniuersalem, particularem, indefinitam & singularē. Item cum opposita diuiduntur, in opposita relatiue, contrarie, priuatiue, & contradictorie. Et a membrorum isto numero solet vocari quęlibet diuisio: aut bimembris, aut trimembris, aut quadrimembris ¶ Omnis autem diuisio, vt minimum duo mēbra habere debet. Vnde si dicas, Quoddam animal est homo, nulla fit diuisio. Quemadmodum enim in corporali diuisione videmus non posse lignum diuidi, nisi vt minimum in duas partes, posse tamen diuidi in tres, aut quatuor, aut plures immediata diuisione: sic & diuisio logica fieri non potest, nisi per duo vt minimum membra, per plura autem fieri potest. ¶ Frequenter autem contingit, eam quę trimembris est, aut quadrimembris, posse redigi ad bimembrem, Vt hęc trimembris diuisio. Rerum alię sunt simpliciter bonę, vt virtutes: alię malę vt vitia, alię medię siue in differentes, cuiusmodi sunt bona fortunę, redigi potest in hanc immediatam & bimembrem diuisionem, Rerum alię sunt differentes, alię indifferentes. Ac deinde membrum alterum noua diuisione subdiuiditur, hoc pacto, Rerum indifferētium, alię sunt bonę, alię malę. Sic item ista diuisio. Figurarū quę sunt trilaterę, alię sunt ęquilaterę, alię ex tribus duo tantum latera ęqualia habent, alię sunt totę inęquales. ita vt nullum latus alteri sit ęquale, trimembris quidem est, sed ad bimembrem redigi potest, si ita dicamus. Figurarum quę sunt trilaterę, alię sunt ęquales, alię inęquales: ac deinde, Earum quę sunt inęquales, alię tantum duo habent latera inęqualia, alię tria, id est, omnia simul. ¶ Quod autem subinde cogimur diuisiones facere plurium quam duorum membrorum, ex inopia procedit vocabulorum, videlicet quoniam non habemus apta vocabula quibus nominemus duo immediata genera aut species, in quę forte res diuidenda bimembri diuisione.

Caput. xxxix.

¶ De multiplici diuisione.

Distinguitur autem ab authoribus sextuplex diuisio. Prima est diuisio generis in species. Ut Animaliu͂, aliud est homo, aliud brutum. Qualitatum, alia est habitus ꝛ dispositio, alia naturalis potentia vel impotentia, alia passio ꝛ passibilis qualitas, alia forma ꝛ figura, atque hęc est diuisio propriissima. Sub hac continetur diuisio generis in suas differentias. Ut, Animalium aliud rationale, aliud irrationale. Uerum si proprietatem ꝛ naturam rerum consideremus potius genus dicendum videtur per differentias: quam in differentias diuidi. Per differentias enim genus diuiditur in species. Siquidem differentię genus ipsum contrahunt ꝛ distrahunt, diuiduntque in species. Nam hęc est differentiarum natura, diuidere inter species diuersas sub eodem genere positas, easque abinuicem disiungere, vt ex libro primo manifestum relinquimus. Huc etiam pertinet diuisio totius in modo in partes suas. Nam totum in modo comparatione ad suas partes quasi genus quodam censetur ꝛ vniuersale. ¶ Secunda est diuisio totius integri siue integralis, in suas partes integrales siue integrãtes. Ut cum domus diuiditur in tectum, parietes ꝛ fundamentum. Uerum hęc potius enumeratio partium quam diuisio, dicenda est, ꝛ si diuisio est, magis realis quam logica videtur. Unde modus dialecticę diuisionis (vt supra diximus) est per signa, aliud ꝛ. aliud, aut per disiunctiuam cõiunctionem. Ista autem enumeratio partium, neutro horum modorum fieri potest. Inepte enim diceris, Domorum, alia est tectum, alia fundamentum, alia paries. Uel sic Omnis domus, vel est paries, vel tectum, vel fundamentum. Propter quod distincto nomine hanc partium enumerationem Cicero, ac post eum Boetius partitionem, appellauerũt, priorem vero diuisionem. Ad hanc quoque formam nonnulli redigũt sectionem speciei in indiuidua. Ut cũ hominem diuidimus in Petrum, Paulum, Socratem, Platonem. Uidetur enim potius enumeratio quędam esse singularium multorum, quam vnius communis diuisio. Et potius species in indiuidua multiplicari, qua diuidi, videtur. ¶ Tertia est diuisio vocis in significata. Ut cum diuiditur canis in piscem marinum, ꝛ domesticum, ꝛ sydus celeste: cum polypus in piscem, ꝛ morbum. Uerum hec rursus non est proprie appellanda diuisio, sed enumeratio potius significationum plurium eiusdem termini. ¶ Quarta est diuisio subiecti in accidẽtia, vt, Animalium, aliud est sanum aliud ęgrum. Animalium aliud est ferum, aliud mansuetum, aliud medię, inter vtrumque naturę. Huc videtur pertinere diuisio subiecti in ꝓpria. Ut, Animalium, aliud est risibile, aliud hinnibile, aliud rudibile, ꝛc. Nisi forte malimus huiusmodi diuisiones reducere ad primam speciẽ, eo quod pro differentiis subinde vti soleamus propriis. ¶ Quinta est diuisio accidentis in subiecta. Ut, Sanorum, aliud est homo, aliud brutum. Coloratorum, aliud est corpus animatũ, aliud corpus inanimatũ. Itẽ eorũ quę fera sunt, aliud ẽ serpens, aliud volucris, aliud aliqua reliquarũ bestiarũ. ¶ Sexta est accidẽtis in accidẽtia. Ut sanorũ, alia sunt alba, alia nigra, alia medio colore colorata. Aegrorũ, aliud est calidũ, aliud frigidũ, Candidorũ, aliud durũ, aliud molle. Durorũ, aliud est album, aliud nigrum.

Caput .xl.

¶ De modis argumentandi per locum a diuisione.

His pręmissis, dicendum est, quomodo ex hoc loco sumi debeant argumenta. Fiunt autem dupliciter. Primo, cum de aliquo prędicatur diuisum, & membra diuidentia in antecedente omnia pręter vnum de eo negantur, id quod residuum est in conclusione affirmabitur de eodem. Exempli gratia, Omne animal est sanum vel ęgrum, Petrus est animal, & non est ęger, est igitur sanus. Vel sic, Animalium aliud sanum, aliud ęgrum, Petrus est animal, & non est ęger, igitur est sanus. Et quidem si duo tantum membra fuerint diuidentia, vnum tantum negatur in antecedente. Si autem plura quam duo fuerint, curandum est, vt omnia pręter vnum illud quod in conclusione secundum affirmationem inferre volumus, in antecedente negentur. Vt in hac argumentatione, Propositionum alia est vniuersalis, alia particularis, alia indefinita, alia singularis. Hęc autem propositio, Petrus studet, est propositio, & non est vniuersalis, neque particularis, neque indefinita: igitur est singularis. Quod si vel vnum membrum omiseris, pręter id quod in conclusione infertur, non valebit illatio. Non enim sequitur. Hęc est propositio, Petrus studet: & non est vniuersalis, neque particularis, igitur indifinita. Veruntamen si in cõclusione plura illa mẽbra, quę in antecedente negata non sunt, simul coniungantur secundum disiunctionẽ, valebit illatio. Vt si ita diximus, Hęc est propositio & non est vniuersalis neque particularis, igitur est indifinita vel singularis: vtique valet illatio. Maxima, Cũ quo conuenit diuisum, cũ illo necesse est aliquod membrorum diuidentium cõuenire. ¶ Secũdo valet argumentatio a diuisione procedendo ab affirmatione vnius membrorum diuidentium de aliquo, ad negationem alterius, vel omnium aliorũ de eodem: Vt animalium aliud est sanũ, aliud ęgrũ. Hoc autẽ animal est sanum, igitur non est ęgrum. Propositionũ alia est vniuersalis, alia particularis, alia indifinita, alia singularis. Hęc autem propositio, Petrus studet, est singularis, nõ igitur est vniuersalis, neque particularis, neque indifinita. Maxima, Cui cõuenit vnũ membrorũ diuidentium, de eodem reliqua omnia negari necesse est. ¶ Fundatur autẽ horum modorum ratio in conditionibus, quas supra diximus requiri ad bonam diuisionem. Prior nanque modus in hac fundatur, quod diuisum non potest excedere membra diuidentia. Fieret enim hoc, si diuisum de aliquo diceretur de quo nullum membrorũ diuidentiũ. Atque ob hoc necessarium est, vbi diuisum de aliquo prędicatur, & membra diuidentia omnia pręter vnum de illo negãtur, illud vnum de eodem, secundum affirmationẽ prędicari, Posterior modus in hac fundatur, quod membra diuidentia non possunt coincidere, sed pugnare debent adinuicem. Si enim ambo de eodem secundum affirmationẽ dicerentur, iam non pugnarent, sed coinciderent. ¶ Quantum vero ad illas diuisiones quę dantur per negationẽ, id est, quarum alterũ mẽbrum est negatio, dicimus posse fieri argumentationes modis etiam illis, quos supra diximus.

¶Contra locum à diuisione arguitur sic.

Argu. i. ¶Primo. Sol est causa caloris & non est formalis causa, ergo est materialis, tamen arguitur per locum à diuisione, ergo modus insufficiens.

Argu. ii. ¶Secundo sic. Ens non diuiditur per non ens, ergo diuisio per negationem est nulla.

Argu. iii. ¶Tertio sic. Sortes est coloratus & non est niger, ergo est albus.

Argu. iiii. ¶Quarto arguendo à negatione membrorum ad affirmationem vnius est consequentia formalis, ergo non est dialectica, ex quo patet quod impertinenter tractatur hic de loco à diuisione.

Ad primū. ¶Ad primum respondetur concedendo quòd sequela non valet, quia arguitur à negatione omnium membrorum dempto vno, debes sic arguere, Sol est causa caloris, & non est causa materialis, nec formalis, nec finalis, ergo est efficiens.

Ad. ii. ¶Ad secundum respondeo quòd omnis diuisio quæ datur per negationem præsupponit affirmationem sui diuisi, vnde illa sic debet dari. Existentium, aliud est ens, & aliud non ens: sicut ista. Animalium, aliud animal homo, & aliud animal non homo.

Ad. iii. ¶Ad tertium dico, quòd non debitè arguitur, cum non negentur omnia membra dempto vno, sunt enim medii colores, quibus aliquid potest esse coloratum, dato quòd non sit album.

Ad. iiii. ¶Ad quartum respondeo, quòd consequentia formalis à diuisione non fundatur in loco dialectico, sed fundatur in illa regula, à tota copulatiua, cum destructione vnius partis, vel pluriū sequitur positio alterius, & sic vt fundatur in loco dialectico non est consequentia formalis, sed bene vt fundatur in illa regula.

Caput. xli.

De aliis quibusdam locis signatis ab Aristotele.

Preter predictos notari possunt ex Aristotele, alii aliquot loci, qui ad argumenta inueniendum sunt vtiles. Quorum vnus di- Locus a ma-
citur a magis ad simpliciter. Hic est, cum ex comparatiuo infertur po- gis ad sim-
sitiuum. Ut si quid est magis bonum, vt etiam bonum sit necesse est: si pliciter.
quid melius, ⁊ bonum: si quis doctior ⁊ doctus. Ubi tamen oportet
comparatiuum proprie accipi. Interdum enim comparatio fit impro-
pria, quando neutri in eo gradu competit forma a qua positiuus de-
nominatiue dicitur, vt simpliciter tale possit denominari: plus tamē
illius habet vnum quam alterum. Ut cū duo fuerint quorum neuter
plene assecutus est grammaticę scientiam, vt posset dici simpliciter
grammaticus, alter tamen altero magis propinquus est ad assequen-
dum scientiam, dicimus interdum hunc illo magis grammaticum, nō
tamen ex hoc recte infertur, eum esse grammaticum. ¶ Uerum hic lo-
cus reduci potest ad locum a parte in modo ad totum: quemadmodū
econtrario, a simpliciter ad magis negatiue, reducitur ad locum a to-
to in modo. Siquidem magis bonum in comparatione ad bonum,
quędam pars est in modo: ⁊ tale simpliciter, quoddam totum in com
paratione ad magis tale. ¶ Aliter quoque licet argumentari, a posi-
tiuo ad comparatiuum ⁊ superlatiuum, hoc modo, Quod bonum est
diligibile est: quod igitur magis bonum, magis diligibile, ⁊ quod ma
xime bonum, maxime diligibile erit. Oportet autem hic assumi pro-
positiones, in quibus predicatum subiecto per se conueniat. Alioqui
non valebit in propositionibus per accidens. Non enim sequitur,
Qui sciens est probus est, igitur qui magis sciens, magis probus, ⁊
qui maxime sciens, maxime probus. Econtrario quoque a superla-
tiuis ⁊ comparatiuis, ad positiuos argumentationem valere est ma-
nifestum. ¶ Item ex appositione sumitur argumentum, hoc modo, Locus ab
Calx parieti ad mota facit ipsum album, igitur calx est alba. Atramen appositio-
tum, quia papyrum facit nigrā cui superfunditur, ideo ipsum esse ni- ne.
grum consequitur. Ignis quia calidam facit aquam admotam, ipse
quoque calidus esse arguitur. Maxima, Si alterum appositum, al-
teri facit ipsum esse aliquale, ipsum quoque tale est. Ad hunc quo-
que modum argumentari possumus, Hic adolescens ex consuetudi-
ne ⁊ coniunctu cum sene illo doctus ⁊ probus factus est, igitur ipse
senex doctus ⁊ probus est. Item, hic adolescens ex talis hominis
commercio malus factus est, ille igitur malus est, per quem alter ma
lus factus est. Sic iustum arguimus fuisse Abraham ⁊ hospitalem
Deique cultorem fidelem: quoniam nepos Loth ex eius coniunctu
talis effectus fuerat. Malas quoque mulieres fuisse illas idololatras Eccl. xiii.
⁊ alienigenas, ex quarum conuictu Salomon ipse factus est cultor Psal. xvii.

idolorum. Huc videtur pertinere, quod per sapientem dicitur, Qui tangit picem inquinabitur ab ea. Et item illud. Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruersus eris. Possent quoque & alii assignari loci quorum in pręcedentibus non est facta mentio. Verum qui nunc enumerati sunt pręcipui sunt, & fere omnes qui a Themistio, Boetio & Cicerone sunt enumerati. Quapropter Dialecticis nunc & probabilibus locis absolutis, ad Sophisticos ex opposito designandos procedamus.

¶ Deo semper & vbique gloria.

LIBRI SEXTI CONSYDERATIONIS Dialecticæ, qui de Elenchis sophisticis inscribitur.

PRAEFATIO.



Quemadmodum in iis quę ad mores attinent, difficile est malum a bono secernere, neq; raro contingit vt pro virtute vitium amplectamur, decepti specie & similitudine boni: sic & in veritate falsitateque refutanda, facilis est & frequēs dceptio, vt quę falsa sunt (iuxta Horatii verbū) decepti specie recti vera existimemus. Nimirū vt cęcutientibus oculis facile est imponere, & alia pro aliis demōstrare, efficta & adūbrata paululum exteriorum figura ac specie: ita humanę menti si non omnimoda cęcitate, certe lippitudine graui, ex colligatione corruptę carnis huius laboranti, facile nimis illuditur, vt ei pro veris falsa, pro certis incerta, pro probabilibus improbabilia obtrudantur. Quod quidē maxime per sophisticas & vitiosas solet euenire ratiocinationes. Cū enim per ratiocinationē homo, vt pote rationale animal veritates sibi nō cōgenitas debeat inuestigare, & quasi venādo perquirere, illa vbi a tramine recto deflexerit, id est, a forma bona defecerit, necesse est in cognitione veri ratio periclitetur atque deficiat. Quemadmodum deuiante itineris duce, cęcus ipse qui ducitur aberrare cogitur, aut regula incuruata, qui ea vtitur artifex, in metiendo decipitur. Eam ob rem, dialectico (cuius est officium ratiocinando verum a falso distinguere (non solum loca nosse est opus, ex quibus argumenta ad ratiocinandum depromat sibi accomoda: sed insuper iudicium illi adesse debet, quo ratiocinationes contextas discutere, & vitiosas a probis acute expediteque discernere nouerit. Ad hanc sane rem, non mediocriter adiuuat liber ille, cui Aristoteles de sophisticis elenchis titulum fecit, alii de locis sophisticis eum inscribunt. In quo quidem libro, locos siue modos aliquot digessit, ex quibus facile argumentationum vitiosarum quarumlibet defectus possit deprehendi. Nos proinde etiam hanc partem de locis sophisticis, aut captiosis elenchis pręterire omnino non volui-

mus, ne inabsolutum & incompletum esset nostri laboris opusculum Breuitati tamen ita studuimus, vt non nisi ea quę ad propositum maxime facere videbantur sumus prosequuti.

Caput primum.

¶ In quem vsum hic liber seruire debeat.

ET primum quidem hoc est admonendum, non in hunc vsum istã tradi sophisticorum locorum scientiam, vt ea passim & ex proposito vtamur ad aliorum deceptionem aut falsitatis defensionem, veritatisque oppugnationem. Absit enim ab animis omnium qui veritatem amant ista persuasio: procul sit a piis & simplicibus mentibus peruersa ista existimatio. Est enim iste artis huius abusus pessimus & perniciosus ex intentione argumenta adferre quę scias esse sophistica, & deceptoria. Eorum mis mos est, (quibus vt ait Aristoteles) operęprecium magis est videri esse sapientes quam esse & non videri: quibus proinde necessarium est videri facere opus sapientis, magis quam facere & non videri, Hoc enim pacto facile consequentur, vt sapientes videantur, quod vehementer desiderant. Cuiusmodi homines, tanquam sophi aut philosophi nomine indigni probroso vocabulo, secundum vocem quidem non ita dissimili, sed re ipsa & significatione multum distanti, a Grecis appellantur sophistę, id est impostores siue dceptores, a verbo Greco Sophizomę, quod significat imponere siue decipere. Et licet forsitan adolescentulis in concertationibus scholasticis, exercitationis gratia, id possit concedi, vt ad locos huiusmodi interdum confugiant maxime ad auferendum silentii ruborem, vbi alia probabilia non occurrunt argumenta: nequaquam tamen in viris id permitti debet, vt vnquam ex proposito ab his locis sumant argumenta. Virilem nanque grauitatem decet magis verecunde silere quam atroganter garrire aut sophistice loqui. Qui enim sophistice loquitur (iuxta sapientis verbum) odibilis erit. Imo & adolescẽtes a pręceptoribus sedulo admonendos ego censeo, ne pro adferẽdis argumentis ad locos istos facile se conferant, sed quantum fieri potest, probabilia magis semper sectentur, malintque probabilibus & verisimilibus sodalem non vincere, imo videre vinci, quam per sophistica vincere. Neque enim parum refert (iuxta Aristotelis dignissimam sententiam) iuuenem sic vel sic assuescere. Et iuxta illud Poetę, Quo semel est imbuta recens, seruabit odorẽ Testa diu. Unde & experientia quotidiana discimus, eos qui a puero huiusmodi sophisticis captionibus gloriolas captare sunt soliti, difficile etiam in ętate grandiori ab illis posse abstinere, facillimeque in illas ineptias relabi; tunc maxime cũ se probabilibus viderint destitui, & vinci veritatis põdere metuũt Tunc (inquam) veritatem quęrunt, vt solent, eludere mẽdatio, & verecundum silentium mendaci loquacitate satagunt declinare. Atque ita fit per assuefactionem vitiosam, vt per omnem vitam ad capiendã veritatis solidę disciplinã eiusmodi homines inueniãtur inepti, Et plane hi ipsi sunt, qui diuinas omnes & humanas perturbant, defędant,

ac tantum non subuertunt disciplinas. Quibus referri debet acceptum, quod sic omnia sophismatis ⁊ ineptiis, ⁊ meris deliramentis ante actis seculis plena fuerint. Non igitur ad hoc ars ista traditur, vt ad locos qui hic signantur, passim recurratur, ad illusionem veritatis sed vt per eorum considerationem latentis in argumentis contra veritatem obiectis, aut pro ea inuestiganda propositis vitia, facilius deprehendamus, ⁊ expeditius dissoluamus. Qui enim ad positionem aliquam argumentatur, eo quod ad multa cōsiderat, facile in assumpto argumento defectum aliquem committit: qui a respondente facilius deprehenditur ⁊ pãditur, si locus istos in numerato habuerit, eorūque modos exacte calluerit. Sicque per horum locorū rectum visum, sancte veritati impēditur patrocinium dum non ex illis ista subuertitur, sed astruitur.

Caput. ii.

¶ Ponitur definitio elenchi.

Quoniam autem de sophisticis elēchis liber iste inscribitur scire oportet in primis, quid per elenchi nomen significetur. Definitur autem ab Aristotele, hoc modo.

Definitio elenchi.

Elenchus est syllogismus, cum conclusionis contradictione.

¶ Cuius difinitionis hic est sensus, Elenchus est syllogismus concludens propositionem contradicentem ⁊ repugnantem alteri propositioni asserte. Et cum quis asserit positionem aliquam, si fiat syllogismus ab opponente inferens contradictoriam illius asserte positionis, huiusmodi syllogismus elenchus vocatur. Unde elēchus omnis syllogismus est, non autem econtrario. Propter quod elenchus definitur per syllogismum, vt species per genꝰ, vel minus commune per magis commune, Cum autem dicitur elenchus sophisticus, per additionem illius determitationis efficitur dictū secundū quid. Elenchus enim sophisticus vere nō est elenchus, sicut nec syllogismus sophisticus vere est syllogismꝰ, sed videtur tantum ⁊ non est, quemadmodū aperte testatur Aristoteles, ¶ Est autem in vnoquoque sophistico elencho aliqua causa aparentię, quę syllogismum illum facit videri bonū aut probatiuum, cum tali sit. Quę sane causa in omnibus generalis est, conuenientia syllogismi sophistici cum alio bono ⁊ probatiuo, secundum aliquam similitudinem eaque similitudine decipiuntur imperiti: quoniam imperiti (vt Aristoteles ait) a longe distantes speculantur. Unde in quocunque syllogismo malo nulla potest inueniri apparētię causa, non dicitur ille sophisticus syllogismus, cum eiusmodi nō sit ad decipiendū idoneꝰ. Est autē ex aduerso in singulis etiã causa defectus plerūque latens, sic nō passim a quibuslibet possit videri, nec nisi ab expertis ⁊ peritis in arte syllogistica deprehēdi. Quę cum manifestatur syllogismi sophistici robur infringitur, ne quicquã possit aduersꝰ veritatem. Neque enim est aliud paralogismum dissoluere, quam latentem defectus causam aperire.

¶ In librum Elenchorum sophisticorum ordine sextum.

¶ Examinata parte textuali, explanatoque commento, sequitur pars argumentatiua gratia exercitij.

Primo arguitur sic. Syllogismus sophisticus non est syllogismus, ergo non est apparens syllogismus. Tenet consequentia à parte in modo ad suum totum. Argu. i.

¶ Secundo sic. Syllogismus sophisticus est generatiuus deceptionis, ergo non scientiæ: & sic malè tractatur hic de illo. Argu. ii.

¶ Tertio sic. Scientia sophistica est aparens & non existens, ergo non est vera scientia. Argu. iii.

¶ Quarto sic. Habitus qui docet componere & soluere syllogismum sophisticum, est habitus scientificus, ergo non est apparens scientia. Argu. iiii.

¶ Quinto sic. Petrus fingit se esse sophistam, ergo est sophista. Sequelam probo, Fingit se esse talem qualis ipse non est, ergo est sophista. Argu. v.

¶ Pars responsiua.

¶ Ad primum quando arguis, Non est syllogismus, ergo non est syllogismus apparens, nego sequelam, quia arguitur cum determinatione diminuente, sicut non sequitur. Homo pictus non est homo, ergo homo pictus non est homo pictus. Ad primũ.

¶ Ad secundum respondeo quòd de ipso bene est scientia tanquam de scibili remoto, vel remotissimo, licet sit generatiuus deceptionis. Ad. ii.

¶ Ad tertium dico, quòd duplex est scientia sophistica, scilicet habita per vsum sophisticum, vt omne sanum est animal, vrina est sana, ergo vrina est animal ista: & non est vera scientia. Alia est scientia sophistica, quę est habitus conclusionis acquisitus per demonstrationem, & ista est vera scientia, vt omnis argumentatio apparens & nõ existens est deceptionis, sed omnis syllogismus sophisticus est apparens, & nõ existens, ergo omnis syllogismus sophisticus est deceptorius, & per istam solutionem patet solutio ad quartum. Ad. iii. & iiii.

Ad.v. ¶ Ad quintum respondetur, quòd Sophistica capitur duobus modis, putà, pro apparente sapiente, & non existente, & tunc dico quòd illa propositio, Petrus fingit se esse sophistam, implicat contradictionem, putà, quòd sit sophista & non sit sophista, quia propositiones affirmatiuæ de fingit, exponuntur per vnam propositionem affirmatiuam de apparet, & per aliam negatiuam de non esse tale, & tunc dico quòd cõsequentia est bona, quia ex antecedente formaliter impossibili, includente formaliter duo contradictoria, sequuntur formaliter, per consequentiam intrinsecam ambo extrema contradictionis: bene enim sequitur, Petrus apparet esse sophista & nõ est sophista, ergo est sophista & non est sophista. Et item, Petrus fingit se esse sophistam primo modo, ergo est sophista secundo modo, sed non sequitur illo primo modo.

Caput.iii.

¶ De quatuor generibus disputationum.

Ante vero quam ad signandos particulatim sophisticarum captionum modos accedat Aristoteles, quatuor premittit disputationum genera, siue species. Disputationum enim alię sunt doctrinales, alię dialecticę, alię tentatiuę, alię litigiosę. Doctrinales disputationes primo loco sic ab eo definiuntur.

Disputationes doctrinales. Doctrinales disputationes sunt, quę ex propriis cuiusque disciplinæ principiis, & non ex his quæ videntur respondenti, syllogizant.

¶ Quam definitionem ita intellige, Illę sunt doctrinales disputationes, quę syllogizant siue procedunt ex iis quę in qualibet disciplina sunt propria principia prima & vera, quęque indubiratam & certissimam habent veritatem, non ex iis, quę tantum ipsi respondēti sic habere videantur. Hac disputatione vtitur magister erga discipulū, qui ex propriis principiis disciplinę in qua est instituendus, & quātum fieri potest certissimis, cū illo agit. Habetque hęc disputatio doctrinalis pro suo instrumento syllogismum demonstratiuum siue doctrinalem, cuius difinitio suprapostita est circiter finem libri de syllogismis.
¶ Disputationes dialecticę ab eodem his verbis definiuntur.

Disputationes dialecticę. Dialecticæ disputationes sunt, quæ ex probabilibus collectiuæ sunt contradictionum.

¶ Quę sic est intelligenda, Illę sunt disputationes dialecticę, quibus colligi potest siue inferri probabiliter vtraque pars contradictionis. Versantur enim Dialecticę disputationes circa propositiones dubiā habentes veritatē, ad quarum veritatem inuestigandam opus est argumenta quantū fieri potest probabilia adduci ad vtranque partem contradictionis, vt sic ex vi argumentorum eluceat, vtra plus habeat veritatis aut probabilitatis. Vtitur autem disputatio Dialectica syllogismo Dialectico, tanquam instrumento de quo dictum est circiter finem libri syllogismorum. ¶ Disputationes alię sunt tentatiuę, quę definiuntur ad hunc modum.

¶ Tentatiuæ disputationes sunt, quæ ex his sunt quę vidētur respondenti, & quæ necesse est eum scire, qui se simulat habere scientiam. Diputatio nes tentatiuę.

¶ Hanc definitionem ita intelliges, Illę sunt disputationes tentatiuę quę procedunt ex cōmunibꝰ ⁊ vt plurimum notis, quę merito etiam ipsi respondenti cum quo disputatur, nota esse debeant, ⁊ quę merito scire debet quisquis videri velit sciens. Ex talibꝰ enim debet hęc disputatio procedere, vt eo melius possit tentare ⁊ experimentum sumere de scientia respondentis cum quo disputatur. Si enim cōmunia et quę passim sciuntur ille ignoret, aut quę ex eis consequuntur non videat, argumentum est quod nō admodum in disciplina promouerit. Falli autem facile posset qui tentat, si ex peculiaribus ⁊ abstrusioribus procederet, quę vix sapientissimi ⁊ consumatissimi nouerint. Non enī est consequens eum qui hęc ignoret etiam reliqua cōmunia artis ignorare. Vtitur autem hęc disputatio syllogismo tentatiuo qui secundū rem ipsam plerunque idem esse videtur cum litigioso, sed quātum ad finem differt. Sophisticus enim dicitur syllogismus, quatenus ad decipiendum ordinatur, tentatiuus vero quatenus ad sumendum de scientia alicuius experimentū. Tentatiua disputatione videtur vsus Saluator apud inuidos Scribas atque Phariseos cum eis quęstionem proponeret de Christo, cuius esset filius: ac deinde respondentibus quod esset filius Dauid, ita ex aduerso obiecit, Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum dominum, dicens, Dixit dominus domino meo. ⁊c. Si ergo Dauid eum dominum vocat, quomodo filius eius est? Processit autem in hac disputatione Saluator ex cōmunibus in sciētia legis: quoniā ea quę de Messia in scripturis dicta erāt, maxime omnium debuerāt illis esse perspecta ⁊ cognita: ⁊ quę tā aperte in lege ⁊ prophetis dicta ac scripta fuerant, merito intelligere illi debebant, qui se magistros populi ⁊ legis doctores profitebantur. Matt. xxij.

¶ Porro litigiosę disputationes definiuntur his verbis.

¶ Litigiosæ disputationes sunt, quæ ex his quæ videntur probabilia, non sunt autem, syllogizant. Disputationes litigiosę.

¶ Cuius definitionis plenior intellectus pendet ex definitione syllogismi litigiosi supraposita in libro de syllogismis, et ex iis que ibi plenius dicta sunt suppleri debent que hic dicuntur contractius. Est igitur hic sensus proposite definitionis, Ille sunt litigiose disputatiões, que procedunt vere vel apparenter, ex his que videntur esse probabilia et non sunt, subaudi, vel que ex iis que sunt in se probabilia apparenter procedunt. Fit enim huiusmodi disputatio per sophisticos et litigiosos syllogismos, siue in materia tantum, siue in forma tantum, siue in materia simul et forma peccantes.

Caput. iiii.

¶ De quinque sophistarum finibus.

Ponit quoque Aristoteles fines aliquot sophistarũ, quos in suis disputationibus decertantes et concertantes intendũt, quos vulgo etiã metas appellant, propterea quod vbi aliquam illarũ assiqui cõtigerit, disputatione quiescunt, quasi iam parta victoria et vltimo fine intentionis sue adepto. Hoc enim plurimũ querit sophista, vt respondentẽ siue vere, siue apparenter deuincat, sicque vt sapiens et doctus videatur, habeaturque in pretio apud indoctam multitudinẽ. ¶ Hec
Quinque sophistarũ fines. autẽ quinque sic enumerãtur, Redargutio, Falsum, Inopinabile, Solecismus, Nugatio. Redargutio est, quando respondens cogitur vi argumentationis affirmare quod prius negauit: vel econtrario, negare quod prius affirmauit. Signanter dicitur vi argumentationis aut disputationis: quoniam si respondens vltro id faciat, vt quod prius affirmauit, iam neget, vel econtrario, vtpote si in hoc velit scientiã ostendere, aut ingeniũ exercitare cõtradictoria in eadem disputatione defendendo, aut partis vtriusque probabilitatẽ separatim experiri,
Mete falsi. non ob hoc dicetur ille redargutus. ¶ Meta falsi est, quãdo respõdens cogitur vi argumentorũ aliquid asserere quod est manifeste et cognite
Meta inopinabilis. falsitatis. Meta inopinabilis est quãdo respõdens cogitur vi argumẽtorũ aliquid affirmare, quod licet nõ sit manifeste falsum, apud eos tamẽ qui disputationi intersunt habetur pro falso aut pro nõ probabili
Mẽta solecismi. Meta solecismi est, quãdo respõdens cogitur admittere propositionẽ aliquã in qua est vitiũ sermonis, vel quãdo ad huiusmodi orationẽ proloquendã cogitur. Solecismus aũt, hic generaliter capitur, vt cõtra barbarismũ non distinguat.
Meta nugationis. Meta denique nugationis est, quãdo cogitur respõdens admittere vnius et eiusdẽ in eadẽ oratione inutilẽ repetitionẽ. Ut si dicatur, Joãnes est homo hõ. Ubi aduertendũ est, non quãlibet repetitionẽ eiusdẽ verbi, in eadẽ etiam oratione, esse nugationẽ, sed eam tantũ que fit sine vtilitate. Qui enim idẽ replicat cũ aliqua vtilitate nugari non dicitur: vt pote cum ad maiorẽ expressionem, vel propter emphasim, fit repetitio. Uelut si dicã, O homo hõ quid superbis? Terra terra, quid sine modo tibi opes cõgeris? ¶ Horum aũt singulũ (vt Ait Aristoteles) aut vere aut apparenter sophiste intẽdunt. Nã maxime redarguere videri volunt. Proxime aũt, falsũ aliquid mõstrare. Deinde, ad id qd preter opinionẽ est ducere. Quarto solecismũ a respondente cõmitti. Postremo, idẽ frequenter dici.

¶ De fallacia & meta.

¶ Postquam visa sunt illa, quæ habentur in textu & commento, gratia exercitii elucidationisq; materię arguitur contra vtranq; partem. Et primo contra diffinitionem metæ quæ talis est, Meta est inconueniens ad quod opponens sophista nititur videri ducere respondentem, contra quam sic arguitur. Argu. pri.

¶ Primo. Nullum est diffinitum illius diffinitionis, ergo diffinitio nulla. Forte negabis antecedens, quia si meta diffinitur vel diffiniretur meta redargutionis, vel falsi. &c. Si meta redargutionis, ergo non falsi cum sint species oppositę disparatæ, & diffinitio vnius non competit alteri.

¶ Secundo. Illa diffinitio non conuenit cuilibet contento sub diffinito, ergo non est bona. Tenet consequentia à conditione bonę diffinitionis, sed antecedens probo. Non conuenit metæ non loqui, quæ est meta, sed non aliqua illarum quę assignantur in textu. Argu. ii.

¶ Tertio. Syllogismus apparens nō est syllogismus, ergo meta apparens non est meta. Argu. iii.

¶ Respondetur ad primum per propositiones. Ad primū.

¶ Prima propositio. Ibi diffinitur meta in communi adequatè. ppro. i.

¶ Secūdo species metæ, putà, redargutio & cæterę, diffiniuntur illa diffinitione inadequatè. Propo. ii.

¶ Tertia propositio. Licet diffinitio propria vniuscuiusq; speciei non conueniat alteri speciei, tamen diffinitio communis & generica conuenit omnibus, & sic paret solutio ad argumētum primum. Propo. iii

¶ Ad secundum respondetur negando antecedens, & ad probationem dico, q; meta non loqui, continetur sub aliqua illarum, quia non respondens est in illa meta ad quam duceretur si loqueretur, putà negando concessum, vel affirmando negatum, vel concedendo falsum. &c. Ad secūdū.

¶ Ad tertium respondetur concedendo totum, q; meta solum apparens non est meta, sed illa est meta quæ est apparens & existens. Ad tertiū.

Caput. v.

¶ Quid sit fallacia & quomodo diuidatur.

Superest, nunc sigillatim modos istos enumerare secundũ quos sit deceptio sophistica. Et primum quidem hoc aduertendũ est, quod ab Aristotele dicitur modus sophisticus, aut ab aliis locus sophisticus, a recentioribus quibusdam fallaciam nominari, quam & sic definiunt, Fallacia est idoneitas decipiendi, faciens credere de nõ ente quod sit ens & de ente quod sit non ens mediante phantastica visione. Quę definitio sic exponitur, Fallacia vocatur modus aliquis vel locus idoneus ad decipiendũ respondentẽ, per argumẽtum sophisticum, efficiens vt id quod falsum est & non probabile videatur apparẽter verũ & probabile, & econtrario id quod est verũ & probabile vt videatur falsum & nõ probabile: idque mediante aliqua phantastica apparentię causa, quę videtur in illo argumento esse, cũ non sit, & probabilitatẽ ei dare videtur cũ non det. Huiusmodi igitur modos vel locos sophisticos, etiã nos iuxta vulgatã appellationẽ vbique fallacias nominabimus. In vniuersum autẽ huiusmodi fallacię ab Aristotele enumerantur tredecim, quarũ sex appellat propter dictionẽ. septẽ extra dictionẽ.

Diffinitio fallacię. ,, cum, efficiens vt id quod falsum est & non probabile videatur apparẽter verũ & probabile, & econtrario id quod est verũ & probabile vt videatur falsum & nõ probabile

Fallacię in dictiõe sex. Fallacię extra dictionẽ septẽ.

Fallacię ꝓpter dictionẽ siue in dictione sunt, fallacię equiuocationis, amphibologię, cõpositionis, diuisionis, accẽtus, & figurę dictionis. Fallacię extra dictionẽ sunt, accidentis, a dicto secundum quid, ignorantię elenchi, consequẽtis, petitionis principii, secundum non causam vt causam, secundum plures interrogationes vt vnum.

¶ Dicũtur autẽ fallacię in dictione, quę causam suę apparentię sumũt & decipiendi habẽt idoneitatẽ ex parte alicuius dictionis vel orationis in argumẽtatione positę. Ut fallacia equiuocationis, ex termino plura significante sumit suę apparẽtię causam: & fallacia amphibologię ex oratione plura significante. Fallacia compositionis & diuisionis, ex determinatione & determinabili diuersimode compositis vel diuisis. Fallacia accentus, ex parte alicuius dictionis vel orationis, quę secũdum accentus diuersitatẽ diuersum reddit sensum. Fallacia figurę dictionis, ex parte alicuius dictionis vel orationis, cuius consideratur similitudo cum alia simili dictione. ¶ Fallacię autem extra dictionem dicuntur, quę causam apparentię non sumunt, nec decipiendi idoneitatem habent ex aliqua dictione sed aliunde ex aliqua phantasia circa rem ipsam. De quibus posterius suo loco dicendum est.

¶ Contra diffinitionem fallacię quę est idoneitas decipiendi, faciens credere de nõ ente q sit ens.

Argu. pri. ¶ Primo, Fallacia est habilitas decipiendi, & illa est formaliter in opponente & non in respondente, ergo opponens decipitur & non respõdens, cum vnaqueq; forma denominet suũ subiectum, & non alienum,

¶Secundo sic. Credere est actus fidei, sed fides est certa, & falla cia deceptiua, ergo falsum est dicere, quod est faciens credere, est nempe fallacia, assensus falsi, vel dissensus veri. Argu. ii.

¶Tertio. Quod non est, non est scibile, sed ista credulitas vel scientia est de non ente, ergo non veré dicitur scientia. Argu. iii.

¶Confirmatur. Nulla ars vel sciētia operatur ad deceptionē. Confirma.

¶Ad primum respondetur, ꝙ duplex est fallacia, scilicet, actiua & passiua. Actiua est in opponente formaliter, & hac effectiuè vel instrumentaliter decipitur respōdens, passiua vero est quędam credulitas in respondente formaliter, & hac decipitur respondens, vel dicitur deceptus formaliter. Diffinitio vero textus datur de prima, non de secunda. Ad primū.

¶Ad secundum respondeo, ꝙ credere in proposito non capitur pro actu fidei proprie, sed improprie pro actu alicuius apparentis probabilitatis, & non existentis. Ad secūdū.

¶Ad tertium respondetur, ꝙ ibi non ens capitur pro argumētatione apparente probatiua & non existente, vel sic, Ens logicaliter est argumentatio probatiua, & non ens est argumentatio apparens probatiua, & non existens. Ad tertiū.

¶Ad confirmationem dicit Scotus intra statu fallaciarum, ꝙ hæc ars nō traditur vt decipiamus, sed vt cognita fallacia euitemus deceptionem. Ad confir.

Caput. vj.

¶De fallacia ęquiuocationis.

Inter fallacias propter dictionem, prima est illa quę sumitur secundum ęquiuocationem alicuius dictionis. Quid autem sit ęquiuocum, satis notum ex prędicamentis relinquimus. Fere enim illic eo modo quo hic accipitur, nisi quod hic etiam quantitas eadem eiusdem dictionis solet requiri, cuius ibi non fit mentio. Qua de re operęprętium non videtur prolixius agere. Fallacia igitur ęquiuocationis est, secundum quam contingit fieri deceptionem, ex parte alicuius termini plura habētis significata. Cuius tres modos ponit Aristoteles. ¶Primꝰ ē, quādo terminꝰ plura habet significata ęque principalia. Ut in hoc paralogismo, Oīs canis est animal, cęleste sydus ē canis. igitur cęleste sydus est animal. Idē est & dō terminis cōsignificātibꝰ diuersimode acceptis. Ut in hoc paralogismo, Oē quod ē in vase ē vinū, & color ē in vase, igitur color ē vinū. Ubi, in, vel esse in, capiūtur Fallacia ęquiuocationis.

secundum diuersos modos. Huiusmodi equiuocationis cauillo (vt
author est Herodotus) Apollo diuinos vates vsus est, Cresum Ly-
dorũ regem inducens ad inferendum bellum Cyro Persarum regi,
Perdet Cresus Halym transgressus plurima regna. Uerbum enim
perdo significat, amitto & destruo. ¶ Secundus est, quando terminus
habet plura significata non eque principalia, sed vnum propter alte-
rum. Et si ita quis argumentetur, Omne quod est sanum est animal,
vrina est sana, igitur vrina est animal. Omne quod est deus est omni-
potens, homo potestatem habens vite ac mortis est deus (Iudices
enim in scripturis dii appellantur) igitur eiusmodi homo est omni-
potens. Item, Omnis homo comedit & bibit, Homo est pictura que-
dam in pariete, aut statua, igitur pictura aut statua hominis comedit
& bibit. In his omnibus, causa defectus est, ex parte terminorum plu-
ra non eque principaliter significantium. Sanum enim principaliter
significat habentem sanitatem, minus principaliter id quod significat
sanitatem. Deus principaliter significat habentem diuinam naturam,
analogice id quod participationem aliquam diuinitatis habet. Hoc
modo seipsos paralogizabant miseri Iudei, & simul iudicem suum Pi-
latum, cum aduersus Christum apud illius tribunal magnis vocibus
Joan. xix. clamarent ac dicerent, Omnis qui se regem facit, contradicit Cesari.
Regis enim nomen principaliter significat eum, qui ex natura & ex se-
ipso omnium rerum habet imperium, cuiusmodi regem se esse dicebat
Christus, & secundario reges istos terrenos, qui tãtum secundum par
ticipationem accepte potestatis imperant. ¶ Tertius modus est, quã
do dictio aliqua acquirit plura significata ex parte compositionis.
Ut immortale significat potens non mori, & non potens mori. Inue-
stigabile significat, nõ vistigabile, vel quod inuestigari potest, Inuisũ
significat non visum vel odiosum. Sicque ex his fiunt paralogismi,
Omne quod est immortale non potest mori, homo secundum statum
nature primum erat immortalis (quia poterat non mori) igitur nõ po
terat mori. Omne quod est inuestigabile potest inuestigari, vie Dei
Roma. xi. (iusta Pauli dictum) sunt inuestigabiles, igitur possunt inuestigari.
Joan. pri. Item, Omne quod est inuisum est exosum, deus est omnibus inuisus
quoniam deum (vt ait Joannes) nemo vidit vnquam, igitur deus om
nibus est exosus. ¶ In omnibus autem his paralogismis est eadem
causa apparentie, & eadem causa defectus. Causa apparentie est, iden-
titas termini equiuoci secundum vocem. Causa autem defectus est,
diuersa significatio latens sub eodem vocabulo. Soluunturque hi pa
ralogismi per distinctionẽ termini equiuoci. Si enim terminus equi-
uocus accipiatur aliter in vna premissarum quam in altera, negatur
consequentia, & est manifesta fallacia. Si autem contendat forte oppo
nens, similiter se velle vtrobique accipere terminũ equiuocum, ad-
mittenda erit consequentia, & altera premissarum falsa inuenietur.
Distinguende enim sunt plures significationes, ac deinde interrogã-
dum ab opponente, quam eligat, ac secundum hoc assignanda est illi
vel maior vel minor falsa.

¶ De fallacia ęquiuocationis.

¶ Examinata parte textuali, cum suo cōmento, gratia exercitii sequitur pars argumentatiua.

¶ Primo. Ex dictis in textu sequitur, q homo est termin⁹ ęquiuocus, sed consequens videtur falsum, ergo & antecedens: sequelā probo, Significat ęquè principaliter plura, ergo est terminus ęquiuocus. Antecedens est notum cū significet Platonē, Ioānem & cunctos, & singulos homines ęquè principaliter, ergo est terminus ęquiuocus, tenet consequentia à diffinitione ad diffinitum. Argu. pri.

¶ Secūdo. Subiectum huius. Omnis canis currit, distribuitur pro omnibus suppositis, ergo simpliciter est neganda, & non distinguenda sicut dicitur in textu. Argu. ii.

¶ Tertio. Omnis fallacia est in dictione, ergo nulla est extra dictionem, sequela est bona, cum omnis fallacia fiat mediāte dictione, vel oratione, saltem instrumentaliter. Argu. iii.

¶ Quarto. Nulla scientia inutilis est adquirēda, sed sciētia fallaciarum est inutilis, ergo non est acquirenda. Argu. iiii.

¶ Ad primum respondetur negādo sequelam, & ad probationem dico concedendo q significat ęquè principaliter plura, sed mediante vnico conceptu formali & obiectiuali, quod nō facit terminus ęquiuocus, quia licet vox sit vna, non tamen conceptus obiectiua lis nec formalis. Ad primū.

¶ Ad secundum concedo q distribuitur pluribus distributionibus, sed non vnica quod requiritur. Ad secūdū.

¶ Ad tertium respondetur cōcedendo, q omnis fallacia fit mediante dictione, capiēdo dictionē largo modo, sed dicitur fallacia in dictione quādo sumitur causa apparētię ex parte dictionis: & dicitur ex tradictionē, quando sumitur apparētia nō ex parte dictionis, sed ex parte rei significatę. Ad tertiū.

¶ Ad quartum concedo maiorē, & minorem nego, Et ad probationē dico q duplex est vtilitas huius scientię, prima quia docet formare argumētationes syllogisticas, secūda quia docet eas debite soluere. Ad. iiii.

¶ Sed iuxta mentem doctoris subtilis ponētur aliqua dubia cū suis solutionibus circa istam materiā.

Dubiū. i. ¶ Primo quæritur, An nomen æquiuocum sit vnū, vel plura?

Dubiū. ii. ¶ Secundo dubitatur, Vtrum nomen æquiuocum contineat vel importet sua significata per modum disiunctionis, vel copulationis?

Dubiū. iii. ¶ Tertio, An nomen æquiuocum habeat omnia sua significata respectu prædicati in actu?

Dubi. iiii. ¶ Quarto quæritur, An terminus æquiuocus possit contrahi per adiunctum mediatè, vel immediatè?

Dubiū. v. ¶ Quinto quæritur, Vtrum possit destribui per signum vniuersale?

Ad. i. dubi. ¶ Ad primum respondetur per eundem doctorem in tractatu de locis sophisticis, q̄ nomen æquiuocum non est vnum nomen simpliciter, nec plura nomina, sed est nomen multiplex. Vnde si nomen imponatur vni rei, vt ly homo, dicetur vnū nomen, vel nomen simplex, si verò plures voces imponantur pluribus rebus, vt illa vox Sortes, vel illa Iohānes dicerentur plura nomina, Si autem vna vox imponatur pluribus rebus, vt illa vox canis, tūc nec dicitur vna vox simplex, nec plures voces seu nomina, sed nuncupatur nomen multiplex.

Æquiuocus est nomen multiplex.

Obiecti. ¶ Sed contra istam distinctionem arguit ipsemet doctor.

Argu. pri. ¶ Primo sic. Multiplicato formali, multiplicatur et ipsum cui⁹ est formale, sed multiplicata significatione termini quę est formale ipsius, multiplicatur ipse terminus, ergo sicut sunt multæ significationes erunt plures termini & non vnus.

Argu. ii. ¶ Secundo sic. Impossibile est duo accidentia eiusdem speciei esse in eodem subiecto (quia aliàs moueretur motibus contrariis) sed plures significationes sunt accidentia actu eiusdem speciei, ergo non possunt esse in eodem termino, sequitur ergo quod quot sunt significationes tot sunt termini, & sic ly canis est tria nomina & non vnum.

Argu. iii. ¶ Tertio sic. Sicut modus specificus se habet ad partes orationis, ita ratio significandi ad nomen, sed si plures modi specifici adueniant alicui voci, illa dicitur plures partes orationis, vt amor nomen, & amor verbum, ergo eadem ratione vox habens plures rationes significandi diceretur plura nomina.

Solutio. ¶ Respondetur ad ista argumenta, ad primum quando arguis multipli-

multiplicato,&c.dico quòd verũ est in naturalib⁹,ſed nõ in artificialibus,vel in his quę ſunt ad libitũ,ſicut eſt in ꝑpoſito. Ad primũ argumentũ

Secundo dicitur quòd artificialia ſunt ſuæ materiæ,vt domus,& non ſuæ formæ,ſed in naturalibus(ſicut homo vel plãta)aliud eſt dicendum.

Ad ſecundum reſpondetur tripliciter.Primo,illud intelligitur de accidentibus inductis per motum naturalem,ſed rationes ſignificandi non inducuntur per modum naturalem. Ad.ii.

Secundo poteſt dici,quòd non omnes rationes ſignificandi ſunt eiuſdem ſpeciei,quia diuerſificãtur ſecundum diuerſitatẽ conceptuum,vt impoſitio,ſeu ſignificatio huius termini canis eſt alia & alia in ordine ad canem latrabilem,ſydus cæleſte,& piſcem marinum.Similiter poteſt dici de ſignificatione huius termini homo in ordine ad hominem viuum,& hominem pictum.

Tertio poteſt dici quòd rationes ſignificandi ſunt in termino vt in ſigno,& ſic plures rationes poſſunt eſſe in eodem termino,ſicut plures paternitates in Sorte,& plures ſimilitudines in Platone.

Ad tertium reſpondetur negando ſequelam,ſeu ſimilitudinem:ſed bene cõceditur quod poteſt inferri quod eſt pars multiplex. Ad.iii.ar.

Ad ſecundũ dubiũ in quo dicitur,quòd ſignificare ſua ſignificata per modum diſiunctionis,vel copulationis,&c. Reſpõdet Doctor,quòd nõ ſignificat per modum diſiunctionis,quia vel ſignificaret totum diſiunctũ,ſic,quòd ſignificet hoc vel hoc indeterminatè,& neutrũ neceſſariò hoc eſt verum,non primo quia de ratione termini æquiuoci eſt plura ſignificare,& ſic vnum ſolum ſignificaret non duo,quia quęlibet vox ſignificatiua aliquid determinatè repręſentat intellectui,ſed ſi ſignificaret hoc vel hoc,nihil determinatè repræſentaret intellectui ergo non ſignificat diſiunctiuè,nec diſiunctim ſua ſignificata. Ad.ii.dub.

Secũdo dicitur,quòd ſignificare ſua ſignificata copulatiuè poteſt intelligi tripliciter.Primò,quòd ſignificet vnũ cõceptũ copulatũ ſicut duo & tria ſunt quinque.Secundo quòd ſignificet duos cõceptos copulatus in ꝑpoſitione copulatiua. Tertio ꝙ

cadat copulatio inter actum significandi, sed non inter res significatas, & sic potest dici q terminus equiuocus significat sua significata copulatiue.

Argu. pri. ¶ Sed arguit Doctor contra dicta. Primo sic, terminus equiuocus assimilatur vniuersali, sed vniuersale significat sua significata indeterminate, & continet disiunctiue sua supposita, vel se habet ad illa disiunctiue, ergo & terminus æquiuocus ad sua

Obiecto. significata. Et si quis arguat, Vox habet diuersam rationem significandi & non repræsentat sua supposita sicut vniuersa-

Solutio. le. Contra hoc dicitur, q sicut vniuersale secundum aliud sui & aliud, correspondet vni supposito & alteri, ita & vox secundum aliam & aliam rationem significandi, correspondet alteri, & alteri significato.

Argu. ii. ¶ Secundo sic. Omnis vox significatiua ordinatur ad exprimendum conceptum mentis, & illa que concipiuntur importantur disiunctiue per terminum æquiuocum, ergo intentum.

Argu. iii. ¶ Tertio sic, Philosophus in Thopicis ad construendum multiplex, dicit, q sufficit illud cõstruere in altero sensu, in hoc vel in illo, ergo disiunctiue, vel copulatiue.

Confirma. ¶ Confirmatur per Boetium, termino equiuoco posito, non conuenit eo vti æquiuoce, ergo determinatur pro illo, vel illo significato.

Ad pri. ar. ¶ Ad primum dicitur, q vox equiuoca respicit aliud & aliud secundum significationem, non tamen secundum significata quia eis sola vox est communis, & in vniuersali vox & conceptus differũt, quia ratio significandi actu importatur per terminum æquiuocum, sed nullum suppositum actu importatur per terminum vniuocum, vt ly homo significat homines, siue sit actu siue non.

Ad. ii. arg. ¶ Ad secundum, concedo: sed dico q voces sunt finitæ, & rerũ multitudo & res sunt infinite, & sic nõ caditur ab vsu, q vtens non potest vti nisi pro vno. Vel dic q cum multa per terminũ actu importantur, potest vti pro illo vel illo significato.

Ad. iii. ar. ¶ Ad tertium respondetur ponendo aliquas propositiones.

Propo. i. ¶ Prima. Idem est dicere homo est albus, & equus est albus, & tunica est alba, quantũ ad pluralitatẽ significatorum, sed non

quantum ad modũ significandi, nam sicut hæc: Homo est alb' & equus est albus, significat plura, ita hæc tunica est alba. Et si quis dicat, non refert quærere vtrum sint domi quod scis esse nomen vnum & illa plura. Obiectio.

Ad hoc respondetur, quòd si non est rectum ad plures interrogationes respondere vna responsione ita non est rectum ad nomen æquiuocum respondere vna responsione. Solutio.

Ad tertium (Si quæratur vtrum terminus æquiuocus habeat omnia sua significata actu respectu prædicati:) dicit doctor, q terminus æquiuocus quantum est de se, respectu prędicati, habet omnia sua significata, & ratio sua est, quia vox non proportionatur rei, nisi per rationẽ significandi, sed in termino æquiuoco sunt plures rationes significandi actu, ergo erunt plura significata actu, & cum nullam habitudinem habeant inter se ista significata, vnum non sequitur ad aliud, qua propter non sequitur. Omnis canis currit, ergo sidus cęleste currit, sed quia significata seu supposita termini vniuocĩ nõ solum habent habitudinẽ ad terminum significãtem, sed etiam ipsa significata inter se, sequitur bene, Omne animal currit, ergo homo currit. Ad iii. du.

Ad quartum dubium respondetur per propositiones. Ad iiii. du.

Prima. Per immediatè disiunctum non potest contrahi terminus æquiuocus, licet audiens possit manu duci, vt accipiat terminum æquiuocum pro altero suorum significatorum determinatè. Propo. i.

Secunda propositio. Per mediatè adiunctum non potest terminus ęquiuocus contrahi, quia nihil tale mediatè adiunctum cadit in idemtitatem extremi cui additur mediatè, vt homo est albus. Propo. ii.

Tertia propositio. Duplex est modus significãdi, scilicet, absolutus, & respectiuus. Exemplum primi, Canis est substantia. Exemplum secundi, Canis est latrabilis. Primus absolutus est æquiuocus. Secũdus respectiuus est vniuocus. Vnde ly canis in ordine ad animal latrabile, est terminus vniuocus. Prop. iii.

Quarta propositio. Per primum modum significandi non contrahitur, per secundum vero potest contrahi mediatè, vt in exemplo superius dato. Prop. iiii.

Ad v. dub. Distributio quid est

¶ Ad quintum dubium respõdeturq̀ signum vniuersale potest distribuere terminum æquiuocum, alio & alio actu distributionis, sed non vnico. Ratio, quia distributio proprie est acceptio alicuius communis pro quolibet eius supposito, quorum quodlibet est ipsum, vt omnis homo est animal. Homo distribuitur pro Sorte, Ioanne, & Platone, quorum quilibet est homo, sed non sic est in æquiuocis terminis. Distributio enim ęquiuoci non sic se habet, quia sicut significat vnum ac si alium non significaret, ita distribuitur pro vno suorum significatorum & non pro alio vel aliis, eodem vel eisdem actu: vt, omnis canis est substãtia, sic distribuitur pro cane latrabili vnica distributione, & pro sydere cælesti, & ita de aliis æquiuocis ¶ Si quæras, An terminus æquiuocus significet vnum per prius, & alterum per posterius? Respõdeo quòd sic ex parte significatorum, sed nõ ex parte vocis significãtis. Ratio, quia significare est aliquid intellectui repræsentare, ergo quod repræsentatur ab intellectu concipitur, & quod ab intellectu concipitur, determinata ratione concipitur, postquam id conceptũ ab aliis non conceptis distinguitur. Sed ex parte rerum significatarum, illa quæ non habent ordinem, non significantur per prius & posterius, vt Sortes & Plato respectu huius vocis homo, sed illa inter quæ est aliqua similitudo, vt est homo viuus & homo pictus, vnum significatur per prius & alterum per posterius, nempe ista vox homo, principaliter significat hominem viuum, & minus principaliter significat hominem pictum

Caput. vii.

¶ De fallacia amphibologię.

Fallacia amphibologię

Fallacia amphibologię est, modus idoneus decipiendi per orationem amphibologicam. Sicut enim ęquiuocatio est in simplicibus vocabulis, ita amphibologia consideratur in orationibus plures sensus habentibus, & sicut ęquiuocatio est multiplicitas significationũ in vna simplici dictione, sic amphibologia est multiplicitas sensuum in composita oratione. ¶ Unde & hinc euenit pluribus modis fallacia. Primo enim fit ex oratione amphibologica, plures sensus ęque principaliter habente. Ut hęc oratio, Liber Aristotelis, significat librum ab Aristotele possessum, vel ab Aristotele cõpositum. Secundo

Cesaris,significat pecuniam ipsius imagine insignitam, et simul nominis eius ferentem inscriptionem,vel pecuniam cuius est ipse possessor et dominus.Unde ex his ita contexitur paralogismus, secundum primum hũc modum,Omnis liber Aristotelis possidetur ab Aristotele,hic tuus liber est Aristotelis,igitur possidetur ab Aristotele.Omnis pecunia Cesaris in ipsius est propria potestate,hec tua pecunia est Cesaris,igitur in Cesaris est propria potestate.¶Assignat Aristoteles alias orationes amphibologicas,ex diversa cõstructione aut vario regimine varium sensum habẽtes.Prima hec est,Vellẽ me accipere pugnãtes.In qua si me regatur a parte anteriori,pugnãtes a posteriori,sensus est,Vellem quod ego acciperem pugnantes.Si e contrario,sensus est,vellẽ quod pugnantes me acciperẽt. Altera est, Quod quis scit,hoc scit:ubi si,hoc,accipiatur in casu accusativo,est sensus: Quod quis scit illius habet scientiã;si autem in casu nominativo,est sensus,Quod quis scit,illud habet scientiam.Simile est tertiũ exemplum,Quod quis videt,hoc videt.Ex his igitur sic fieri possunt paralogismi,Quoscunque vellem me accipere,vellẽ ab illis me apprehendi:inimicos autẽ meos vellem me accipere,igitur ab inimicis vellẽ me apprehẽdi.Quod quis scit,hoc scit:lapidẽ quis scit,igit̃ lapis scit,Quod quis videt,hoc videt columnam quis videt,igitur columna videt.Sic et de illo Apollinis oraculo dicẽdũ,quod consultus Pyrro Epirotarum regi super euentu belli,quod contra Romanos habebat in animo,respondisse legitur,Aio te Aeacida Romanos vincere posse. Quod ambiguum habet sensum,nẽpe quod ipse Pyrrhus posset vincere Romanos,vel quod Romani possent vincere ipsum Pyrrhum.¶Alter modus est,quando fallacia fit ex parte orationis amphibologice non eque principaliter plura significantis,sed alterũ principalius,alterum minus principaliter. Ut si quis ita argumentetur.Quisquis arat littus,curuo terram proscindit aratro,Hic homo frustra laborãs arat littus,igitur curuo terram proscindit aratro.Lictus enim arare,principaliter significat terram,que iuxta flumen est vomere proscindere,ut apta fiat suscipiendo semini.Secundario autem et minus principaliter,significat operam ludere , vel frustra laborare, propter quandam similitudinem,eo quod frustra fiat labor ille ; qui impenditur arando littori.

¶De fallacia amphibologiæ.

¶De amphibologia tria tantum nunc tractabuntur. Amphibo.

¶Primum quid sit. Primũ du.

¶Secundum quid sit causa deffectus & apparentiæ. Dub.ii.

¶Tertium vero quotuplex est amphibologia,& quot modis Du[illegible].

formantur argumenta circa hanc materiam.

¶Ad primũ respõdet Petrus Hispanus quod amphibologia est Ad primũ.

multiplicitas orationis secundũ substantiã & secũdum modũ

proferendi diuersa significantis, Pro quo nota, quòd amphibologia potest capi vno modo pro omni oratione habēte sensum dubium, & sic non capitur hic. Alio modo pro omni oratione habēte sensum dubium ex multiplicitate actuali orationis multiplicis, & sic capitur in proposito.

¶Item nota, quòd amphibologia potest capi actiuè, vt est promptitudo vel idoneitas naturalis, vel artificialis, vel vsualis in opponente. Alio modo capitur passiuè, & est deceptio formaliter existens in intellectu respondentis, seu decepti. Alio modo capitur instrumentaliter pro oratione multiplici.

Ad.ii. ¶De secundo dico, quòd causa apparentiæ est identitas actualis orationis multiplicis, sed causa defectus est multiplicitas sensuum illius orationis, vt vellem me accipere inimicos, vel iustum perdere.

Ad.iii. ¶Ad tertium dicitur cōmuniter, quòd triplex est modus amphibologicus. Primus quādo oratio plura æqué principaliter significat, vt in exemplo dato, Secundus quando oratio significat vnum principaliter & aliud minus principaliter, vt haurire aquas scribo, vel arare littus. Tertius verò, quando oratio significat vnum per se sed iuncta alteri habet diuersas significationes, vt hæc oratio, Hoc videt, per se significat quod hæc res videt, sed iūcta isti quicquid aliquis videt hoc videt, habet diuersas significationes, quia si ly hoc teneatur in nominatiuo sensus est, Quācunque rem aliquis videt, & hoc, id est, hæc res videt illam, si autē teneatur in accusatiuo est sensus. Quamcūque rem aliquis videt, & istam rem videt. Et quia ista patent in textu omitto illa.

¶Dico etiam, tot posse formari circa hanc materiam argumēta, quot capitur amphibologica oratio.

Arg.pri. ¶Sed arguitur sic. Hæc fallacia prouenit ex parte dictionis, ergo nō orationis. Antecedēs pbo, quicūque sunt episcopi sunt sacerdotes, omnes asini sunt episcopi (posito quòd omnes asinos episcopus possideat) ergo omnes asini sunt sacerdotes.

Argu.ii. ¶Secūdo. Omnis oratio vnū tantū significat, scilicet cōpositionē prædicati cū subiecto, ergo secundū illam nō fit fallacia.

Argu.iii. ¶Tertio. Si iste modus arguendi esset sufficiens, ex verò seque

retur falsum, quod est inconueniens: quod sic probo, Sortes intelligit & falsum scit, ergo Sortes est intelligens & falsam habens scientiam.

¶ Item sequeretur quòd ista copulatiua esset vera, aliquis homo fuit iustus, & ille nunquam fecit iustitiam.

¶ Ad primũ. Transeat maior, & ad minorẽ dico quòd hæc fallacia nõ ꝓuenit ex parte de ly episcopi absolutẽ sumptũ, sed ꝓuenit ex parte ipsius, in ordine ad alios terminos, & sic negari debet præsuppositũ ꝙ ꝓueniat ex parte dictionis & nõ orationis. Ad primũ.

¶ Item distinguenda est maior & minor, quia si vtrobique capiatur ly episcopi pro eodem in recto, cõsequẽtia est bona, sed sic ut cõclusio est falsa, ita & minor. Si verò capiatur pro diuersis, manifesta est fallacia, & neganda est consequentia.

¶ Ad secundũ. Nego quòd significet tantũ compositionẽ prædicati cũ subiecto. Vnde dico, quòd illa vnio denotatur per ly est, sed fallacia fit secundũ materiã ꝓpositionis, quę sunt extrema quæ sumũtur aliquãdo in vno sensu, & aliquãdo in alio. Ad.ii.

¶ Ad tertium respõdeo quòd illa propositio est multiplex. Potest enim capi pro Sorte intelligente & sciẽte falsum: & sic potest esse vera, ꝙ ipse habeat scientiã veri & falsi. Secũdo potest capi in sensu diuiso, scilicet, ꝙ Sortes intelligat aliquid, & ꝙ falsum sciat, vel habeat scientiam alicuius, & sic est falsa. Ad.iii.

¶ Ad sequelam respondeo per propositiones. Ad sequelã

¶ Prima. Si illud relatiuum ille refert suum antecedẽs restrictẽ illa ꝓpositio est falsa, quia sensus est, Sortes fuit iustus, & tamẽ nunquam Sortes fecit iustitiam. Si autem ly ille, non referat restrictẽ aliquod singulare, potest esse vera, & est sensus, Aliquis homo fuit iustus, & aliquis homo nõ fecit iustitiã. Prima pars potest verificari de Christo, vel alio iusto & secũda pars copulatiuę ꝓ Antechristo vel alio, qui nũquã fecerit iustitiã.

¶ Sed pro maiori huius materiæ notitia sequuntur aliqua dubia.

¶ Primum, Vtrum vnitas vocis complexæ sit sufficiens ratio distinguendi amphibologiam ab æquiuocatione? Dub.pri.

¶ Secundum, Vtrum diuersa ratio construendi requiratur ad amphibologiam? Dub.ii.

Dub. iii. ¶ Tertium. Vtrum talis oratio amphibologica sub vno actu proferendi possit multa significare?

Dub. iiii. ¶ Quartum. Vtrum oratio prolata vno modo sit multiplex quocunque modo proferatur?

Dub. v. ¶ Quintum. An ista sit distinguenda secundum tertium modum amphibologicum, scilicet, Scit sęculum?

Ad primũ. ¶ Ad primum respondetur quod sic, tum quia complexum est principium sufficiens distinguendi amphibologiã ab ęquiuocatione: primo ex parte materiæ, quia materia dictionis sunt syllabæ & literæ, materia vero orationis sunt dictiones, tũ ex parte formę, nam forma complexi, id est, orationis, cõsistit in vnione dictionum, sed forma in complexi cõsistit in vnione literarum & syllabarum, quæ per se non sunt significatiuæ sed bene partes orationis.

Ad secũdũ ¶ Ad secundum respondetur per propositiones.

Propo. i. ¶ Prima. Amphibologia operatur actualem multiplicitatem quæ prouenit ex diuersitate sententiæ.

Propo. ii. ¶ Secunda propositio. Diuersitas sententiæ potest haberi sine diuersa ratione construendi.

Prop. iii. ¶ Tertia propositio. Ex prædictis sequitur quòd ad construendum amphibologiam nõ requiritur diuersitas constructionis: quia inter cõstructibilia quæ tantũ vno modo cõstruuntur potest esse diuersitas sententiæ ex diuersitate habitudinis. Verbi gratia, liber Aristotelis, hic potest esse habitudo efficiẽtis ad effectũ, vel possessi ad possidentẽ. Similiter littus aratur hæc orõ significat scisionẽ littoris, & partes orationis significãt partes illi⁹ cõcept⁹, & potest ista oratio absque diuersa ratione cõtruẽdi trãsferri ad significandũ amissionẽ tẽporis propter aliquã similitudinẽ. Vnde sequitur ꝙ sufficit vnitas orationis secundũ materiã & formã, & diuersitas sententiæ ad fallaciã amphibologicã licet aliquãdo cũ hoc accidat diuersitas cõstruẽdi.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertiũ respõdetur ꝙ cũ amphibologia operetur multiplicitatẽ actualẽ secundũ Alex. necesse est amphibologicã orationẽ sub vno actu, pferẽdi diuersos sensus repsentare. Ratio, quia nomina & verba trãsposita habẽt eadẽ significata, & eundẽ modũ significãdi, cũ significata & mod⁹ significãdi sint essentialia

dictioni, sed trãspositio est quid accidẽtale, vnde idẽ est dicere, Petri filius, vel filius Petri. Ex quo infertur, q̃ ista oratio pugnãtes vellẽ me accipere, & pugnãtes vellem accipere me, potest habere eundem sensum, sed in his sequenda sunt vestigia peritorum.

¶ Ad quartum respondetur q̃ ex dictis patet, Ad.iiii.

¶ Ad quintum dicitur ab aliquibus quód sic, si sumatur in ordine ad aliam, vel alias orationes. Ad quintũ

Caput. viii.

¶ De fallacia compositionis & diuisionis.

Fallacia cõpositionis & diuisiõis.

Fit etiam propter dictionẽ, siue in dictione fallacia alia, quę vocatur compositionis aut diuisionis. Tunc enim dicitur fallacia compositionis, quando a sensu diuiso vero, proceditur ad sensum cõpositũ falsum. Ex aduerso fallacia diuisionis dicitur, quãdo a sensu cõposito vero proceditur ad sensum diuisum falsum. Exemplum primi, Sedentem possibile est stare, igitur possibile est sedentem stare, siue quod sedens stet. Antecedens quod in sensu diuiso ponitur est verum cum non aliud significetur nisi quod is qui modo stat, potestatem habeat aliquando sedendi. Consequens autem quod secundum compositum sensum profertur, non est verum: cum significetur hoc esse possibile, vt simul quis stet & sedeat. Simile est de hoc argumento. Humilis potest esse superbus, igitur potest humilis esse superbus. Secundi exemplum est istud, Impossibile est stantem sedere, aut humilẽ esse superbum, igitur stantem impossibile est sedere, aut humilem impossibile est esse superbum. ¶ Et hic quidem modus fallaciarum compositionis & diuisionis, quantum ad huiusmodi propositiones modales, que secundum vnum sensum sunt verę, secundum alterum falsę satis facilis est, nec ita multa indiget declaratione, cum ea quę ad hãc rem pertinent, supra libro tertio in tractatu de modalibus sufficienter dicta sint. Uerum & in aliis, hę fallacię locum habent. Quando videlicet aliqua determinatio secundum quod diuersis coniungitur determinabilibus, varios sensus facit, alterum verum, alterum falsum, vel idem determinabile diuersis determinationibus. Ut in hac oratione, Quicũque scit literas nunc didicit eas si aduerbium nunc cõstruatur cum verbo pręcedenti, habet hunc sensum verũ. Quicunque nunc scit literas, aliquando eas didicit. Si vero cum verbo sequẽti, habet sensum falsum, Quicunque scit literas is nunc eas didicit, pro hoc videlicet articulo temporis. Unde ex hac oratione, ita potest paralogizari, Quicunque scit literas nunc didicit eas, & hic homo scit literas, igitur nunc didicit eas. Item hęc oratio, Ego posui te seruum existẽtem liberum, si participium existentem, cum nomine seruum iungatur est sensus, Ego te existentem seruum feci liberum: Si cum sequenti

accusatiuo liberum, est alter sensus, Ego te feci esse seruũ ex libero. Sicque potest fieri paralogism⁹ ex hac oratione, Quemcunque ego posui liberum existentem seruum, hunc ego libertate donaui. Hunc hominem (quem videlicet cum liber esset seruituti subieci) ego posui liberum existentem seruum, igitur eum libertate donaui. ¶ Generaliter vero in his compositio ꝛ diuisio considerantur secundum situm partium magis debitum vel minus debitum, vt sensus qui sumitur secundum situm partium magis debitum, dicatur sensus compositus: qui autem secũdum sensum minus debitum, dicatur diuisus. Tuncque dicitur fieri cõpositionis fallacia, quando fit fallacia propter sensum diuisum verum ꝛ compositum falsum: ꝛ econtrario fallacia dicitur diuisionis, quando fit fallacia propter sensum compositũ, siue magis debitum verum ꝛ diuisum, siue minus debitũ falsum. Exẽpli gratia, in propositione illa suprapositа. Quicunque scit literas nunc didicit eas, sensus magis debitus ꝛ compositus est iste, Quicunque literas nouit, is eas nunc didicit, ꝛ is est falsus. Sensus autẽ diuisus, siue minus debitus est verus, nempe iste. Quicunque nunc scit literas, aliquando eas didicit. Videtur enim determinatio aduerbialis magis recte ꝛ debite determinare prædicatum didicit, quam verbum præcedens scit intra subiectum inclusum: quoniam prædicatum ex se est magis determinabile. Ideo qui ex ea contexitur paralogismus, est fallacia compositionis. Simile est de hoc paralogismo, Quicquid vit semper est, brutũ viuit, ergo brutum semper est. Maior enim duplicem habet sensum. Prior ẽ hic, magis debitus ꝛ falsus, Quicquid habet vitã, est sempiternę durationis. Posterior ẽ hic diuisus, Quicquid habet sempiternã vitã, id subsistit in rerũ natura, ꝛ hic indubie verus ẽ, Ob hoc parologismus ille dicitur secundũ fallacia cõpositionis. ¶ Quis aũt sit sensus magis aut minus debitus, accipere oportet ex iudicio eorũ qui in ratione sermonis, siue in arte loquẽdi habẽtur peritiores. Quẽ eñ in sermone periti iudicãt esse magis vel minus debitũ sensũ, ille habẽdus est magis debitus vel min⁹. Ad cui⁹ plenio rẽ ꝛ exactiorẽ notitiã, solẽt hoc in loco plures constitui regulę, quas nos hic nõ ponim⁹, tũ quod nõ tãta in eis videat utilitas quãta perplexitas, tum quod nõ eędẽ ab omnib⁹, sed a diuersis diuersę ponant.

Caput. ix.

¶ De fallacia accentus.

Fallacia accentus.

Ad accentum pertinent aspiratio vel non aspiratio, syllabarum quantitas modus pronunciandi secundum assertionem, vel interrogationem, vel admirationem item pausatio ꝛ quasi interruptio vocis in pronunciando, sicut punctatio in scriptura. Cõtingit itaque interdum eandem vocem aut orationem, secundum quod variis profertur aut scribitur accentibus, diuersum efficere Sensum, ꝛ aliam habere significationem. Ut malum cum primam habet longam, significat pomum: cum autem breuem habet primam, idem valet quod prauũ, Quę distinctio ex his duobus Virgilii versibus patet, Aurea mala

decem misi, cras altera mittam. Fama malum, quo non aliud velocius vllum. Quantum ad aspirationem & non aspirationem exemplũ sunt, ara & hara. Sine aspiratione enim significat altare, in quo offertur sacrificium: cum aspiratione, porcorum stabulum. Preterea dictio ista inuite, si absque distinctione, proferatur aut scribatur, est vna dictio aduerbialis, idem valens quod coacte. Si autem cum distinctione, est oratio ex prepositione & nomine composita, significans in ipsa vite. Sic ista oratio, Rex es tu, si proferatur per modum assertionis, significat ita rem habere, si vero per modum questionis siue interrogationis, significatur tantũ dubitatio. Idem est & de his que secundum ironiã proferuntur. ¶ Unde quoties ex huiusmodi accentuũ mutatione contingit deceptio, secundũ fallaciam accentus id fieri dicitur. Exempli gratia, si quis ita argumẽtetur, Omnia mala sunt detestanda, poma sunt mala, igitur sunt detestanda: Omnis populus est arbor, hominũ collectio est populus, igitur hominũ collectio est arbor. Hic secundum diuersam quantitatẽ syllabarũ, vocabulorũ malum & populus, fit deceptio. ¶ Ex parte aspirationis, aut non aspirationis, sic fit paralogismus. Omnis ara est in tẽplo, porcorum stabulum est hara, igitur porcorum stabulum est in templo. Uel sic, Si dignum est in aris fumũ euaporari idolis, iustũ est in templis thura eis offerri, est autem iustũ & dignum vt in haris euaporetur idolis fumus (nimirum improbis demonibus, & figmentis dignum est ad ignominiã, e porcorum stercoribus fumum euaporari) igitur dignum est vt idolis in templis thura offerantur. Item, Si abeo recedo, argentum habeo, ergo recedo. Uel sic, Quisquis dicit abeo, significat se recedere: qui autẽ habet dicit habeo, igitur significat se recedere. ¶ Ex parte vocis prolatę coniunctim & diuisim, sic paralogismus texitur, Si quid deus fecit inuite, id fecit coacte, Deus autem vinum fecit in vite, vinũ igitur fecit coacte. Item, Omnis terra que est in via, frequenter pedibus teritur, terra deserta aut aquis plena est inuia, igitur frequenter pedibus teritur. Item, Quisquis dicit, Metuo longas pereunte noctes Lidia dormis, dicit se timere. Amator autem nihil metuens id dicit, igitur nihil metuens dicit se timere. Uersus enim ille, Metuo longas, & cet. qui ex Horatianis odis sumptus est, sic intelligitur, vt hic sit sensus, Interim dum ego tuus pereo, tu Lydia dormis longas noctes. ¶ Ex parte varii modi pronunciandi secundũ interrogationẽ aut affirmationẽ, secundum ironiam, aut secundum seriam assertionem, sic contingit fallacia. Quicunque dicit alteri, Egregie functus es officio tuo, collaudat illũ pro bene peracto negotio. Is autẽ qui alterum irridet, ita subinde loquitur cũ nihil etiã minus quã laudare velit (quemadmodũ est illud apud Uirgiliũ. Egregiã vero laudẽ & spolia ampla refertis) igitur qui alterũ irridet, eundẽ collaudat. Hic fit fallacia ex ironica pronũciatione. Qualis etiam contexi potest ex illusoriis verbis militũ quibus Christũ irridebant, hoc modo, Qui Christo dixerunt, Aue rex Iudęorum, regem eum agnoscebant, & vt talem eum venerabantur: Ministri autem impii illudentes ita ei dixerunt, Aue rex Iudęorum, igitur ministri illusores eum agnoscebant & venerabãtur

ut regem. Sic ex verbo Caiphe secundum interrogationē prolato, fit paralogismus, qui Christo dixit, tu es Christus filius Dei vivi, agnovit & confessus est Christum esse Dei filium. Caiphas in concilio verbum huiusmodi protulit, igitur Christum illic confessus est.

De fallacia accentus.

Argu. pri. Circa hanc materiam arguitur sic. Primo, Nō fit fallacia penes literam, ergo nec penes syllabam, sequela videtur bona, & antecedens est notum, ergo intentum.

Argu. ii. Secundo sic. Si esset aliqua fallacia accentus, esset ista, Omne malum est pomū, peccatum est malum, ergo peccatū est pomū. Sed ista est fallacia equiuocationis, ergo nō accentus.

Argu. iii. Tertio sic. Malum aliter scribitur quādo est dictio, & aliter quādo est oratio, ergo secundū illū non fit fallacia accentus, cum sit alia & alia in forma & in materia, quando est dictio, & quando est oratio.

Ad primū. Ad primum respondetur ponendo propositiones.

Prima p. Prima propositio. Non fit fallacia propria penes literā cōsonantē, sed bene penes literā vocalē, q̄ potest esse syllaba p se.

ii. propost. Secunda propositio. Negandū est simile de litera & syllaba.

Ad secūdū. Ad secundū respōdetur, q̄ nō est fallacia æquiuocatiōis quia malū nō significat diuersa secundū materiā & formā, & modū proferēde, quod requiritur in fallacia accentus.

Ad tertiū. Ad tertiū respōdeo cōcedēdo q̄ aliter & aliter scribitur quā do est oratio, & q̄n est dictio, sed in scripto nulla fit fallacia, in voce tamen cum proferātur eodē modo, cōtingit fallacia.

Dubiū. Circa istam materiam dubitatur, Si terminus potest supponere pro illo quod non significat.

Responsio Ad hoc breuiter per talem propositionem respondetur. Homo significat asinum, & homo asinum significat, quia prima ē falsa, & secunda vera. Falsitas primæ patet propter appellationem, appellat enim significare asinum sub ratione asini. Veritas secundæ patet ratione ampliationis, quia ly asinū præcedens ly significat stat pro illo quod est, vel potest esse, vel imaginatur esse asinus, & si si Sortes gradiatur vestitus pelle asinina imaginabitur esse asinus. Et sic dicitur q̄ isto modo terminus potest supponere pro illo quod non significat.

¶Item est notandum quod accentus dicitur ab accento, as, quod est cantare, quia sicut in cantu aliquando vox eleuatur, & aliquando deprimitur, ita in accentu acuto syllaba eleuatur, & in graui deprimitur. Vnde dicitur acutus quia sicut corpus acutum vt cultellus vel ensis acutè mouet & penetrat, ita accẽtus acutus penetrat auditum, syllabam eleuando, sed grauis dicitur ad similitudinẽ corporis grauis tendentis deorsum.

¶Nota vltimo quod quatuor sunt modi accentus. Primus quo producitur syllaba accentu acuto, vel graui. Secundus quo producitur accentu correcto, vel producto. Tertius quo produci tur cũ aspiratione, vel sine ea. Quartus quo sub vno vel pluribus potest produci, vt metuo, quæ potest esse oratio vel dictio.

Caput. x.

¶De fallacia figurę dictionis.

Fallacia figurę dictionis est modus idoneus decipiendi, causam apparentię sumens ex figura, id est, similitudine dictionis simplicis vel compositę cum alia, propter quam similitudinem & conuenientiam videtur ei aliquid attribuendum, quod ei attribuendum nõ est secundum veritatem. Vt si quis putet nomen Poeta esse generis fęminini, propter similitudinem in finali terminatione, item & declinatione, cum nominibus musa & lima. Aut si quis putet dogma esse primę declinationis, eo quod pẽna sit primę declinationis. Itẽ si quis verbum abeo putet esse secundę coniugationis, sicut verbum habeo, propter similitudinem terminationis, quoniam vtrumque terminatur in eo. Vnde huiusmodi argumenta sunt secundum fallaciam figurę dictionis, Lima est generis fęminini, ergo & poeta. Penna est primę declinationis, ergo & poema & dogma. Habeo est secundę coniugationis, ergo & abeo. Atque ita in cęteris. ¶Item quando terminus vnius pręedicamẽti, putatur esse terminus alterius pręedicamẽti, propter similitudinem terminationis. Vt si quis putet lineatum esse pręedicamenti qualitatis, sicut coloratum aut figuratum. Contingit autẽ hoc maxime in pręedicamento actionis. Quidam enim termini qui de pręedicamento sunt passionis, ob terminationem similem terminationi verborum significantium actionem, videntur esse de pręedicamento actionis, cum non sint, & econtrario. Exẽpli gratia, sentire, videre, audire, & huiusmodi, quia habent terminationẽ in e, vt solent terminati actiua verba, videri possint ad pręedicamentum pertinere actionis, cum econtrario passionẽ significẽt, aut simplices qualitates. Qui enim videt, non secundum quod agit videt, sed secundum quod patitur. Sensus enim est potentia passiua, & sensatio actu fit per hoc quod ab obiecto sensus patitur. Contra vero, sentiri, videri, audiri, potius

Fallacia figurę dictionis.

actionem significant, non (vt videtur) passionem. Sic verbum operor quoniam terminationem habet verbi passiui, existimari possit esse generis passiui, cũ sit deponentalis, & passionem significare, cum idem sit quod agere. Similiter valere, propter similem terminationẽ cũ verbo docere, videri possit significare actionẽ. cum potius significet qualitatem, ipsam videlicet dispositionẽ valetudinis. Vnde qui ex huiusmodi similitudinibus vnius termini cũ altero cõtexuntur deceptorii syllogismi dicentur fieri, secundũ figuram dictionis. Hos autẽ modos & huiusmodi exẽpla aperte indicare videtur Aristoteles, cũ ait, Quę autem secundũ figuram dictionis sunt, accidunt, quando non idem vt idem interpretatur: vt masculinum, fęmininum, vel ecõtrario, vel neutrum genus alterũ horũ, vel rursus quale quãtũ, aut quantũ, quale, vel faciẽs, patiẽs, aut ecõtrario, & sic de aliis prędicamẽtis. Cõtingit enim aliquid eorũ, quę non significant facere, vt eorũ quę significant facere aliqua distinctione significare. Vt valere, secundũ figuram dictionis videtur significare agere, quemadmodũ secare vel ędificare quamuis illud qualitatẽ aut effectũ quoddammodo significet, hęc vero facere. Secundum dictiones igitur huiusmodi fiunt redargutiones. Hactenus Aristotelis verba. ¶ Posteriores vero alios etiã ponunt modos quorũ pręcipuus ille videtur secundum quem sub termino distributiuo vnius pręedicamenti, subsumitur terminus alterius pręedicamẽti aut sub distributiuo vnius speciei terminus alterius. Exemplũ primi Quicquid heri emisti hodie comedes: carnem crudã heri emisti, hodie igitur comedes carnem crudã. Item, Quicquid fuisti heri es hodie: calidus heri fuisti, igitur calidus es hodie. Exemplũ secũdi, Quãtoscunque digitos heri habuisti, habes & hodie: quinque digitos habuisti heri, igitur & hodie quinq; habes digitos. ¶ Insuper & hoc addiciunt, locum istum generale esse receptaculum, & quasi diuersorũ publicum omnium sophisticarum argumentationum, qualescunque tandem fuerint, propterea quod omnis argumentatio sophistica apparẽtiam suę bonitatis habet ex similitudine cum alia aliqua simili argumẽtatione bona, vt potè syllogismus malus cum syllogismo bono, inductio mala cum inductione bona, & ita in cęteris. Quę nos quidem sicut non approbamus ita nec improbare contendimus. Hoc tantum dicimus ex iis quę habet Aristoteles, si simpliciter absque torsione verba exponantur non alios inueniri huius fallacię modos, pręter eos quorum exempla supra proposuimus. Sed nec inter posteriores, ipsos scriptores his de rebus satis conuenit. Quam obrem his de fallaciis in dictione vtcũque tractatis, ad fallacias extra dictionem transeamus.

¶ De fallacia figuræ dictionis contra quam sic arguitur.

Argu. 1. ¶ Primo. Non est fallacia orationis, ergo nec dictionis, argumentum tenere videtur à simili.

¶ Secūdo sic, Fallacia figuræ dictionis sumit causam defectus ex parte significatorum, ergo hæc fallacia non est in dictione, sed ex diuersitate significatorum. Argu. ii.

¶ Tertio sic, Vel hæc fallacia fit secūdum multiplex verū, vel secundum multiplex apparens, non primū, quia tunc nō esset fallacia, non secundum, quia tunc non essent multiplex verum sed apparens, & sic non faceret fallaciam. Argu. iii.

¶ Ad primum respondetur negando antecedens & sequelam, quia dictio capitur largo modo pro dictione, siue oratione. Ad primū.

¶ Ad secundū dico, ꝙ fallacia capit suā denominationē & distinctionem ex parte apparentiæ quæ est in dictione, & non ex parte defectus qui est in diuersitate significatorum. Ad secūdū

¶ Ad tertium respondeo, quod sit hæc fallacia secundum multiplex apparens, & cū infers, si est apparens non facit fallaciā, nego sequelā sufficit enim ꝙ sit apparens, licet nō existens. Ad tertiū.

Caput. xi.

¶ De fallacia accidentis.

Fallacia accidentis tunc comittitur, quādo deceptio prouenit ex eo quod in argumentatione qualibet termini videntur ad inuicem coniungi, syllogistice & non recte coniuguntur: id est, quando videtur esse bona forma syllogistica & non est. Hęc fallacia admodum late patet. Omnis enim argumentatio mala quę videtur habere formā syllogisticā & non habet, huc pertinet. Unde omnes illi mali syllogismi qui peccant contra regulas, siue generales siue speciales suprapositas in libro syllogismorum, dicuntur fieri secundum fallaciam accidentis. Ut cum proceditur ex puris negatiuis, aut ex puris particularibus. cum altera pręmissarum existente particulari infertur conclusio vniuersalis, cum in prima figura proceditur minore negatiua aut maiore particulari, & huiusmodi. Exēpla patēt ex libro syllogismorū. ¶ Peccant etiam secundum hanc fallaciam illi syllogismi, in quibus mutatur genus suppositionis. Ut cum dico, Animal est gen9, & homo est animal, igitur homo est genus. Petrus est dissyllabum, Petrus est animal, igitur animal est dissyllabū. In priori enī paralogismo, animal in prima ꝓpositione ꝓ ipsa voce accipiebat͂, aut ꝓ natura ipsa aīalis in cōmuni siue in genere, nō ꝓ persona aut indiuiduo. In secunda aūt nec pro voce nec ꝓ animali in cōmuni, sed pro singulari & indiuidua persona accipitur. Primā vocāt suppositionē siue acceptionē materialē aut simplicē, alterā personalem. Sicque genus mutatur suppositionis. Idē constat & in secūdo paralogismo, vbi Petrus in altera pro

voce, in altera pro persona ipsa reali accipitur. Secundum hanc fallaciam videntur fieri etiã illi paralogismi, qui fiunt a duobus in antecedente diuisis ad eadem in consequente male coniuncta. Ut hic homo est bonus, & est artifex, igitur est bonus artifex: est bonus, & est musicus vel grãmaticus, igitur est bonus musicus, vel bonus grammaticus.

¶ Ad hunc locũ petinet sophisma illud, quod ab Aulo Gellio narratur propositum Diogeni, in hęc verba, Quod ego sum tu nõ es, hõ sum ego, igitur tu non es homo. In quo paralogismo manifestus est defectus, quoniã proceditur a termino in antecedente nõ vniuersaliter posito ad eundẽ in cõclusione sumptũ vniuersaliter, nẽpe vocabulũ hõ. Unde si hic defectus caueatur volebit syllogismus. Quod ego sum non es tu, hõ sum ego, igitur non omnis homo est tu. Admodũ autẽ facete Diogenes sophistę illi huiusmodi sophisma cõtexẽti scribitur illusisse verius quã respondisse, Quod inferens me nõ esse hominẽ inquiens, falsum est: qnod si verum velis fieri, incipe a me, & tu eris bestia. Videlicet indicare volens tã facile se huiusmodi paralogismo aduersus illum posse concludere quã ille aduersus se concluserat. Cuiusmodi modus refutandi argumentationes sophisticas potius retorsio quędam est aut illusio quam dissolutio. Posteriores responsionẽ ad hominem dicunt, qua videlicet homini satisfit dũ ipse repellitur, & silentium ei imponitur, quis tamen sit in re defectus nondũ exprimitur nec quę latet difficultas explicatur. Et sunt huiusmodi responsiones maxime digne sophistę, vt qui non ad rem argumentantur non ad rem accipiant respõsionem iuxta vulgatum illud, Contra vulpem vulpizabis, & contra Cretensem cretizabis.

¶ De fallacia accidentis, contra quam sic arguitur.

Argu. pri. ¶ Primo. Nulla est fallacia substãtię, ergo nulla est fallacia accidentis, argumentum videtur valere à similibus, non enim videtur maior ratio de vno quam de alio.

Argu. ii. ¶ Secundo. Ista fallacia fit per terminos significatiuos ad placitum, ergo non est fallacia extra dictionem, antecedens est notum, & consequentia videtur bona.

Argu. iii. ¶ Tertio sic. Hæc consequentia. Iste homo est albus, & est monachus, ergo est albus monachus, peccat secũdũ fallaciã figurę dictionis, quia habet similitudinem in voce & in scripto, ergo non secundum fallaciam accedentis.

Ad primũ. ¶ Ad primum concedo antecedens, & nego sequelã, quia hic non capitur accidens, vt opponitur substantiæ, sed capitur pro minore extremitate syllogismi peccãtis secundum istam fallaciam.

¶ Ad se-

¶ Ad secundū cōcedo antecedens, & sequelam nego, nō enim dicitur fallacia extra dictionem, eo quòd non fiat per dictionē sed dicitur extra dictionem, quia sumitur fallacia ex parte rei significatæ, & non termini significantis. Ad ii.

¶ Ad tertium dico, quòd non est inconueniens peccare eandē fallaciam in dictione & extra dictionem. Ad iii.

Caput. xii.

¶ De fallacia a dicto secundum quid.

Dictum secundum quid in proposito dicim⁹ determinabile sumptum cum tali aliqua determinatione, quę ipsum distrahat aut diminuat aut quoquomodo alienum reddat, sic nimirum vt cum addita huiusmodi determinatione vere possit prędicari de eo de quo absque ea non posset. Exempli gratia terminus homo per se sumptus nō potest dici de pictura quę est in pariete aut de statua fusili siue sculptili. His enim demonstratis, non poteris dicere quod vere & simpliciter sint homines cū non sint animalia rationalia. Adiectis tamen determinationibus vere tibi dicere licebit. Hęc imago est homo pictus Hęc statua est homo ęneus, aut homo sculptilis siue fusilis: Ideo hę omnes faciunt dictū secundū quid. Item de mortuo cadauere vnde iā abscessit anima siue canis siue hominis non potest dicere quod sit homo, dices tamen quod sit homo mortuus. Sic ęthiops nō simpliciter albus dicitur, attamen secundum dentes albus vere dicitur. ¶ Cū igitur ad hunc modum argumentamur, Aethiops est albus secundum dētes, igitur est albus. Hic homo sanctus est secundum externā apparentiā, igitur sanctus est. Hęc statua est homo sculptus ex marmore, igitur est homo. Hoc cadauer exanime est homo mortuus, aut animal mortuum, igitur est homo aut animal. Antichristus est homo futurus, igitur est homo. Hę & his similes omnes argumentationes sophisticę, a dicto secundum quid procedunt ad dictum simpliciter. Aristot. in topicis obiter hęc tractans huiusmodi ponit exempla, Hic est naturaliter studiosus (vt natura liberalis aut castus) igitur est simpliciter talis. In aliquo loco (vt pote morboso) expedit vti tali dieta, igitur simpliciter expedit. Alicubi bonū est mactare patrē, nēpe apud Triballos igitur simpliciter bonū est. Aliquādo expedit medicari, vt pote ęgritudinis tēpore, igitur simpliciter expedit. Non ens est opinabile, igitur non ens est. ¶ Cōuenit autem secundū apparentiam dictum secundum quid cum parte in modo, & dictum simpliciter cum toto in modo: quoniam sicut pars in modo determinabile sumit cum determinatione aliqua, ita & dictum secundum quid. Atque hinc causam apparētię habent argumentationes quę secundū hunc locum fiunt sophisticę. Verum in hoc non conueniunt quod pars in modo sumit determinabile cum determinatione tantum restringente: non autem, vel diminuente, vel distrahēte, vel alienante, vel ampliante ipsum determi-

nabile: ita vt simpliciter & vniuersaliter dici possit & debeat totum in modo, de eo de quo pars in modo dicitur. In dicto autem secundum quid, non determinatio restringens adiicitur determinabili, sed vel diminuens, vt secundum dentes respectu albi: vel distrahens, vt pictus aut sculptus respectu hominis: vel alienans, vt mortuum (nominaliter) respectu hominis vel animalis: vel amplians, vt preteritus, futurus possibilis, respectu hominis. Atque in hoc latet causa defectus. Ad hanc etiam fallaciam pertinent paralogismi qui fiunt e conuerso, a negatione dicti simpliciter ad negationem dicti secundum quid hoc modo, Aetiops non est albus, igitur non est secundum dentes albus. Antichristus non est homo, igitur non est homo futurus aut possibilis. Videtur etiam hic pertinere argumentationes male a coniunctis ad diuisa. Ut cum sic argumentamur. Hic homo est bonus musicus, igitur est bonus & musicus. Est laudatissimus artifex, igitur est laudatissimus, & est artifex. Est bonus latro, aut bonus fur, igitur est bonus, & est latro. Et e conuerso, Non est bonus, aut non est latro, igitur non est bonus latro.

De fallacia secundum quid ad simpliciter. contra quam sic arguitur.

Argu. i. Primo. Argumentum à secundum quid ad simpliciter valet ergo malé dicitur quòd non valet. Probo antecedens. Sortes est homo albus, ergo Sortes est homo, sequela est bona.

Confirma. Confirmatur. Sortes est albus secundum dentes, ergo est albus. Et quòd ista consequentia sit bona probo. Ex opposito sequitur oppositum: bene enim sequitur, Sortes non est albus, ergo non habet albedinem, nec secundum dentes nec aliter, ergo sequela prima est bona.

Argu. ii. Secundo sic. Haec fallacia non distinguitur contra fallaciam figurae dictionis, nam sicut arguendo, Homo est homo pictus, ergo est homo, est fallacia figurę dictionis, eò quòd creditur quod sicut ista est bona consequentia, Homo est homo albus, ergo est homo, ita & illa, Homo est homo pictus, ergo est homo.

Argu. iii. Tertio sic, Bene sequitur, Sortes est simus secundum nasum ergo simus, Item est crispus in capite, ergo est crispus.

Ad primũ. Ad primum respondeo negando similitudinem, & etiam antecedens, nam homo albus est pars in modo, & ly albus est determinatio restringens, & non distrahens, sed homo pictus est dictum secundum quid, & ly pictus est dictio distrahens.

Ad confir. Et ad confirmationem (Non est albus, ergo non est albus secundum dentes) nego sequelam, Ratio, quia ly albus in

antecedēte capitur simpliciter,& in cōsequente secundū quid. Ad.ii.

¶ Ad secundum dico,quòd non est inconueniens vnam fallaciā esse figuræ dictionis,& à secundum quid ad simpliciter varia tamen ratione.

¶ Ad tertium concedo totum discursum & dico, quòd quandodeterminatio est nata solum determinare vnam partem,ad denominationem illius partis sequitur denominatio totius, & sic si est simus secundum nasum simpliciter est simus.Sed quādo determinatio est nata determinare totum subiectum,& nō determinat,vel denominat nisi vnam partem tantum,tunc dicitur determinatio secundum quid,& non valet consequentia, vt,Est album secundum dentes,ergo est album,cum album sit natum determinare totum hominem. Ad.iii.

Caput.xiii.

¶ De fallacia ignorantię elenchi.

Fallacia ignorantię elenchi tunc dicitur committi, quando deceptio fit,ex eo quod ignoratur aliqua earum particularumque ponuntur in definitione elenchi,siue ex eo quod non penitus natura pernoscitur ipsius elenchi & conditiones omnes ad verum elenchum requisitę. Quanquam autem supra in principio libri huius breuiusculā quandam definitionem elenchi Aristoteles assignauerit,dicens elenchum esse syllogismum cum conclusionis contradictione: hic tamen eundem longe prolixiori descriptione iterum definit his verbis. Fallacia ignorantię elenchi.

Elenchus est contradictio vnius & eiusdem nominis , sed rei:& nominis,nō synonymi,sed eiusdem,ex his quę data sunt ex necessitate,non cōnumerato eo, quod erat in principio, secundum idem,ad idem similiter,& in eodem tempore. Definitio elenchi.

¶ Quę definitio sic est intelligenda. Elenchus est syllogismus concludens propositionem contradictoriam vel contrariam,quę cum altero cui opponitur debet esse vnius,& eiusdem tā subiecti quam prędicati,id est,eorum extremorum,non solum secundum vocem,neque etiam solum secundum significationem,sed secundum vocem & significationem simul:debetque suam conclusionem ex pręmissis in modo & figura dispositis & concessis, secundum necessariam inferre consequentiam : nec debet admitti in eiusmodi syllogismo vitium petitionis principii. Debent postremo obseruari quatuor istę particulę secundum idem , ad idem , similiter , & in eodem tempore.

¶ In qua definitione manifestum est quędam poni ex parte oppositionis, ad indicandum quę ad oppositionem veram requirantur, nempe quod dicitur vnius ⁊ eiusdem, non nominis, sed rei : non synonymi, sed eiusdem. Quod sequitur, ex his quę data sunt ex necessitate, quid ad syllogismum requiratur explicat. Subsequens, non connumerato eo quod erat in principio, pertinet ad syllogismū probatiuum, cuiusmodi debet esse elenchus verus. Quatuor autem illę particulę vltimo loco positę, ad idem, secundū idē, similiter ⁊ in eodem tempore, ad vtrunque videntur pertinere, id est, ⁊ ad rationem oppositionis, ⁊ ad modum conclusionis. Cum igitur contingit decipi aliquem apparenti siue sophistico elencho, existimans elenchum esse qui proponitur, ⁊ vere concludi oppositum, cum non ita fiat, propter . omissionem alicuius horum quę ad verum elenchum definita sunt requiri, locum dicitur habere ista fallacia ignorātię elenchi. ¶ Propter nō obseruationem particulę ad idem, fit fallacia in hoc paralogismo, Quatuor sunt duplum ad duo, ⁊ non sunt duplum ad tria, igitur quatuor sunt duplū ⁊ nō duplum. Item, iste est pater huius, ⁊ non est pater illius, ergo est pater ⁊ non pater. ¶ Propter non obseruationem particulę secundū idem hi sunt paralogismi. Hoc lignum secundum longitudinem est duplum ad istud, ⁊ secundum latitudinem non est duplum ad istud, igitur hoc lignum ad idem simul est duplum ⁊ non duplum. Hic manifestum est obseruari quidem particulam ad idem, sed non secundum idem. Simile est in hoc paralogismo, Christus secundum humanitatem est filius Marię matris ⁊ patris Dauid, ⁊ secundum Diuinitatem non est eorundem filius, igitur eorundem est filius , ⁊ non est filius. Item hic homo secundum quod pater, est isto filio suo dignior: ⁊ secūdum quod subiectus filio suo in pręfectura aut pręlatione qualibet posito non est dignior, igitur est eodē dignior ⁊ non est dignior. ¶ Propter non obseruationem particulę, similiter hic est fallacia. Ioannes velociter currit, ⁊ non necessario currit, igitur Ioannes currit ⁊ nō currit. Hic princeps potenter imperat, ⁊ non clementer imperat: igitur imperat ⁊ non imperat. Item Christus temporaliter est natus de virgine, ⁊ non est ęternaliter de ea natus. igitur est natus de virgine ⁊ non natus de eadem. Christus cum in hoc mūdo esset regnabat in eo inuisibiliter, ⁊ non regnabat in eo visibiliter, igitur regnabat in eo ⁊ non regnabat. Manifestum est hic seruari particulas, ad idem secundum idem, sed non similiter. ¶ Propter non obseruationem particulę in eodem tempore, hi sunt paralogismi, Manus mea clausa est pro tempore illo ⁊ pro tempore alio non est clausa , igitur est clausa ⁊ non est cluasa. Hic homo fuit Grammaticus annum vnum aut alterum, ⁊ ante vnum aut alterum annum non fuit Grammaticus igitur fuit Grammaticus ⁊ non fuit Grammaticus. Item Christus cum in hoc mundo esset non habuit a patre exequutionem potestatis super omnia, eam autem mox habuit assumptus in cęlos, igitur eam habuit ⁊ non habuit.

¶ Sequitur de ignorancia elenchi.

¶ Primo arguitur sic. Ille qui ignorat elenchum nō decipitur circa elenchum, ergo nulla est ignorantia elenchi. Arg. pri.

¶ Secundo sic. Non est ignorantia syllogismi, ergo nec elenchi cum sit syllogismus. Argu. ii.

¶ Tertio sic. Ista ignorantia (vt asseritur) est communis omnibus fallaciis, ergo non distinguitur ab aliis, & sic malè assignatur distincta ab aliis fallaciis. Argu. iii.

¶ Ad primum. Distinguo antecedens, quia vel intelligis de ignorantia puræ negationis, vel de ignorantia prauæ dispositionis. Si de prima concedo, quia habens talem ignorantiam non decipitur, cum nullam habeat notitiam illius. Si vero de secunda negandum est antecedens, quia habens aliquam notitiam syllogismi elenchi & non perfectam, potest decipi circa illa quæ ignorat. Ad primū.

¶ Ad secundum nego antecedēs, imò dico, quòd multiplex est ignorantia syllogismi, licet non sit in vsu. Ad. ii.

¶ Ad tertium respondeo, quòd capiendo fallaciam elenchi largo modo, verum est quòd est omnibus communis, sed capiendo stricto modo, distinguitur ab aliis, cum habeat suas differētias speciales, putà quòd sit contradictorius positioni respondentis, quòd sit ad idem secundū idem similiter & in eodē tpe. Ad. iii.

Caput. xiiii.

¶ De fallacia petitionis principii.

Petitio principii vel eius quod in principio est tunc fieri dicitur quando id quod probandum est, ab opponente tanquam notum aut probatum assumitur, ad probādum alterum minus notū vel eque ignotum. Dicitur etiam peti quod in principio est, quando penitus idem assumitur ad probandum seipsum. Ut si ita quis argumentetur, Omnis homo est homo, & omnis homo est homo, ergo omnis homo est homo. Uerum huiusmodi petitio principii fallaciam facere, non potest. Cuilibet enim notissimum est, antecedens hic non probare cōsequens, Quando autem id quod assumitur non penitus idem est cū eo quod est probandum, est tamen ignotius vel eque ignotum, in hoc accidere potest fallacia, ex eo quod respōdens credat antecedens probare consequens, cum id minime faciat. Ut si quis ita argumentetur, Omnis homo est capax discipline, & omne animal rationale est homo, igitur omne animal rationale est capax discipline, Itē, Omne animal rationale interdū dormit, omnis homo est animal rationale, igitur om- Petitio principii.

nis homo interdum dormit. In his antecedens est ignotius consequente: quoniam predicata essentialia notiori modo conveniunt definitioni quam diffinito, et predicata accidentalia definito quam definitioni. Neque autem ignotum est antecedens cum consequente in hac argumentatione, Anima equi non remanet post mortem equi separata, igitur anima asini post eius mortem separata non remanet. Non enim de anima equi id magis constat, quod intereat cum corpore, quam de anima asini. ¶ Ex predictis patet, inter hanc fallaciam petitionis principii, et alias hactenus positas aut etiam ponendas, differentia hec particularis, quod cetere in forma peccant, et sunt male consequentie, non recte neque vere inferentes, quod videtur inferre. Que autem secundum hanc fallaciam fiunt argumentationes sophistice, secundum materiam peccant, et possent esse bone consequentie, et validissime concludentes syllogismi, aut enthymemata optima. Sed quia in materia defectus est, eo quod non probent cum videantur probare, idcirco sophistice dicuntur. Et hi sunt syllogismi illi litigiosi peccantes in materia, de quibus dictum est in fine libri syllogismorum.

¶ De fallacia petitionis principii.

¶ Exposita parte textuali more solito, notandum est, primo, quod petitio principii dicitur duplex, statim, & nõ statim. Statim dicitur quando idem sumitur ad probandum se ipsum, vt Homo currit, ergo homo currit, & secundum istam nulla fit fallacia. Alia est non statim & est quando idem sumitur ad probandum se ipsum, sed sub diuersis nominibus, vt, Animal rationale currit, ergo homo currit, & de ista dicit Philosoph⁹ in viii. Thopi, Quod capitur vel potest fieri quinque modis. Primo, quã do petitur deffinitio indeffinito, vt Homo est capax disciplinæ ergo animal rationale, & econtra. Secundo, quando particulare petitur in vniuersali, vt Nullus homo currit, ergo Sortes non currit. Tertio, quando vniuersale petitur in particulari, vt iste homo currit, & iste homo currit, ergo omnis homo currit. Quarto quando coniunctũ petitur in diuersis, vel econtra, vt si dicatur medicina est disciplina sani & disciplina ægri. Quinto, quando vnum relatiuum petitur in alio, vt si Sortes est filius Platonis, ergo Plato non est filius eius.

¶ Item nota, quòd paralogismus secundum istam fallaciã non impedit syllogismum inferentem, sed bene probantẽ, & sic peccat in materia non in forma.

¶ Contra hanc fallaciam sic arguitur.

¶ Primo. Nulla ponitur fallacia finis, ergo nec principii. Ratio videtur æqua vnius & alterius, quia si vna ponitur, & reliqua & econtra. Argu. i.

¶ Secundo. Vbi non est apparentia non est fallacia, sed in petitione principii non est apparentia, nimirum quia minimè apparet quòd idem probet seipsum. Argu. ii.

¶ Tertio. Syllogismi in quibus est petitio principii nō peccāt in forma cum sint bonæ consequētiæ, nec in materia, quia præmissæ sunt veræ. Argu. iii.

¶ Ad primum dico quòd ibi capitur principium pro consequēte quod intēdit oppositiones probare, quod quidem etiā dicitur finis quia est primo intentum ab opponente, & sic dico quod potest dici fallacia finis sicut & principii. Ad primū.

¶ Ad secundum respondeo, quòd in petitione principii statim verum est quod nulla est apparentia, & sic nulla est fallacia, tamen in petitione principii non statim, aliqua est apparentia, & ex consequente fallacia. Ad. ii.

¶ Ad tertium respondetur concedendo quòd illi syllogismi non peccant in forma, nec etiam in falsitate præmissarum, sed peccant in probabilitate, quę probabilitas se tenet ex parte materiæ. Ad. iii.

Caput. xv.

¶ De fallacia consequentis.

Fallacia consequentis est, quādo euenit deceptio ex eo quod putatur consequentia conuerti, cum non conuertatur, id est quando creditur quod sicut antecedens infert consequens, sic vicissim consequens inferat antecedens. Ut si quis credat hanc consequentiam valere, Hoc est animal igitur est homo, eo quod ecōtrario sequatur. Hoc est homo, ergo est animal. Aut si quis credat hāc valere cōsequentiā, Nō est homo, ergo non est animal, eo quod sequatur cōtrario ordine. Nō est animal, ergo nō est homo. Sic decipitur qui ita argumētatur, Hoc est flauū, ergo est mel, eo quod ecōuerso valeat consequētia. Est mel, ergo est flauū. ¶ Huius fallacię duos ponunt modos. Primus est quādo quis vt ad antecedens sequitur consequēs, ita ad consequens ecōtrario putat sequi antecedens. Ut si homo est, animal est, igitur si animal est, homo est, Si nō est animal, nō est homo: igitur si non est homo nō est animal. ¶ Secūdus est, quādo sicut ex antecedēte sequitur consequens, ita ex opposito antecedentis putatur sequi oppositum consequentis. Ut si homo est, animal est: igitur si homo non est, animal non Fallacia cōsequentis.

est. Si non est animal, nō est homo, igitur si est animal, est homo. ¶ Ad hanc fallaciam consequentis pertinet, quoties quis fallitur argumentando a toto vniuersali non vniuersaliter accepto, ad partem ipsi subiectam, aut a parte ad totum vniuersaliter sumptum. Itē a toto in modo non vniuersaliter sumpto ad partem, vel a parte ad totum vniuersaliter sumptum. Item a parte, vna vel non omnibus in quantitate, ad totum in quantitate. Item quando negatiue argumentatur a toto integrali ad singulas partes copulatim, vel ad aliquam partium sigillatim: aut econtrario affirmatiue ab aliqua partium affirmatiue ad totū. Item quando in cōmuniter accidentibus a priori ad posterius proceditur affirmatiue, vel a posteriori ad prius negatiue, ꝛ quando in oppositis mala fiunt argumenta, a negatione ad affirmationē, ꝛ a maiori affirmatiue, aut a minori negatiue, ꝛ ab authoritate item negatiue. Et vniuerseliter, quando non valet conuersa consequentia.

Caput. xvi.

¶ De fallacia secundum non causam vt causam.

Fallacia secundum nō causam vt causam.

SEcundum non causam vt causam fiunt paralogismi quando falsitas illatę conclusionis imputatur alicui pręmissarum, quę non est causa falsitatis conclusionis, ita vt ea etiam ablata, ęque falsa sequeretur conclusio. Fit autem hęc fallacia in syllogismis ad impossibile, de quibus dictum est in libro de syllogismis. Exemplum huiusmodi ponit Aristoteles, Anima ꝛ vita sunt idem: Generatio ꝛ corruptio sunt contraria ꝛ mors est corruptio, igitur vita ꝛ generatio, ꝛ viuere generari. Hoc autem falsum est (quoniam is qui viuit iam non generatur, sed genitus est, ꝛ existente vita iam non est generatio) igitur ꝛ illud primo loco assumptum falsum est, anima ꝛ vita sunt idem. Hic est fallacia secundum non causam vt causam quoniam illa propositio prima assignatur pro causa falsitatis conclusionis, ꝛ ex cōclusionis falsitate ipsa interimitur, tanquam propter quam infertur conclusio falsa, cum non ita res habeat. Non enim ista, sed altera illa, Mors est corruptio, in causa est, quare falsa sequatur conclusio, ꝛ ipsa ex conclusionis falsitate erat interimenda. Nō enim verum est, mortem esse corruptionem, sicut neque verum est vitam esse generationem, Generatio enim ꝛ corruptio sunt motus. Mors autem ꝛ vita non sunt motus sed potius motum concomitantia, ꝛ velut eorum termini. Generatio enim est motus ad esse siue ad vitam, ꝛ corruptio est motus ad non esse siue ad mortem. Quod autem prima illa propositio, Anima ꝛ vita sunt idem, causa non sit falsitatis conclusionis, ex eo patet, quod ęque sequatur conclusio, etiam si illa auferatur. ¶ Sumit autem suę apparētię causam hęc fallacia, ex cōuenientia ꝓpositionis non causę, cum aliqua pręmissarum. Nisi enim aliqua sit conuenientia, nulla erit apparētia deceptionis. Defectus autem in hoc est, quod tanquam causa sumitur, quę vere causa non est, ꝛ ad rem non facit.

¶Contra fallaciam secundum non causam vt causam arguitur sic.

¶Primo. Nulla ponitur fallacia secundum nõ effectum, ergo nec est ponenda secundum non causam, Sequela videtur bona cum causa & effectus sint relatiua: & si secũdum vnum cõmittitur fallacia, ergo & secundum reliquũ, non videtur enim maior ratio de vno quam de alio. Argu. pri.

¶Secundo. Omnis fallacia est secundũ non causã quia apparet probare quod non probat, ergo omnis talis dicitur secundum non causam. Argu. ii.

¶Tertio. Isti syllogismi nõ peccant cũ sint syllogismi in modo & figura, ergo saltem in forma non peccant. Argu. iii.

¶Ad primũ respondetur ꝙ potest, poni fallacia secundũ non effectũ, quando videtur sequi cõclusio tãquam effectus ex præmissis, quæ tamẽ non sequitur, & sic potest dici ꝙ ista fallacia secundũ nõ effectũ potest intelligi per illã nõ vt causam. Ad primũ.

¶Ad secundum respondetur: ꝙ capiendo non causam largo modo potest concedi, sed capiendo non causam stricto modo vt competit huic fallaciæ per illam propositionem superfluã, vel non causam, distinguitur ab aliis. Ad secũdũ.

¶Ad tertium respondetur. Primo ꝙ potest concedi, ꝙ sint syllogizati quo ad formã sed non quo ad materiã. Vel potest dici ꝙ non sufficit quod sint syllogizati illo modo, quia aliquãdo nec sunt in modo nec in figura. Ad tertiũ.

Caput. xvii.

¶De fallacia secundum plures interrogationes vt vnam.

Postrema fallaciarum extra dictionem, positarum ab Aristotele, est, secundum plures interrogationes vt vnam. Quę tunc fieri dicitur, quando proposita interrogatione simul de pluribus, & ad eã responsione data sine distinctione, perinde ac si de vno solo interrogaretur, cõtingit ex huiusmodi respõsione vere vel apparẽter ipsum qui sic respõdit, ab opponente paralogizari aut decipi. Ut, exẽpli gratia, si quis demonstratis duobus quorum alter est videns, & alter cęcus, interroget, Sunt isti videntes aut non videntes? dicat autem respõdens indistincte, eos non esse videntes, argumẽtabitur interrogans, Fallacia secundũ plures interrogationes vt vnam.

Igitur iste non videt, demonstrato ceco, et iste non videt demonstrato vidente. Utrumlibet enim dixerit, sive videntes esse, sive non videntes, non euadet. Si autem responderit distincte, Hic videt, ille non videt, iam euasit calumniam. ¶ Causam apparentię sumit hęc fallacia, ex apparenti similitudine interrogationis de vno, cum ea quę de pluribus, propter quam putatur similiter esse respondendū vtrique. Causa autem defectus in hoc est, quod non adhibetur distinctio quę deberet adhiberi in responsione ad plures interrogationes. Deberet enim responderi distincte, perinde ac si plures interrogationes essent propositę. ¶ Post hos autem locos ita sigillatim enumeratos et pertractatos, Aristoteles deinde ostendere conatur, quemadmodū omnes hi loci ad vnum illum qui appellatur ignorantię elenchi possent reduci, adiiciens et alia quędam quę ad paralogismorum rectam solutionem non sunt inutilia. Uerum nos ea quę iam dicta sunt pro qualicunque introductione sufficere existimantes, illis sigillatim pertractandis supersedemus, finemq; hic Dialecticis nostris tractatibus imponimus, ad laudem et gloriam summę primę quę veritatis, quę omnem auersatur falsitatem, quę in vnitate et trinitate viuit et regnat per omnia sęcula. Amen.

¶ De fallacia secundum plures interrogationes vt vnam.

¶ De hac dicitur primo, quòd potest fieri dupliciter. Primo in numero singulari, vt si dicatur. Est ne hic & hic homo, (demōstrato Sorte & Brunello). Vel quando prędicantur plura de vno, vt si dicatur. Est ne Sortes videns, vel cæcus? Vel quādo prędicantur plura de pluribus, vt, Sunt ne isti videntes, vel non videntes? ad quas non est danda responsio vnica, sed totquot sunt in antecedenti interrogata.

¶ Sed contra hanc materiam sic arguitur.

Argu. pri. ¶ Primo. Non est fallacia secundum plures responsiones, ergo nec secundum plures interrogationes. Argumentum videtur à simili.

¶ Secundo. Hæc fallacia & cęterę præcedentes fiunt in dictione, ergo non sunt fallaciæ extra dictionem.
Argu. ii.

Argu. iii. ¶ Tertio. Omnis fallacia videtur fallacia consequentis, ergo distinctiones supradictæ sunt superfluæ. Antecedens probo, quia ab illo sumitur fallacia, à quo causatur deceptio, sed deceptio causatur à consequente (quod videtur sequi ex antecedenti tamen non sequitur) ergo intentum.

Ad primum respondetur negando simile nam possunt dari plures responsiones vni interrogationi propter maiorem euidentiam, tamen non contingit dari vnam responsionem ad interrogationem plures. Ad primū.

Ad secundum respondetur vt iam responsum est, quòd fallacia in dictione, & extra dictionem sumunt causam apparentiæ ex parte rei significatæ, vel intentionis seu conceptus, sic videlicet quòd, si videatur sumi ex parte vocis, hoc non est nisi mediante re significata, vel intētione, vel cōceptu, ideo tales fallaciæ possunt fieri sine dictione, sed fallaciꝫ in dictione nūquā possunt fieri nisi in dictionibus, nec sumūt suam causam apparentiꝫ nisi mediantibus dictionibus, vel in ipsis dictionibus. Ad secūdū.

Ad tertium respondetur primo, quòd fallacia consequētis duplici de causa dicitur fallacia cōsequentis. Primo, quia deceptio causatur à consequēte & isto modo omnis fallacia potest dici consequentis. Secundo dicitur fallacia consequentis, quia creditur secundum consequentiam conuerti cum prima quꝫ tamēnon cōuertitur, & iste est modus distinctus ab aliis. Tertio dicitur quòd denominatio loci dialectici sumitur à termino inferente, hoc est ab antecedente ad terminum illatum, sed denominatio seu distinctio istarum fallaciarum sumitur à termino illato, Ad tertiū.

Finit liber sextus considerationis Dialecticꝫ.

DEO semper & vbique gloria.

SECVNDVM MENTEM PRINCIPIS PERIpateticæ scholæ Aristotelis, Cautelæ, quib⁹ necessum est vti cautos callidosq; respōdentes atq; argumentantes circa quācunq; materiam. Per eundem fratrem PETRVM FERMOSELLVM, breuitate sūma, in vnū hic congestæ.



¶ Cautelę, quibus (secundum Philosophum) opponēs potest ducere respondentem ad aliquam metam.

PRimo quidem ad metam falsi, & hoc quinq; modis
¶ Primo, opponens interroget latenter respondentem.
¶ Secundo, debet interrogare multa, quia in multiloquio non deest peccatum.
¶ Tertio debet laudare responsionem respondentis, siue bonam, siue malam.
¶ Quarto, debet se transferre ad materiam in qua est magis idoneus, vt fecit Dauid cum Goliath, non enim voluit vti armis Saul, sed funda pastorali.
¶ Quinto, debet dicere opponēs quòd non vult disputare contra ipsum.

¶ Secundo sequuntur cautelæ, quibus respondens potest duci ad metam inopinabilis, & sunt quinq;.

¶ Primo debet opponens videre de qua secta est respondens & allegare contra ipsum opinionem multorum.
¶ Secundo, debent videre contrarietatem quę est in voluntatibus, & in dictis, quia non eadem volunt homines & dicūt: omnes enim dicunt misericordiam esse bonam, & similiter castitatem, sed non omnes sunt casti, nec volunt esse, nec misereti, sicut ille seruus nequam.
¶ Tertio, si respondens dicat aliquid, quod est secundū naturā ducendus est ad contrarietatem quæ est secundū legem, vt iustitia est bona secundum legē, non tamen secundū naturam.
¶ Quarto, debet considerare opponens contrarietatem quæ est inter plures & sapientes. Sapientes enim dicunt quòd magis obediendum est legibus quam patri, & quòd melius est iniuriam pati, quam alteri nocere, sed plures, & insipiens vulgus tenent oppositum.
¶ Quinto, debet interrogare ea, quæ habent vtranq; partem probabilem: vt, Vtrum sit magis obediendum Deo quam legibus, si dissentiant.

¶ Tertio sequuntur Cautelæ quibus potest respōdens duci ad metam nugationis.

¶Primo, Opponens debet supponere quód nomen per se sumptum & in oratione, idem significat. Hac suppositione facta ponit duo exempla. Primum, Duplum per se sumptum significat duplum dimidii, ergo & in oratione dicendo, duplum, duplum dimidii, cuius sensus est, duplū dimidii, dimidii duplū quæ est nugatio. Secundum exemplum. Hypothesi facta, abundans est passio numeri, si ergo dicatur quaternarius est numerus abundans est nugatio quia sensus est quaternarius est numerus, numerū habens mediū, quæ est etiā nugatio manifesta.

¶Quarto sequuntur Cautelæ quibus respondens ducitur ad metam solœcismi veri vel apparentis.

¶De his dat duo exempla. Primum, Cecilian⁹ dicit ficus esse secūdę declinationis, & masculini generis, ergo si quis diceret ficus maturas duceretur apparenter.

¶Item opponens debet vti in suis argumentationibus genere neutro, quod in aliquibus habet conuenientiam cum masculino maximè in Ablatiuo. &c.

¶Item opponens mutet loquutionem, vt istam, Lapis est, in istam, Lapidem esse, & inniti quód respondens concedat, lapis & lapidem esse eiusdem casus.

Quinto sequuntur Cautelæ quibus oppons potest ducere respondentem ad metam redargutionis.

¶Prima Cautela est, q̄ ponantur præmissę sine ordine vt credat respondens q̄ ex his nihil possit sequi.

¶Secunda. Opponens interroget multa, quia impossibile est multa simul conspicere.

¶Tertia. Debet respondentem vrgere vt respondeat, ne illi tempus suppeditetur ad solutionem meditandam.

¶Quarta. Debet illum turbare, quia irati & conturbati min⁹ vident veritatem.

¶Quinta. Debet suum propositum occultare.

¶Verum si sit respondens proteruus & velit habere affirmatiuam, opponens debet capere negatiuam, & econtra.

¶Secundo. Si respondens concesserit plures singulares, opponens debet inferre vniuersalem, ac si omnes singulares concessisset.

Tertio. Si vult opponens quòd respondens concedat aliquã propositionem, debet eam interrogare cum suo contrario, quia falsitas suæ contrariæ, facit ipsam probabiliorem. Opposita enim iuxta se posita magis elucescunt.

Contra fatuum. Sed si respondens sit fatuus & concesserit aliquod inopinabile, opponens debet laudare ipsius responsionem, vt facilius illum capiat.

Secundo oportet inspicere, an dixerit aliqua contraria respondens.

Contra subtilem. Sed si sit respondens acutus & subtilis, debet primo sibi dare aliquod multiplex, & semper capere illud in alio sensu quã respondens.

Secunda Cautela est. Si viderit opponens, quòd respondens vult darę solutionem, oportet instare contra eum ne illã det.

Tertia. Oportet q; opponens se transferat ad propositum in quo possit melius arguere, sicut faciebat Lycophrõ, qui semper se trasferebat ad percutiendum citharam.

Quarta. Si respondens quærat quam conclusionem vult inferre, opponens debet eam celare.

Quinta. Non oportet interrogare conclusionem nec præmissas, sed vti eis tanquam concessis à respondẽte. Hæc igitur de Cautelis vtcunq; dixisse sufficiat, nunc ad tractatum de formalitate, seu de identitate, & distinctione rerum transeamus.

CHRISTO DOMINO semper & vbiq; honor & gloria.



Parce precor mendis, ô Lector candide, libri,
Est proprium doctis parcere, parce precor.
Fallit enim vigilem manus impressoria curam,
Si hoc recte aspicias, est mea culpa leuis.

ERRATORVM correctio.

¶ Folio.iii.pagina prima, linea.xlvi.pro exinitauerat, lege excitauerat
¶ Eodem pagina.ii.linea.ii.super fluit mille.
¶ Folio.v.pagi.prima, linea.xli.pro subtilitsanqz lege subtilitatiqz.
¶ Folio.vi.pagina prima, linea.vi.pro irreptine.l.irreptione.
¶ Fo.viii.pagina prima, linea.xli.pro in spicies.l.in species.
¶ Fo.ix.pagina prima.linea.xv.pro Epicurię.l.Epicurei.
¶ Fo.xxiii.pagina prima linea.xv.pro animal.l.anima.
¶ Fo.lx.non bene signato, pagina prima, linea.iii.pro oc.l. eo.
¶ Fo.xxxv.pagina.ii.linea. xxv.pro ed.l.ad.
¶ Fo. xlix.pagina prima, linea.x.pro ęquota.l.ęquiuocata.
¶ Fo.lvi.pagina.ii.linea.xxxvii.pro ttum.l.tantum.
¶ Fo.lix.pagina.ii.linea.xxxv.pro subiecta.l.subiecto.
¶ Fo.lxii.pagina prima, linea.xliiii.pro contrariunt.l.contrarium.
¶ Fo.lxvii.pagina.ii.linea.xxi. lege scilicet quę non.&c.
¶ Fo.lxxviii. pagina.ii.linea.xviii.pro numero lege numerus.
¶ Fo.lxxix.pagina.ii.linea.xxii.pro tempo lege tempore.
¶ Fo.lxxx.pagina.ii.linea prima, pro superficis lege superficies.
¶ Fo.cxi.pagina prima, linea.xxv.pro elucescat lege elucescant.
¶ Fo.cxviii.pagina prima, linea.xxxi.pro conditio.l.contradictio.
¶ Fo.cxli.pagina.ii.linea prima pro appositionis.l. oppositionis.
¶ Fo.cxliiii . pagina prima , linea septima, pro neconotrario lege nō econtrario.
¶ Fo.cxciii.pagina prima, linea secunda, pro nibis lege nobis.

¶ Excudebat Hispali Martinus
a Montesdoca.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK.

Omnes sunt quaterniones.